DE

ANTONII GENUENSIS

In Regia Neapolitana Academia jam Ethices, nunc Œconomices Professoris

DISCIPLINARUM METAPHYSICARUM

TOMUS QUARTUS

QUO CONTINENTUR

Principia Legis naturalis, & Officiorum hominum ac civium.



NEAPOLI MDCCLXXIV.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA
Superiorum Auctoritate ac Privilegio.

Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt . . . . .

Horat. lib. 3. ode 27.

VIRO PERILLUSTRI,

Atque Ornatissimo

NICOLAO VIVIANO

Φιλανθρωπῳ

ANTONIUS GENUENSIS

S. P. D.



UARTA *hæc pars*, NICOLAE VIVIANE, *finem faciet Metaphysicarum lucubrationum, qua ego in parte ea de re, quam tu ex omnibus maxime probas, disserui. Placere enim tibi admodum sensi, & ex vitæ ratione a te ab ineunte ætate suscepta, & ex multis sermonibus nostris, hoc debere esse præcipuum philosophorum officium, hanc diligentiam, ut omnibus rebus posthabitis, totos se in optimo vitæ statu exquirendo collocent, & quatenus possunt, sibi & aliis probent: eos vero, qui in iis rebus occupantur, quas ab omni vitæ humanæ usu remotas, etsi fortasse jucundas, nullius tamen scire interest, & iners esse Telluris pondus, & plurimum aliis nocere posse, quos exemplo suo ad subtiles inanesque acroaseis pertrahant. Ex multis autem partibus, multisque a causis optimus hic vitæ status exsistit, sed a nulla æque, quam a virtute. Quare veterum doctissimi omnem in eo curam operamque posuerunt, ut virtutem ad beate vivendum seipsa esse contentam suis persuaderent* (a). *Quod etsi difficile est probatu propter tam*

 varia

(a) Virtutem hic dico, ita vires ingenii, corporisque, ac naturæ

varia & tam multa tormenta fortunæ (a) ; *tale tamen est, ut elaborandum sit omnibus, quo facilius probetur. Quid enim est omnium, quæ in philosophia tractantur, quod gravius, magnificentiusque dici possit? Quid porro ad effrænes atque stultas cupiditates comprimendas validius? Quid tandem ad pacate, ac propterea beate inter mortales vivendum accommodatius? Nam ego sic semper habui, idque Tu, ut es in tota vetustate peritissimus, ex humana historia sæpe animadvertisti, ita esse natura comparatum, ut insipientiam, vitia, & scelera miseria inseparabilis comitetur: sapientiam vero & virtutem beatitudo. Equidem eos casus, in quibus me fortuna non leviter exercuit, mecum ipse considerans, constantius huic sententiæ adhærere incipio: nam quum nullius rei mihi conscius essem, quamobrem animo angendum mihi esset, meque a tempestate actum in philosophiæ portum recepissem, magna ego, ac talia, quæ a nulla alia mortalium rerum sperarem, solatia a virtute petii, & exoravi. Quare factum est, ut me vehementer puderet præteritæ ætatis, quam ego in sterili rerum contemplatione pene totam consumseram, totumque me deinceps in id studium converterem, quod, ut [illegible] ait Venusinus,*

Æque pauperibus prodest, locupletibus æque,
Æque neglectum pueris, senibusque nocebit.

Sed Te in primis auctore ac exemplari sum usus. Nam & Tu sæpe gravis monitor fuisti, & cohortatus es pluries, ut quoniam ego hanc inter nostros philosophiam, quæ neglecta pene jacebat, & squalida, haud [illegible]ridem excolendam

turæ sensationes & affectus impetusque moderari, ac eatenus naturæ obsecundare, ut nec nos infelicitemus, nec ullum alium: ita uti frui, ut & nostras faciamus utilitates, & non perdamus aliorum: ut nihil nobis vere utile existimemus, quod honestum non sit, hoc est cum nulla aliorum injuria conjunctum, reputemusque sedulo, quod ait apud Homerum Telemachus

. . . . . . Θεμις

Ἡτ' ανδρων αγορας ημεν λυει, ηδε καθιζει

Themidem hominum comitiis præesse debere, ut ea congreget, ea separet. Themidem vero esse, cujusque quod suum est velut Deo imperante servare libenter.

(a) Sed & tot scelestorum impiorumque conatus, virtutem aut deridentium, aut convellentium.

lendam suscepissem, non voce tantum ad eam adolescentes impellerem, sed scriptionibus maxime; & Te in illo Bartholomæi nostri Interii (viri ornatissimi, & de gente nostra plurimum promeriti) Musarum domicilio, ita de virtute & pietate sæpe disserentem audivimus, ut existimaremus, nihil esse, quapropter ætas nostra veteribus Aristides, & Coruncanos invideret. At vero difficile dictu est, quid in Te prius, aut magis admiraremur, vim ne sententiarum, qua Tu nos totos concutiebas, an Atticam illam eloquentiam, qua non permulcebas modo animos jucundissime, sed quacumque velles pertrahebas, aut istud denique incoctum, ut ille inquit, generoso pectus honesto, quo sentiebamus, ea, quæ disputabas, non, ut in philosophorum plurimis, oratione tantum contineri, sed totam & mentem & animum occupare, esseque in naturam conversa, ut ne si velles quidem aliud sentire, aut loqui posses. Nam Tu ita quum virtutis, aut nomen audiebatur, aut spectabatur imago, totus concitabare, ut facile esset animadvertere, in Te virtutem non in cortice hærere, sed totum pervadere. Quare effecisti, ut non intelligeremus tantum, sed ipsi oculis nostris videremus id, quod Socrates dicere solebat, Virtutem, si sine velo se nobis ostenderet, incredibiles in nobis amoris flammas excitaturam. Itaque ego quum alias, tum hoc præsertim exemplo vehementer iis subirascor, qui aut imprudenter, aut, quod similius vero, per summum scelus dicere solent, virtutem nihil esse, totumque id esse nomen inane, quo otiosorum Scholæ Doctorum personant. Vituperare quisquam socialis vitæ parentem, & hoc parricidio se inquinare audet? & tam impie ingratus esse, ut eam accuset, quam venerari deberet, etiamsi minus consequi potuisset? Sed, ut opinor, hic error, & hæc indoctorum scelestorumque animis offusa caligo est, quod nec tam longe retro respicere possunt, ut eos, a quibus vita hominum instructa optimis sit, fuisse a virtute armatos discant: nec, præsentium rerum aut inscii, aut incuriosi, intelligere, eas, quibus brutis plurimum & feris nationibus antecellimus, commoditates, ab una virtute esse & procurari. Quid enim non modo nos, sed omnino vita hominum sine ea esse potuisset? Ea urbes peperit: ea dissipatos homines in

ſocietatem vitæ convocavit : ea illos inter ſe primo domiciliis , deinde conjugiis , tum litterarum & vocum communione junxit : ea inventrix legum , ea magiſtra morum fuit . Sed in eo iſti ſibi videntur triumphare , quod nullam eſſe in nobis virtutem .rentur , quæ non a noſtri amore & utilitate proficiſcatur : qua re fit , inquiunt , ut virtutem mentiri poſſimus , habere nequeamus . Quos quum ſine indignatione audiri nequeant , tum Tu etiam , ut es humaniſſimus , ridebis tamen , qui infinita iis ex veteri memoria exempla afferre poſſis eorum , qui pro virtute omnibus fortunæ telis ſeſe objicere non dubitarunt . Quanquam quam iſti virtutem ſibi confinxerunt , commenticia eſt , quamque nemo ſapientum , ne ii quidem , qui plurimum illi tribuerunt , ab ullo mortalium exegerit , aut repoſcere poſſit : nam eam nos virtutem prædicamus , quæ quum ſingulorum , tum totius hominum generis delicias & felicitatem facere poſſit ; quæ ſi a ſingulorum utilitate & felicitate ſejuncta ſit , nec ulla eſt , nec ſi ſit , virtus eſſe poteſt , quæ nec ſingulis , nec toti hominum generi utilis ullo modo eſt . Quomodo enim ſi ſinguli homines pro aliis ſeſe interficiant , deſerta ſit hominibus Tellus neceſſe eſt ; ita ſi ſe vitam , fortunaſque ſuas , beatitudinem denique quiſque contemnat , quo ſe aliis virtute probet , nemo omnium hominum non modo felix , ſed ne erit quidem : ita fiet , ut , ea invecta virtute , delendum ſit hominum genus . Itaque Tu ita ſæpe diſputaſti , ut facile nobis perſuaderes , divina providentia comparatum eſſe , ut ſibi primum hominum ſinguli , deinde aliis propter ſe natura ipſa conciliarentur , & ut eſſent , & ut bene beateque eſſent , idque eſſe in Natura pulcherrimum , & quo virtutis ut neceſſitas , ita magnæ utilitates continerentur , ut hominum nemo non ſolum bene beateque eſſe , ſed ne eſſe quidem poſſet , niſi ita vitæ ſuæ rationes inſtituerit , ut una ipſe cum aliis eſſe , ac bene beateque eſſe velit . Quod qua ratione faciendum ſit , Tu quidem probe noſti : ſed patieris tamen , me , qui Tibi uni omnium optimo judici inſtituti mei rationes reddendas ſuſcepi , paullo altius repetere , præſertim quum hæc non ut vellem , in hoc , quem tibi mitto , libello explicata & digeſta , ſed ut erant aut ex tempore dictata , aut carptim ſcripta feſtinanti

ti interpellantique moleſte Bibliopolæ edenda dederim, retexturus, novaque via & ratione exornaturus, ſi vitæ ſuppetat (a).

Quum ego hominem contemplor, quinque in eo principes & natura ipſa inſitas propenſiones ineſſe ſentio, quarum quidem tres cum omnibus animantibus nobis communes ſunt, duæ vero propriæ. Habet nempe a Natura & ut ſit, & ut bene ſit, & ut genus ſuum ſervet propagando, & ut poſtremo beatus; eſtque gloriæ, qua ceteris ſui generis emineat, & ab omnibus diſtinguatur, percupidiſſimus (b). *Sunt eæ non tam cum natura ipſa conjunctæ & copulatæ, quam commixtæ, ac tota fuſæ, ut tum demum perſentiri a nobis, noſque concitare & pertrahere deſinant, quum & ipſi eſſe deſinimus* (c). *Itaque non in eo eſt a philoſophia ponenda opera, ut eas ſtirpitus eradicet, quod quoniam fieri nequit, non poteſt*

 niſi

(*a*) Quatuor libris, *De homine*, *jure* ac *lege naturæ*, & *officiis*, deinde egimus; qui, ſi labaſcens jam valetudo ſinat, propediem in lucem prodibunt.

(*b*) Tres Plato (de leg. VI.) *ενφυτας ingenitas* propenſiones agnoſcebat, cibi, potus, veneris: eo ſpectare leges oportere contendit. Sed duæ illæ primæ *τῳ ut ſit* continentur. Ad illam vero, *ut bene ſit*, pertinent commoda.

(*c*) Me non latet, eſſe quoſdam, eoſque magni nominis philoſophos, quibus placet, hominem ita generari, naſcique, ut nullam in partem natura ipſa propendeat, eſſeque has, quæ prædicantur, propenſiones nobis connatas, ingenii noſtri commenta, ex iis confícta, non quæ ſunt in natura πρωτα, *prima*, ſed quæ vitæ conſuetudine acceſſere. Nam, ajunt, quum ſine ullis rerum notionibus gignamur, id quod eſt conſectarium, nullos rerum illarum cum natura noſtra connexus id temporis percipimus; ac inde porro, ut nullam in partem natura ipſa inclinemus. Atque iſti ita diſputant, ut magis quæſtionis ignari eſſe videantur, quam naturæ humanæ. Nam quum quæritur, ſint ne naturales in homine propenſiones, non id quæritur, perſentiſcamus ne eas omnes ſtatim atque procreati ſumus, quod eſſe nequit; ſed hoc, ſimus ne ita natura comparati, ut ſtatim ac noſtri exſiſtentiam ac naturam animadvertere poſſimus, dolorem aut voluptatem perſentire, rerum, quæ nos ambiunt inter ſeſe ac nobiſcum connexus videre, ita naturaliter modificemur, ut & eſſe, & bene beateque eſſe, ac cetera ejuſmodi velimus? Id quum conſtet ex tota hominum hiſtoria, qui in dubium vocat, in hominum phyſiologia hoſpes ſit neceſſe eſt.

nisi stulte pertentari; sed in hoc potius, ut ita componat, ut, quo sunt a natura datæ, toti hominum generi sint utiles. Id quum fit, virtus exsistit, non ea quidem, quam Stoici velut nulla cum ceteris hominibus cognatione juncti deprædicant, sed hæc, quæ ex ejus, qua præditi sumus, naturæ moderatione esse potest, quæque sola esse hominibus utilis queat, quia ea sola efficere potest, & ut esse propagarique possint: & ut bene, idest sine maximis doloribus: & ut beate, idest cum maximis voluptatibus: & tandem ut cum vera gloria, idest cum iis ornamentis, quibus tantum sine ulla simulatione concelebrentur. Qua ex re intelligitur, quanto ii opere a vera ratione aberrant, quamque supervacaneum laborem in se suscipiunt, qui homines ad civilem beatitudinem efformaturi, humanæ naturæ inscii, & negligentes, ea pertrahere nituntur, qua illa tota ire vetat, quaque si eat, non minus stare possit, quam quæ adverso flumine devehuntur naviculæ. Ac ego quidem persuasum semper habui, dixique sæpius, ut, quoniam ab omni naturæ nostræ imbecillitate, dicam etiam dehonestamento, ac undequaque perfecta & absoluta virtus haberi nequit, nisi a Deo, qui rerum universitatem potentissime moderatur & procurat, ab eo [illegible]ndam, sperandamque. Sed quum ne Deus quidem providentia sua rerum naturas evertat, sitque illud in [illegible] gubernatione pulcherrimum, ut aliæ aliis nexæ iis legibus regantur, quarum nullæ aliæ queant esse illarum naturis magis consentaneæ; par est, ut hoc exemplar ii imitentur & sequantur philosophi, ac legumlatores, qui suis præceptis aut legibus quidq[illegible] se naturæ humanæ beandæ afferre posse confidunt; alioquin via lapsi, quo feruntur concitatius, eo hominum generi nocentiores esse possunt. Sed eo, unde digressa est, redeat oratio nostra.

Prima, quæ ut in brutis animantibus, ita in homine persentitur magis, quum animadvertitur propensio, est, ut sint. Quum ex tota rerum natura, omnibusque ejus qualitatibus, tum vero ex nulla magis, quam ex hac, Dei erga nos providentiam æstimare disco. Nam qui rerum universitatem & ut esset, & ut pulcherrima esset, procreavit, sapientissimus ille omnium artifex & moderator,

tor, hunc rebus singulis impetum & quasi sensum indidit, ut illæ tota natura sua, ac vi naturæ suæ æquali, idest maxima, ut esse conarentur, utque nulla causa posset ab iis, ut ne esse vellent, impetrare, nisi quæ ut ne essent quoque, eadem opera efficere quivisset. Inde vero hæc in omni animante animadvertere licet: principio ut nihil prius, nec quasi ex arbitrio, & electione, animique consilio, sed ex ipsius naturæ necessitate quadam ament, quam ut sint: deinde ut nihil eadem naturæ vi nec prius nec magis metuant, quam ut ne sint: tum ut nullam ob rem aliam totam naturæ vim adhibere sint perpetuo parata, quam ut ea omnia a se removeant, quibus ut ne sint effici potest: tandem ut eadem vi incredibiles labores & dolores ultro subeant, & fortissime tolerent, si ita eis sit persuasum, non aliter servare sese vitam posse. Quibus ex rebus fit, ut & nulli magis cum natura pugnent, quam qui impie ad genus humanum tollendum ingenii & naturæ vires præpostere adhibent; & nulli de ea magis promereantur, quam qui & docent, neminem, ut in fornice, ita in hominum genere, esse posse, nisi quo naturæ impetu fertur, ut sit, eodem conetur ut sint ceteri; & ipsi doctrinis ac præceptis suis sic consentanee vivunt, ut intelligere possimus, humanæ naturæ consentanee esse velle. Est hæc prima eaque maxima, quæ in hominibus esse potest, virtus, ut principio ita singuli sibi persuadeant, & ut esse velint a natura omnes habere, & neminem esse posse, ubi alter, ut ne alii sint, cupit: deinde ut sic se viresque suas moderentur, in eoque omnes intendant, quo non ipsi tantum, sed ceteri quoque omnes sint. Ex quo aliud etiam conficitur, nullam naturæ humanæ majorem esse perversitatem, nullum scelestius vitium, sed ne ullam quidem fœdiorem amentiam, magisque cum ipsa nostri natura & utilitate pugnantem, quam ita esse affectos, ut nobis tantum, veluti si soli in Tellure simus, studeamus, amemusque esse etiam cum totius humani generis perversione. Sed videtur, inquiunt, a nostra utilitate tota ea proficisci virtus; quo fit, ajunt, ut ne virtus quidem sit. Quasi vero velle & studere quisquam possit, ut alter sit, qui non modo nolit, sed ne sentiat quidem se esse! Itaque ita isti disputant, ut aut

omnem omnino ab homine extirpatam virtutem velint, aut eo impudentes regrediantur, ut agnoscant, nullam esse posse non modo humanam, sed nec divinitus inditam, quæ a suæ felicitatis cura sit sejuncta: nam eæ in primis, quibus divinitus ornamur, virtutes, ad nostri, eamque veram felicitatem promerendam nobis præcipue traduntur. Nullius autem virtutis hominem capacem dicere, nescio utrum sit toti hominum historiæ adversari: impium certe est, & ad omnem Dei beneficentiam & providentiam tollendam comparatum. Quare concludamus hoc nunc, homines ad hanc virtutem, etiamsi ad id nulla nec divina, nec humana lege adigantur, a sua ipsorum conscientia impelli, esseque non modo impios & scelestos, qui contra, quam natura poscit, adnituntur, sed prorsus amentes. Præterea & illud animadvertamus, virtutem cum natura congruere semper, idest eam perficere, & ad finem, quo tota tendit, ducere, eorumque, quæ huic repugnent, accessione fieri pejorem.

Alter autem item cuique animanti insitus, quique non magis, quam prior ille, ab eo separari potest, impetus; est, ut bene sint, idest sine dolore, sine ægritudine. Postquam animans, ejusque vita in tuto posita est, nihil natura ipsa magis aversatur, nihil metuit horretque magis, quam dolorem, aut quia non naturæ consentientem, aut quia ejus destruentem, aut potius quia naturæ vox quædam est, qua admoneatur, se iis agitari causis, quæ ei interitum afferre possint. Philosophi in primis docti & acuti hinc animantium inflexiones omnes repetunt, ut eo se scilicet semper inclinent, quo dolor aut ægritudo fert: quod totus dolor, ut subtiliores alii disputant, nihil esse aliud revera videatur, quam voluntas ab eo statu aversa, in quo non secundum naturam sumus. Est quidem hic alter naturæ animalis appetitus priori illo posterior, ut ei tum demum locus sit, quum ille, ut dixi, in tuto est: sed est tamen cum illo copulatus, & eousque tota natura perfusus, ut non minus quam ille sit necessarius. Hinc fit, ut naturalis sit minimeque liber doloris metus, horror, aversatio: tum ut qua vi maxima rapimur in vitam conservandam, eadem feramur ad adversandos dolores, nec eis cedamus, nisi quum vitæ con-

ser-

servandæ necessarios arbitramur. Itaque & secundum naturam est, sine dolore esse; & virtus item maxima ac naturæ pulcherrime consentiens, adlaborare, ut tum nos, tum alii, quibuscum communem habemus naturam, sine dolore simus. Atque ut nulli sunt de genere humano magis promerentes, majoribusque laudibus digni, quam qui ea in re ingenium dotesque suas intendunt omnes, ut minor sit (nam ut ne ulli sint, quoniam fieri nequit, ne expeti quidem debet) inter homines laborum & dolorum copia; ita nulli magis execrabiles, quam ii, qui in id se esse natos sibi persuasere, ut omnibus modis, laboribus, ærumnis, non necessariis molestiis vitæ humanæ tranquillitatem perturbent: dicam etiam nulli magis stulti, quando res humanæ ita junctæ copulatæque sunt, ut nos doceant, hominum fuisse neminem, qui alios miseros efficere voluerit, quin se se fecerit miserrimum. Nam ita natura, ac sapienter, constitutum est, ut in tota rerum universitate nulla sit, quæ homini aut majorem miseriam creare possit, quam homo, si adversetur; aut majorem felicitatem, si suis omnibus partibus alter cum altero conspiret amice. Quamobrem quum duo sint fontes, unde hominum dolores & ægritudines promanant, natura, & hominis ipsius ingenium; facile est animadvertere, ubi homines hominibus amice copulentur, & mentis corporisque vires jungant, hos quidem, qui plures sunt & majores, omnes disterminari: illos vero non modo in pauciores conferri, sed imminui plurimum, esseque non tantum minus tolerabiles, sed quandoque etiam optabiles, quo aut naturæ virgulæ constantius adhæreamus, aut ne assidue perceptæ voluptates minus delectent: nam sunt naturales voluptates fere semper naturalis doloris consequentes, eoque gratiores, quo illi acriores. Quare & hæc virtus secundum naturam est, ut qui bene esse velit, ipseque sine dolore, & ægritudine, non solum nulli injustum dolorem inferat, sed aut natos, aut illatos auferat, si possit; sin minus, levet & demulceat. Quid quod eo vel nec cogitantes a natura rapimur? Nam omnes ad alterius miseriam misericordia commovemur. Quumque affectus sint quasi naturæ vectes, quibus, ut paullo post dicemus, naturales propensiones sustinentur, ac in naturæ defensionem

ar-

armantur ; nihil esse potest magis perspicuum, quam a natura ipsa nos incitari, non solum ut ne quempiam lædamus (quantula enim id virtutis portio est?), sed ut pro virili parte alii aliis opitulemur, quæ nobis hunc omnium pulcherrimum indidit & amoris & commiserationis affectum. Quare ego non tam naturam (divina suffultam ope) quam perversam hominum voluntatem sæpe accusare soleo, quæ, quod nobis a Deo tribuitur, aut revellere conatur, ne ullo modo sit ; aut comprimere, quominus in nostri felicitatem exseratur ; aut corrumpere, quo in nostram convertatur perniciem. Qua de re ego te disserentem audire malim, mi VIVIANE, *quam quidquam dicere, quod Tu pro penitissima, qua harum rerum notitia polles, minus probes. Dicam tamen ut possum. Qui nihil reliqui efficimus, quo naturam pravis studiis perversaque voluntate aut comprimamus, ne, quo tendit, perducat ; aut corrumpamus, ut alio trahat ; non solum injuria, sed inscitissime & stultissime de ejus malignitate conquerimur, atque eo tandem evadimus, ut aut inique existimemus, nullo modo per hanc licere esse bonos, quo vitiis & sceleribus nostris, qui honesti esse nolimus, honestas, si diis placet, causas prætendamus ; aut impie suspicemur, non esse Deo curæ felicitatem nostram, esse miseriam. Qui si rogemur, qui alios, quum nostra interest, esse velimus justos & bonos, quum tota, ut prædicamus, rerum natura prohibeantur ; animadvertere possimus, nos esse mendacissimos, quum contra quam communi naturæ sensu persentiscimus, adversus Dei bonitatem disputamus, nec tam esse pravos, quam esse velle, futuros optimos, si quantum in vitiis operæ locamus, tantum poneremus in natura, (quæ Adamitica quidem labe obstipa, divinitus tamen, ac alte magnificeque evehitur) ad virtutem flectenda ; eaque, ut dixi, qua par est credere, pollere omnes, Dei ope : quam & precari jus fasque est, &, ut poëtæ ipsi ajunt, a Deo esse preces agnoscere* (a) ; *& animum erectum liberumque in pectore gerere, nec ejuscemodi, quas tantopere facimus, tellu-*

(a) Vide Plat. VII. de Legib. pag. 632. Fic.

luris bonis adſcriptum mancipatumque : nam , ut divinitus ait Homerus , dimidium mentis iis auſert Jupiter , qui ſervili ſunt animo (a).

Jam tertia totius naturæ animalis communis & naturalis propenſio eſt ea , qua ad ſuum genus conſervandum impelluntur, qua quidquid in terra gignitur, aliturque, ita pervadi & animari videtur , ut , quæcumque ſit , non modo animantes , ſed ſtirpes & plantas agitet, quarum rerum nulla eſt , quæ ubi ad præfinitum ſibi a natura tempus pervenit , non invitari ſe & allici ad ſibi ſimilem procreandam non ſentiat , tantoque impetu animantes inflammet concitetque , ut impedita ſurere ſaciat, compreſſa extabeſcere . Sine qua quid eſſet , niſi deſerta & horrida Tellus ? Ut intelligere poſſimus , tantos naturæ genitricis motus , tam multarum rerum atque tantarum ordines , in quibus nihil unquam tam immenſa vetuſtas mentita eſt , ab aliqua mente infinitæ intelligentiæ & providentiæ gubernari . Nam ſeu dicas , eſſe vim aliquam vitalem & animantem per omnem mundum permeantem , ſeu anima ſui generis ſingulas mundi res animari & cieri ; quum videas omnium in tanta generationum viciſſitudine conſtantiam , ſtatuas neceſſe eſt , præeſſe mundo Numen præſtantiſſimæ Mentis , a quo hæc fiant & conſerventur . Itaque Zeno animantem eſſe mundum concludebat hac e re noſtra nata ſimilitudine . Si ex oliva modulante canentes tibiæ naſcerentur , num dubitares, quin eſſet in oliva tibicinis quædam ſcientia ? Quid ſi Platani fidiculas ferant numeroſe ſonantes ? Idem ſcilicet cenſeres in Platanis ineſſe muſicam . Cur igitur mundus non animans ſapienſque judicetur, quum ex ſe procreet animantes atque ſapientes ? *Ac recte ille quidem , ſi vim hanc mundum animantem , atque numeroſe progredientem , & gignentem , non ipſam per ſe & natura ſua conſtare , ſed ab ejus architectrice & Moderatrice Mente , cujus & ſequitur leges , inditam perſu-*

(a) Ημισυ γαρ τε νοȣ αποαμειρεται ευρυοπα Ζευς
Ανδρων , οις αν δε κατα δουλιον ημαρ ελησι.
Quod etſi aliorſum dictum , & in his præcipue valet , qui omnium fœdiſſimam hanc corporibus ſervitutem ſerviunt .

fusamque, quemadmodum par erat, censuisset. Nam ut est per se perspicuum, nihil horum sine ratione, modoque fieri; ita tantæ mentis vestigia, in rebus præsertim corporeis & brutis, non intrinsecus & a natura sua proficisci, sed a Deo toti rerum universitati præsidente, dubitare non possumus. Sed cœpi secus agere, atque initio constitueram: suscepi enim Tibi, mi VIVIANE, *instituti operis rationem reddere, a quo sæpe me pietatis caussa longius rapit. Quanquam qui ego id a re nostra alienum esse dico? A Deo enim tota hominis institutio inchoanda est, ejusque numine & vi perficienda. Quod ergo ad eam propensionem, de qua disseruimus, spectat, Tu non dubitas, quin vehementissima ea sit, ac secundum priores illas duas vis maxima. Sed ei locus non est, nisi quum duæ illæ in tuto sunt: itaque ne persentitur quidem, quum aut de vita periclitatur animans, aut magno aliquo dolore angitur. Quum vita in tuto est, nullusque premit dolor, nulla ægritudo, si quempiam corripiat, maxima agit vi, quousque aut priores illæ non obstiterint, aut ipsæ per se illam quasi e regione irrumpentes, aut inde deductæ rationes, non compresserint. Quæ si omnia desint, inania puta cetera impedimenta, nec alio habe loco, quam quo aranearum telas majora habent animantia. Quin eo evadit aliquando roboris & furoris, ut nec mortis metu, nec incredibilibus cruciatibus queat coerceri. Qua ex re illud animadvertere possimus, esse insitas hujusmodi naturæ animali vires & propensiones adeo non solum pervicaces, sed brutas: quum frænum ruperint, ut nulla nec vi, nec arte cohiberi possint, totamque humanam vitam perturbent. Ex quo fit illud, ut magnæ sit quum privatæ, tum publicæ præsertim generis humani utilitatis modum illis imponere. Quod quum item virtute fiat, quantopere sit virtus ad bene beateque vivendum necessaria, quamque mature ea informandi homines, qua educatione, qua legibus, nemo est, qui ipse per se non intelligat. Sed ea de re deinceps.*

Duæ, quæ sunt reliquæ hominum naturales propensiones, ita humanæ naturæ sunt propriæ, ut nullam in illis bruta animantia partem habere videantur; quarum

al-

altera est felicitatis, idest maximæ voluptatis appetitus, altera gloriæ cupiditas, qua omni ope inter ceteros nostri generis eminere, ac distingui enitimur. Nam pecorum natura præteriti immemor, absentium incuriosa, futuri improvida, præsenti tantum indigentia ac dolore commovetur, nec aut veterum memoria titillatur, aut incenditur absentium libidine, aut futuri metu, vel spe concitatur. Itaque sic naturæ congruenter vivunt, ut nec intendendo præsentia dolorem augere norint, nec aut imaginatione absentium, aut novarum meditatione voluptatum præsentes turbare, atque in voluptatis ipsius fruitione majorum desiderio excruciari. Igitur ubi nec corpus ægrum est, nec quidquam periculi imminet, nec aut venter, aut venus exstimulat, humi resoluta, mollioris strati ignara, eoque minus anxia, non solum pacata & quieta sunt, sed otiosa & somnolenta, ut nulla sit inter ea ex superfluis invidentia, nullum odium, nulla contentio, nulla bella, quæ homines, infinitæ ac fervidæ imaginationis animantia, nec quiescere patientia, misere affligant, atque in mutuam perniciem armant. Itaque nos, naturæ propensionibus abutentes, ac alio inflectentes, quam quo natura tendunt, ne in summis quidem voluptatibus plene unquam nobis satisfacimus: pervigil enim animus aut præteritas revocat, aut novas semper excogitat, eoque præsentibus minus tangitur, quo majores & jucundiores, quibus caret, sibi confingit. Summam hic appetit, eam nempe, qua ita tota occupatur natura, ut nihil reliquum aut metui, aut appetitui faciat; nec animadvertit, eo esse in loco positum, ubi si fuerit adeptus, totus repente otiosus, atque iners sit necesse est, qui nullo ad quidquam præterea agendum calcari prematur. Inde aut invidia macescit, aut odio furit, nihilque est nec tam difficile & arduum, nec tam sanctum, quo ejus reprimi cupiditas possit. Jam bruta animantia ut nihil supra singularem naturam noverunt, ita nec gloriæ, nec imperii sunt cupida. Quare nec ob ingenium, nec ob vires ulla est inter ea eminentiæ ambitio, quæ homines, cetera futuros contentos, noctu diuque vexat ac urit, non quieturos, nisi humana divinaque omnia commiscuerint, ruinis simillimos, quæ super id, quæ oppressere, franguntur.

Adeon,

Adeon miserrima est ambitio, honorumque contentio? Qui, inquis, hæc cum superiori oratione congruunt? Videris, inquis, naturæ malignitatem, quo penitius retegis, accusare, eoque homines a virtute, quam supra defendendam suscepisti, absterrere, quos virtutem cum tantis naturæ vitiis adipisci unquam posse, quis sibi persuaserit? nempe mirifice consentiunt, mi VIVIANE, *nec ego a consectanda ac consequenda virtute ullos animum idcirco despondere velim, quod hominum vitia, in quæ incaute trahi nos sinimus, tam studiose depingam: non tam enim naturæ, quam voluntatis ea sunt; quia sunt illæ propensiones humanæ naturæ pernecessariæ, quando constat sine iis vix esse in nobis reliqui, quo brutis præcellamus; ut si iis homines docte prudenterque uti sciverint, idest intra modum suum continere, esse possunt illi in eo ipso boni & beati, quo se malos & miseros fieri arbitrantur. Nam principio, nisi felicitatis, seu summæ undequaque perfectæ & securæ voluptatis amore tangantur, præsenti statu contenti, eique, ut ostreæ scopulis, affixi, humi proni & ventri obedientes vivant. Quumque natura imbecilli, nudi, omnium indigi, & ignari, segreges denique, nec nisi solis parentibus, ut belluæ, conjuncti, procreentur; nihil invenire, nihil melius commodiusque efficere, nihil nec arte, nec industria perpolire, nihil postremo, nisi perpetuo pecudes esse, nec scient, nec studebunt, tum ne a Telluris quidem consortio, non magis quam stipites, separare se, & æterna consectari bona unquam poterunt, ad quæ illo felicitatis amore incenduntur, ac rapiuntur. Itaque & hic miseri sint necesse fuerit, & nunquam ejus, qua superi perfruuntur, quæque unice plena & vera est, beatitudinis participes. Porro honorum illa & gloriæ cupiditas, qua ne barbari quidem & immanes homines vacui sunt, effusas olim Tellure gentes ac solivagas coëgit, ut inter se coirent, civitates, jura, ordines, imperia conderent; quorum si quis extrinsecus accersita hominum improbitate vitia accusare velit, is per me accuset; sunt enim quædam & gravia: sed insitam utilitatem & præstantiam ego defendi semper, & defendam. Nam quæ est hominum vita, quos nec civitas mansuefacit, nec ordines jungunt,*

nec

nec jura & imperia coërcent ? Quare omnia , quæ sunt a perturbata beatitudinis & gloriæ cupiditate mala , quæ sunt certe maxima & gravissima , prava hominum induxit libido ; libidinem autem ignorantia & imperitia : hanc neglecta ingenii & naturæ cultura . Itaque in his omnibus multa est voluntatum nostrarum malignitas , nulla naturæ . Malignitatem autem dico , mi VIVIANE , *non defectum : nam veteri labe multis haud dubium deficimur. Sed ut nos in omnem vitæ pravitatem fœditatemque ipsa per se impellat natura , cui nulla ope , ne divina quidem , repugnare valeamus , quam nulla arte regere , utque idcirco , quod est malignitatis , ad miseriam geniti esse videamur , in quo isti naturam* (a) *criminantur , quo sua honestiora vitia esse videantur ; id ego non modo impium , sed stultum quoque esse ajo .*

Sed ut hæc sint , inquiunt , magni certe sunt & perpetui naturæ nostræ accusatores affectus , quos nec avellere possumus , nisi naturam radicitus extirpemus ; nec ullo modo coercere , quando constat eos natura ipsa ex opinatis bonis vel malis contra omnem rationem erumpere ; & si iis obsecundare voluerimus , næ nos stulti fuerimus , qui ei rei modum ponere velimus , quæ suapte natura infinitatem spectat , quæque minus coercita perpetuo adolescit . Quum autem maxima [illegible] pars aut amore , aut odio , aut spe , aut metu , aut cupiditate , aut aliis animi perturbationibus magis , quam ratione regatur , ac in id non libertatis imperio feratur , sed naturæ ipsius vi ac ingenio ; fateamur necesse est , naturam in nobis peccare , non rationem aut voluntatem . Quid , inquiunt , quod non fieri quidem potest , ut quum imperfecta & manca in nobis sit ratio , perfecta esse natura intelligatur ? Nam nostra omnis vis & natura in animo & corpore sita est ; animi vero in ratione & imperio : at quum hæc depravata sint , necesse est ipsa sit corrupta & depravata natura . Sed quam imperite hæc disputant ! Nam nul-

(a) Hic naturam id dico, quod Græci φύσιν , Scholæ *substantiam* : nam φύσιν perpetuo *naturam* vertit Cicero . Qui autem non voluntatem , sed *substantiam* in nobis peccare ajunt , eos Manichæos decernit esse Augustinus , ac reliqui veteres theologi .

la est totius humanæ naturæ pars (veterum Philosophorum descriptionem sequamur) tam structa sapienter, quam hæc rationis expers , in qua isti ponunt motus turbidos tum iræ , tum cupiditatis , contrarios , ut ajunt , inimicosque rationi ; id quod ego alio quidem in loco demonstravi , sed hic paucis retractabo . Quum homo totius universi pars una sit , cum toto suo congruat oportet, quoniam est illud tum in tota sui immensitate , tum in singulis partibus ordinatissimæ rationis & disciplinæ . Quare finitæ vis & naturæ esse debet : nam quod undequaque infinitum est , & absolutum , ipsum per se unum & totum est , nec ullius alterius rei pars esse potest . Ita fit ut nequeat ipse ad plenam beatitudinem sibi esse sufficiens . Ergo ut perfici , & beari , ita deterior , quam natura est , & infelicior extrinsecus fieri potest . Ex quo fit ut & cupiditatis , & iræ , ac metus particeps esse debeat , sine quibus nihil extrinsecus sequetur unquam , nihil refugiet , aversabiturque . Necessarium igitur est , ut hominis natura ex opinatis bonis , & ex opinatis malis agitetur , quo se ita componat , ut cum ceteris universi partibus harmonice consentiat , qua ex æqualibritate magna ejus exsistit vitæ tranquillitas & beatitudo . Agitetur autem , non leviter titilletur : neque enim nisi vehemens commotiones injicere potest , ut naturalem quamdam corporis segnitiem , & quasi pondus superare possimus , easque capere stationes , ac tueri fortiter ; quæ nobis conservandis , & perficiendis aptæ sint . Has commotiones affectus appellavimus . Quamobrem affectus sunt appetitus vehementiores , *quibus aut res naturæ nostræ consentaneas alacres consectemur , aut perniciissime adversas fugiamus . Itaque Stoici , qui mihi videntur in hac quæstione versari acutissime , partes affectuum volunt ex duobus opinatis bonis nasci , & ex duobus opinatis malis: ita esse quatuor : ex bonis cupiditatem , & lætitiam ; ut sit lætitia præsentium bonorum , cupiditas futurorum : ex malis metum , & ægritudinem nasci censent : metum futuris , ægritudinem præsentibus : quæ enim venientia metuuntur , eadem afficiunt ægritudine instantia . Lætitia autem & cupiditas in bonorum opinione versantur, quum cupiditas ad id, quod videtur bonum, illecta & inflam-*

ma-

mata rapiatur : lætitia ut adepta jam aliquid concupitum, efferatur & gestiat. Sed singulis affectibus partes ejusdem generis plures subjiciuntur, quas ego enumerandas hoc in loco non suscepi. Sunt igitur affectus naturæ quidam stimuli, &, ut ita dicam, machinæ moralis vectes, quos qui auferat, totam ille homini vim, qua quum est usus, agamus aliquid, aut fugiamus, abstulerit, eumque trunco, aut crudo lateri similiorem, quam animantem, effecerit. Quare in eo Stoicorum solitum acumen & judicium desideraverim, quod illi hæc sola ratione sine ulla perturbatione, idest sine ulla naturæ animalis commotione, ac constanter prudenterque fieri posse opinantur : ex quo illud efficiunt, nec necessarios esse hujusmodi in homine motus aversos, ut illi putant, a ratione; & naturæ esse morbos, qui in sapiente, qui cuncta ex ratione placide atque constanter agere debet, locum habere non debeant. Nam ratio si nihil naturæ nostræ cupit aut metuit, tranquilla est & placida, seque contenta, ut contra rationem sit, ullum eo tempore in nobis ciere motum : quum ergo nos concitat, cupit profecto aliquid, aut metuit : cupit autem quod deest bonum, metuit quod providet malum. Qui autem aut illud cupiat, aut hoc metuat, nisi persentiscat ? [illegible] est, nisi a natura moneatur. At natura irritatione loquitur, quæ sine affectu esse nequit. Ita fit, ut affectus sint veluti voces quædam naturæ aliquo deficientis, vel quidquam sibi metuentis, sine quibus ratio nequeat in nostri subsidium excitari. Porro semel irritatione excitata non quiescit, nisi quieta & tuta natura. Qua vero voce id significaret rationi natura, nisi voluptate & lætitia ? ergo & hanc quoque sentiamus necesse est. Quod si homini naturam doloris & voluptatis patientem nemo denegare potest, quin & rationis usum omnem auferat; consequentes vero sint doloris & voluptatis affectus; efficitur ut affectibus exstimulari debeat humana natura, quo ratio nobis utilis esse possit (a). *Itaque in tota ea disputatione labuntur Stoici.*

Ita

(a) Quare theologorum nemo dubitavit unquam utrumque & in innocente Adamo fuisse appetitum, concupiscibilem, & irascibilem. Non affectus intulit peccatum, aut naturam affectuum patientem, sed imperium abstulit, fecitque, ut falsis perturbaremur.

Ita ne tu , inquis , diſputas , quaſi nunquam extra virgulam turbidi , inconſtantes , averſi denique ab omni ratione proſiliant affectus ? Non id ego dico , mi VIVIANE : *proſiliunt enimvero ii in Adæ filiis , neque in eo quod omnes patimur , Stoicorum oratione egemus . Sed conſtituamus hoc in loco id , quod ad Dei erga nos benignitatem adſerendam in primis eſt neceſſarium , non ita nos procreaſſe , ut mali & ſcelerati neceſſario eſſemus , nec eſſe affectus a naturæ humanæ malignitate , ſed eſſe ei neceſſarios , eſſeque quaſi vectes , quibus aut ſuſtineatur fortiter adverſus ea , quibus deſtrui poteſt , vel a fine ſuo revocetur ; aut , quum eſt opus , agatur vehementer ad ea proſequenda , ſine quibus aut non eſſe poſſit , aut non bene beateque ; ac deinceps inquiramus in id diligenter , qua re fiat , ut tantæ ſint in maxima hominum parte , ac tam ſtultæ , & a natura ipſa deſciſcentes affectuum perturbationes . Quod niſi fecerimus , ne illud quidem intelligi poterit , quibus regulis , quave arte ad naturam poſſint affectus componi : neque enim tales ſunt , qui nullo modo infrænari poſſint , quum multi vehementes ſæpe cohibeant , quemadmodum ex tota conſtat hominum hiſtoria , nec raro ipſi impotentiſſimos experti & moderati ſ[illegible] videamus , quid illos tam ſæpe a natura averſos efficiat , quidque curatu , aut factu ſit opus , ut ad rationem exigantur , neque plebejam Terentiani Parmenonis diſciplinam vereamur ,*

. . . . . quæ res in ſe neque conſilium , neque modum
Habet ullum , eam conſilio regere non potes .
. . . . . Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere , nihilo plus agas ,
Quam ſi des operam , ut cum ratione inſanias .

Nam quid ille ſtultus , ſi ita ſe res haberet , nimendo Phædriam enecaret ,

Proin tu , dum eſt tempus , etiam atque etiam cogita ?

Superius demonſtravimus , affectus eſſe nobis a natura tributos , quo ita iis componeremur , ut cum rebus , quibus circumdamur , pulchre conſentiremus , qua ex harmonia vitæ noſtræ fieret tranquillitas & felicitas : ei quoque

que ut prospiceret & ratio est concessa. Itaque fit, ut tum affectus cum ratione consentiant, quum naturæ naturæque auctori præpotenti congruunt, idest quum & ex veris bonis, aut malis nascuntur, & iis æquales sunt, & consentanei. Ab ea regula quum exorbitant, tum perturbationes sunt, non solum non utiles, sed plurimum noxiæ: nam quoniam aut nullæ sunt extra nos res, a quibus proficiscantur, aut iis non congruunt; ex falsa bonorum aut malorum opinione excitantur: falsis vero malis natura nostra inutiliter afflictatur, nec falsis bonis perficitur. Duabus igitur ex causis affectûs falsi esse possunt ac pravi, aut quia ex confictis bonis vel malis progignuntur; aut quia veris minime pares, ut quum aut id, quod nusquam gentium est, cupio, vel metuô; aut quod est, magis aut minus vehementer cupio, metuove, quam id cupere, aut metuere par est. Utrumque item ex triplici fit causa, ignoratione, errore, difficultate: hæc vero ex negligentia, & prava educatione intenduntur. Nam qui & studiosi sunt earum rerum, sine quarum cognitione nemo bene vivere potest, & rite ac sapienter educati, ii & recte uti sciunt, nec facile decipiuntur; quia quum aliquid ignorant (nihil enim ignorare supra hominis conditionem est), judicium actionemque cohibere atque mature deliberare didicerunt, ac [illegible] ubi statim facto est opus, eam viam rationemque sectari, quæ similior vero esse videatur. Postremo si de recta labantur, quum initarum a se rationum pœnitere se nequeant, non valde [illegible] ut stulti, sese afflictabunt, quin sapientiores suo periculo facti, gaudebunt etiam. Huc ergo ego regulas omnes affectus secundum naturam ad civilem hanc felicitatem regendi confero, ut & addiscamus, quæ vere sint res eæ, quibus circumdamur, quibusque utendum est perpetuo, ac quatenus nobis bonæ vel malæ; & ut a primis vitæ nostræ annis assuescamus iis vivere consentanee; quarum regularum prior mentis, altera animi virtutem continet. Qua ex re illud efficitur, ut, quod sæpe diximus, bene beateque vivere nonnisi cum virtute possimus. Quumque & illa rerum cognitio comprehensioque, & hic rebus apte convenienterque vivendi habitus, studio & disciplina pluribus contigerit, illud quoque velim intel-

B 3

telligatur, non ita nos esse procreatos, ut virtutis hujus capaces esse nequeamus. Sed quoniam ab illa cognitione rerum, earumque nobiscum consensione, aut pugna, est præclara vitæ disciplina inchoanda, quæ si falsa fuerit, aut prava, depravatus sit animus necesse est, ut ex penitissima philosophia Terentianus Simo dixisse videatur, mala mens, malus animus; *videamus quæ sint illius præcipua præcepta, quibus necessaria nobis ad beate in Civitate vivendum virtus continetur, atque, si Dei favor afflaverit, gigni & perfici in nobis potest virtus altera divina, divinæque felicitatis appetens.*

Sed illud omnium primum accuratius perquiramus, subesse ne possint mentis imperio & regimini quum illæ propensiones, tum affectus isti & perturbationes? Id nisi constet, frustranea erit opera omnis, quæ in iis moderandis, & ad certam rationem inflectendis ponitur. Possunt autem in eo tria considerari: primum ut ne persentiantur; tum ut ne erumpant, quum necessarium non est; tandem ut loco, tempori, rebus denique, a quibus inflammantur, consentiant. Eorum primum omnino fieri nequit admotis animo rebus, præsertim in primis illis propensionibus: nam sunt, ut diximus, cum natura ipsa animali commixtæ, ac ita necessariæ, ut nec esse, nec concipi sine iis natura possit animantium. Scilicet quum finita sit animantium natura omnis, nec ipsa per se esse & conservari possit, necesse est indigeat, quo sit, rebus omnibus, quibus circumdamur, atque ab iis interitum timeat, si adversentur. Itaque ut ne ex eorum circum[illegible] amore & desiderio, aut timore & ægritudine afficiatur, non magis fieri potest, quam ut ne sit naturæ totius pars una, aut ut non sentiat, quod sentit. Quare in eo non magis adlaborandum est, quam ut ne agitabilis sit ignis, cujus in eo motu ac concitatione tota est posita natura. Duo reliqua fieri obtinerique posse, ii dubitabunt, qui sibi penitus sunt ignoti. Sed & ratio id confirmat. Namque nec erumpunt unquam, quum non est usus; nec a rerum natura discordant, nec longius, quam necessarium est, prætergrediuntur, nisi aut ignoratione, aut errore, aut quum primus ille fervor concitatioque animi inveteraverit, & tanquam in venis medullisque insederit; quæ

quo-

quoniam cavere possumus, si sapimus; rationis profecto regimini & imperio subjiciuntur. Idem tota nos docet hominum historia, quæ frequentia ejus, quod dico, suppeditat exempla, eorum, *qui & naturales propensiones intra positum iis a natura modum continuerunt, & cupiditati, iræ, metui, sæpe etiam cum vehementissime concitarentur, moderati sunt. Sed suppeditat sapientum, ut id quod superius animadvertimus, intelligere possimus, præclare a Stoicis dictum, omnium perturbationum (quo nomine intelligunt* aversas a recta ratione, contra naturam, animi commotiones) *fontem esse* intemperantiam, *quæ est a tota mente, & a recta ratione defectio, sic aversa a præscriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia, quæ aut sapientia est, aut ab ea efficitur, sedat appetitiones, & efficit, ut eæ rectæ rationi pareant, conservatque considerata judicia mentis: sic huic contraria & inimica intemperantia, quæ est ab inscitia & pravo habitu, omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. Itaque & non necessariæ ægritudines, & vani metus, & superfluæ cupiditates, & reliquæ stultæ perturbationes omnes gignuntur ex ea. Quemadmodum quum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, in co*[illegible]*nascuntur; sic pravarum opinionum conturbatio, & ipsarum inter se repugnantia, sanitate primum spoliat animum morbisque perturbat; deinde non adhibita continuo ratione, quæ sanet, permanat in venas, & inhæret in visceribus illud malum, exsistitque vitium, quod avelli inveteratum non potest, quodque totam deinceps vitam fœdat, & infelicitat.*

Porro hæc temperantia duabus a causis efficitur, rerum, ut dixi, cognitione & comprehensione, & vita secundum eam tempestive acta. In hoc prudens educatio, & præcox totius honestatis studium adhibendum; illud nostri, universi, Dei investigatione continetur. Nostri cognitio in eo præcipue elucere debet, ut quid in nobis sit necessarium, quantaque sit naturæ nostræ indigentia intelligamus, quo ei congruenter vivere possimus, ut scilicet nec valde turbemur iis, quæ præcaveri nequeunt, nec

careamus necessariis, nec superfluis luxuriemur. Nam & inutiliter iis nimium agitamur, quæ evitari nequeunt; & defectu non necessariorum stulte dolemus; & rerum superfluitate aut inutili cura angimur, aut pondere opprimimur, aut e nobis quasi egressi petulantissime divagamur, incerti quo quieturi. Qua si cognitione omnes peræque ac necessarium est, præditi essemus, essetque illa perpetua meditatione in naturam ipsam conversa, putas tu, mi VIVIANE, *aut ambitione nos contabescere posse, aut avaritia excruciari, aut ulla superflui libidine totos concitari? Putas aut otio, quum labore est opus, posse emarcescere, aut stulta necessariarum rerum effusione nos perditum ire? Sed nec senectus ipsa & mors denique admodum timebitur, quum in id nos esse genitos animadverterimus. Universi vero scientia paranda in id, ut & quæ vere sint, & quantum quæque res bonæ sint, vel malæ, addiscamus; ut nec quæ nusquam gentium sunt, cupiamus, metuamusve, nec plus, aut minus, quam concupisci, metuive merentur. Cujus scientiæ defectu quot stulte se afflictare videmus? Itaque eos ridemus, ac jure quidem & merito, qui capripedes Paniscos metuerint: qui porros magna religione coluerint: qui Lunæ, vel Solis defectu, velut emortuorum, misere ejulaverint: qui si mures soleas corroserint, expaverint: qui avium garritu aut volatu non privatas tantum res, sed ipsas in primis publicas regendas crediderint: qui si aut Sol alter in Cælo emicuerit, aut Cometes appāruerit, aut Septemtriones visi fuerint ardere, aut quidpiam aliud, quod natura fit, fuerint conspicati, toti exanimati contremuerint. Jam Dei, idest supremi naturæ totius artificis & moderatoris, cognitio, ad eam, de qua disserimus, temperantiam in nobis procreandam, alendamque, prima est, ac præcipue necessaria, ut nempe sciamus & eum esse, & infinitæ esse intelligentiæ, potentiæ, bonitatis, & ab eo rerum universitatem effectam esse, & sapientissime procurari, nosque ita progenitos, non ut brevi tantum præsentis vitæ curriculo spem omnem vel metum concluderemus, sed ut nunquam interituri æternitatem spectaremus: qua cognitione qui destituuntur, spem omnem metumque intra præsentis vitæ ambitum coercentes, in prosperis quidem*

dem rebus toti diffluunt, ac dissipantur; in adversis vero ægritudine & dolore enecantur; utrisque nempe pereunt miserrime, nec illud præclarum totius vitæ gubernaculum adhibere sciunt, quod Flaccus noster eleganter ait,

Sperat infaustis, metuit secundis
Bene præparatum pectus.

Quare ego nihil æque necessarium ad bene beateque vel in præsenti vita vivendum esse censeo, quam rite & præclare cum Deo agere; quin ita mihi persuasi, atque ex veteri, aut peregrina historia didicisse arbitror, ne cum hominibus quidem honeste & sapienter eum victurum, qui hominum illum parentem & gubernatorem aut ignoret, aut non, ut par est, tota mente ac animo complectatur, atque ex divinis formulis veneretur.

Hæc, quæ disputata sunt, eo pertinent, ut eos, qui a rerum natura in nobis dolores & perturbationes sæpe progignuntur, aut caveamus, aut, ubi id fieri omnino nequit, in minorem, quoad fieri potest, numerum conferamus, eosque fortiter ferendo extenuemus, quo bene ac beate vivamus. Sed restant infinita pene dixerim mala, quæ non a Natura, sed homini sunt ab homine. Nam non a natura, sed a voluntate est humana, ut mentiamur, circumscribamus alii alios, dolis atque insidiis decipiamus, & spoliemus, [illegible] perpetuo bello simus, & affligemus: ut ineptissimas etiam causas sumamus, quibus ferociamus, immanes simultates & inimicitias geramus, conferamus inter nos bella, expugnemus atque evertamus civitates: ut hominum macella, & amphitheatra nobis constituamus, loca sanguinis & publicæ impietatis, ubi mandi homines cernamus jucundissime, & bestiarum laniatibus dissipari. Brevi, insidiæ, fraudes, doli, avaritia, rapinæ, vis, scelus, audacia, obscœnitas, turpitudo, flagitium, mala omnia cetera, quæ toto in orbe homines mente noxia pariunt, homini sunt ab homine. Est quisquam, qui in his, ubi nulla etiam sint alia a natura mala, beate esse & vivere possit? Quare viro, qui ex recta ratione, non aut ex sensu, aut ex imaginatione felicitatem suam metiatur & sequatur, in eo operam ponere debet præcipuam, ut

hæc,

hæc, quod ad se spectat, nulla sint. Id justitia & amicitia procuratur; quarum altera efficit, ut neminem lædamus, suumque jus integrum cuique esse sinamus; altera, ut quocumque modo possimus, aut consolando, aut consilio, aut re, ut Terentianus Menedemus ait, juvemus. Ac neminem quidem lædimus, quum nulli quidquam injusti doloris inferimus, ut quum nihil quod ad alterius animum, corpus, famam, bona, justam spem pertinet, deterius efficere studemus: nam inde dolere homines solent. Suum vero jus cuique tribuimus, quum quod quisque aut a natura, aut ab arte sua & industria, aut quocumque modo, quo aliorum jus violatum non sit, habet, eo uti fruique sinimus, atque si læserimus, in integrum restituimus. Omnibus tandem amici sumus, si non dubitemus cum iis, quoad scimus, ac possumus, animi, corporis, fortunæ bona communicare, qua mutua aliorum cum aliis bonorum accessione fit illud in societate prope divinum, ut singuli homines tantum sciant queantque, quantum omnes conjuncti, & copulati.

Quamobrem tute ipse intelligis, mi VIVIANE, quas ego primas atque insitas naturæ rationalis leges habeam; nempe non plures, quam has duas: DEO, TIBI, RELIQUIS HOMINIBUS SUA JURA TRIBUITO: IIS ESTO AMICUS. Sed qui tandem hæc jura tribuemus? nimirum [illegible] vitæ nostræ rationes instituerimus, ut Dei, nostri ipsorum, aliorum juribus congruenter vivamus, quod est naturæ, ut ego interpretor, convenienter vivere, sine quo nec esse, nec bene beateque esse possumus. Ut, e. g. quoniam Deus & supremus omnium imperator est, & gubernator, & parens; imperatori serviamus, gubernatori simus obsequentissimi, patrem amemus, ac vereamur necesse est, si naturæ congruenter, quod maxime nostra interest, quodque sæpe dictum est, vivere amamus. Cum quandoquidem nihil nobis natura arctius conciliat, quam nos ipsos; fit ut natura ipsa nobis amicissimi simus: amicus vero nemo sibi est, qui non ea, quorum accessione pejor fieri potest, caveat, sequaturque ea, quibus perfici; ac bene beateque esse potest. Tandem ea est nostri natura, ut nec solis nostris ac privatis bonis vivere possimus, nec, si possimus, bene ac beate possimus: ita fit

ut

ut alii aliorum communicatione bonorum egeamus ; quæ esse nequit, nisi ita omnes comparati simus, ut non modo neminem lædere velimus, sed omnibus & esse velimus, atque simus amici. Si quis est omnium qui hæc & sæpe secum consideret, & in succum, ut dicitur, & sanguinem convertat, & secundum ea vitæ suæ rationes instituat, eum ego sapientem esse dico, eamque adeptum temperantiam, sine qua neminem esse posse beatum præclare Stoici docent.

Quibus ex rebus & illud conficitur, esse in natura ipsa regulas, quibus justum ab injusto, honestas a turpitudine secernatur. Nam quin convenienter naturæ vivere totius hominum generis felicitatem faciat, superius demonstrata ne dubitemus nos prohibent: quod vero non singulorum, sed totius hominum generis felicitati conveniens est, id suprema est totius generis humani lex; cui propterea quod congruit, idest generis humani justum & honestum; ut quod cum ea pugnat, injustum & turpe. Quemadmodum quum salus publica summa sit cujusque populi lex, quod decemvirales Romanorum leges præclare sciscunt; ea est quoque justi atque injusti, honesti & turpis cujusque populi regula. Quare ut in privatis Civitatibus nequit vera utilitas, idest civitatis felicitas, cum honestate contendere; ita ne potest quidem in magna totius Telluris Civitate. Itaque accepimus, Socratem solitum exsecrari eos, qui primum hæc naturæ cohærentia, opinione distraxissent. Cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut etiam, quidquid justum & honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quidquam, quod nec justum, nec honestum.

Nec vero Naturæ tantum sunt hujusmodi leges, sed divinæ, ut non utilitas modo generis humani ad eas servandas incitare nos debeat, sed in primis pietas & religio adversus Deum. Nam ita Deus totam rerum Naturam construxit, ut ea legibus immutabilibus regeretur, & contineretur. Ejus Naturæ homines portio una sunt: itaque iis naturaliter subjiciuntur. Quum autem rationis sint participes, ut & eas leges intelligere, & ad supremum Dei in tota Natura imperium referre possint; oportet ut & libenter iis obsecundent, pareantque, ne si

aut

aut contempſerint , aut repugnaverint , perduelles ſint , magnoque obnoxii ſupplicio .

Sed quo hæc explicemus diſtinctius , repetamus paullo altius , ut ita intelligamus apertius , quibus nos Naturæ legibus ſubditi naſcamur , quibus parendum omnino eſt , ut & eſſe , & beate eſſe poſſimus . Homo & res una eſt totius univerſi , & ſibi copulatum adnexumque corpus habet : idem & vegetatur , ut plantæ , & ſentit vivitque , ut ceteræ animantes : jam & rationis eſt particeps , & generis humani pars una : poſtremo peculiaris alicujus Civitatis civis , aut ſubditus , aut imperans , aut parens , aut liber , aut alio quocumque in ſitu poſitus . Hæc , quæ re copulata ſunt , cogitatione differunt , ſuntque ab iis ſecernenda , qui , quibus Naturæ legibus naturaliter homo ſubjiciatur , contemplantur . Nam ſubjicitur quidem pluribus etiam nolens : ſed moralibus ut volens ipſe ſe ſubjiceret oportebat . Ac quia res univerſi aliqua eſt homo , rerum legibus metaphyſicis ſubditur naturaliter , ac volens nolens : Hæ leges ad omnes peræque pertinent res , nulla res poteſt ſimul eſſe & non eſſe : nihil eſſe aliud poteſt , quam id , quod eſt : nulla res ex nihilo ſuapte natura eſſe poteſt , aut in nihilum reverti . *His igitur homo , quia res una , natura ipſa ſubjectus eſt . Jam quodcumque corporeum eſt* , impenetrabile , diviſibile ac corruptibile , mutabile , grave , iners &c. *Eæ ſunt genericæ & naturales corporum leges ; quibus , quum & homo corporeus ſit , eſt natura ipſa obnoxius . Tum plantæ naſcuntur aut e ſeminibus , quæ augmentum extrinſecus capiunt , aut ex naturæ quibuſdam archetypis & formis , quæ ſeſe externa vi ſubagitatæ explicant , & nutriuntur , vegetanturque , & conſeneſcunt , ac poſtremo intereunt : aëri , igni , Naturæque elementis aliis ſunt ſubjectæ . Sunt eæ plantarum leges : iis igitur & nos ſubjicimur naturaliter* (a) , *quatenus plantarum ſimiles ſumus . Præterea animantium omnium communes leges & a natura poſitæ , ſunt , ut voluptatem & dolorem*

(a) Nam primi mortales privilegio ac gratia , non natura exempti . Quo privilegio peccando deſtituti , in naturam iterum rediere ipſi per ſeſe .

rem persentiscant, ut qua vi maxima queunt se conservent: ut coitu utriusque sexus genera propagent: amore prolis tangantur: metu, ira &c. concitentur. Ex & homines quoque rapiunt, quia animantes (a). *Postremo mentes ratiocinio omnes utuntur, antecedentia nimirum & consequentia pervident, causas & effectus internoscunt, rerum fines prospiciunt, media eligunt, deliberant, sui juris sunt &c. Sunt hæ animorum leges: at sunt homines quid aliud, nisi animi rationis participes, corporibus utentes? ergo & animorum legibus subditi natura sunt. Sed istiusmodi homines similes natura procreantur omnes, atque ad mutuam societatem ineundam aptissimi; ac ita ut sociati sibique amici, felices esse omnes possint* (b); *segreges atque sibi inimici, miserrimi: iidem soli ex omnibus animantibus sentiunt, quid sit ordo, ac decus in societate; quid omnibus utile, aut noxium, quid justum, aut injustum, honestum, aut turpe. Quæ hinc nascuntur leges, ad omnes pertinent homines, quarum summa est, totius generis humani felicitas. Ea sunt* jura gentium, *quæ proinde eos omnes, qui nihil a se humani alienum esse putant, sancte servare, jus fasque est. Ob eandem rem, cives peculiarium civitatum, quarum suprema lex est* salus publica, *cujus & necessitatem intelligunt, & causas earum Civitatum legibus ita sese subjicere debent, ut legibus ejus Civitatis, quæ tota Tellure comprehenditur. Inde quoque fit, ut quoniam singulos hominum status sua jura sequuntur, sintque alia imperantis, alia subditi, alia magistratuum, alia civium, alia parentum, alia liberorum; iis omnibus apte convenienterque vivant necesse est, ut integræ Naturæ (quod factu est opus, ubi bene beateque esse velint) congruenter vivant. Servabunt autem hujusmodi leges, si nihil, quod cum illis pugnat, moliantur: contra faciant ea omnia, sine quibus illæ, quo tendunt, ire nequeunt: tendunt vero, mi* Viviane, *quum ad singulorum, tum ad omnium conservationem & felicita-*

(a) Vide quæ dicta superiori adnotatione.

(b) *Animalis* hominis felicitatem specto, non *spiritalis*. Hujus ab alto est, præterque naturam. Id quamquam dictum sæpius, tamen dicendum ad ravim, propter eos, qui male audiunt.

tatem. Præterea ita ſervabunt, non quaſi fato aliquo rapiuntur, ſed ut qui ſupremo totius naturæ opifici, & moderatori pareant libentiſſime: nam ab illo ſunt poſitæ: ille eſt earum & auctor & vindex. Quas quum & didicerint accurate, & uſu ipſo in naturam converterint, tum illi ſe probe compoſuiſſe ſciant, eamque adeptos, quam ſupra diximus, virtutem, & temperantiam, ſine qua nemo non modo beatus, ſed ne ullus quidem eſſe poteſt. Sed videor longius progreſſus, quam quod per epiſtolam licebat. Quare te rogo, mi VIVIANE, *ut hæc etiam atque etiam tecum ipſe conſideres: per enim velim tibi ſic perſuadeas, me nullius hominis, his præſertim in rebus, judicium pluris facere, ut ſi probaveris, ſcito me nulla re magis ſuperbire poſſe: ſin improbaveris, nemimem eſſe, qui ſeverius damnet. Ceterum cura ut valeas, & me ames, & ſic habeas, te a me fraterne amari.*

Neapoli Anno Epochæ Chriſtianæ 1752.
pridie Kalendas Septembris.



DISCIPLINARUM METAPHYSICARUM

PARS IV.

De principiis legis naturalis, ac de officiis, quæ inde manant.

PRÆFATIO.



Rincipiorum legis naturæ perquiſitionem ad eam Philoſophiæ partem pertinere, quæ Metaphyſica appellatur, conſtat jam inter omnes. Igitur quo pleniorem habeant tirones Philoſophi hujuſcemodi rerum inſtitutionem, hunc libellum, quem ego plures ante annos in ſcholæ uſum ſcripſeram, velut appendicis loco diſciplinis Metaphyſicis addam. Brevior is quidem eſt, quam ut iis facere ſatis poſſit, qui paullo ſunt in hac ſcientia verſati: ſed ſi opuſcula noſtra in eorum manus deveniant, ii meminerint, nos adoleſcentes inſtituendos ſuſcepiſſe, non doctos: eos autem ſatis inſtituiſſe arbitramur, ubi primis utilium rerum rudimentis imbuerimus. Sæpe enim edixi, ac dico iterum, quum totam Philoſophiam,

tum

tum hanc præsertim subtiliorem, non tam lectione, quam meditatione confici. Ac mea semper sententia fuit, obesse his in rebus plurimam lectionem, qua oneratur magis memoria, quam mens illuminatur. Quum hæc principia in societatem humanam derivanda sunt, usuque comprobanda, tum vero tandem naturæ & hominum historia perdiscenda est; id quod nec fit, nec rite fieri potest, nisi quum non ingenii tantum vires, sed in primis judicium plurimum adoleverit. Quare fit, quod dixi, pauca, eaque electissima, facilique via & ratione, philosophari incipientibus esse proponenda, ne ingenii nativa vis, ardorque indagandi retundatur. Ea, qui profecerint, longiusque processerint & ætate & doctrina, ipsos per se augere, ornare, & in publicam utilitatem convertere oportet.

Mirabuntur autem fortasse nonnulli, quid causæ sit, cur & de natura Dei in hoc libello disseram, & ab eo jus naturale repetam: nam & de his in superioribus luculenter & copiose actum est, metuoque ne moleste; & quosdam esse constat, qui quum jus in natura esse docere instituunt, adeo sibi confidunt & naturæ, ut cum Atheis rem nullam habere velle aut debere edicant. Sed qui ita prædicant se totius rei, ad quam explicandam aggredimur, ignaros profitentur. Nam & oportuit hanc tractationem, quam ego alia ratione & via, quam superiora, conscriberam, e suis principiis proficisci; & nullum esse in natura jus potest, nulla esse a natura ipsa constituta justitia, nihil natura honestum aut turpe, ubi aut Deus non est, aut rerum humanarum nullam habet procurationem. Itaque id quum excidisset Grotio, viro alioquin erudito & perspicaci, in doctorum omnium virorum reprehensionem incurrit. Ac vero, nisi vocabulis, quod gravissimis in rebus jamdudum facere consuevimus, nobis illudere velimus, jus illud quod *cogens* dicitur, lex, quæ honesta jubet, vetatque contraria, esse nulla potest toti hominum generi communis, nisi totius humani generis supremus sit aliquis legislator: nec vero, ubi Deum sustuleris, est alius totius hominum generis imperator. Natura enim, quæ dicitur, a Dei vi & imperio

rio ſegregata, aut cujuſque eſt ſingularis natura, a qua nemini quidpiam imperari poteſt; aut mera mentis humanæ notio effictaque atque a rebus ipſis abſtracta; aut vis & poteſtas corporei mundi, quæ neminem, præterquam amat & vult, cogit ad officium. Accedit, quod opinio Dei, & legis alicujus naturæ adeo apud omnes homines reciprocantur, ut alterum ſine altera nemo unquam abſtulerit. Vetus inſipiens, de quo David, Deum abſtulit: inde *corrupti facti ſunt, & abominabiles dies ejus*; quod nullo ſcilicet jure ſe teneri amplius arbitratus ſit. Theodorus Atheus, de quo plura Laërtius, cum Deos ſuſtuliſſet, id quod erat conſequens, nihil natura turpe aut honeſtum, nihil juſtum aut injuſtum eſſe docuit. Exterminavit ex mundi cura Deum Epicurus: ſed idem poſuit, ſolam eſſe utilitatem juſti & æqui matrem. Quocirca perſpecte Cicero animadvertit, Deo, aut providentia ablatis, ne juſtitiam quidem ullam ac fidem inter homines eſſe poſſe. Idem vero tractationem de Legibus a Deo auſpicatur: quod & egerat Plato, quem ille iis in libris imitandum ſuſcepit. Jam novelli homines, qui juri naturæ nervos omnes incidere conati ſunt, in primis profani illi Hobbius, & Spinoza, Athei fuiſſe convincuntur. Ad hæc, niſi Deum eſſe omnibus in civitate vitam ſocialem degentibus ſit perſuaſum, parentem nimirum omnium ac dominatorem, non poteſt, quod per ſe eſt perſpicuum, niſi ſola utilitate juſtum ab injuſto ſecerni. Qua doctrina nihil eſt peſtilentius, atque ad homines adverſus homines armandos accommodatius; nihil civitati, totique adeo hominum generi infeſtius. Id quod videmus continenter contingere ubicumque aut in integris ſocietatibus, aut in privatis hominibus, ea prævalet legi & rationi. Itaque conſtituendum eſt, juſtitia & honeſtate veram quidem utilitatem effici; ſed longius tamen eam repetendam, quam ab utilitate: utilitatem potius ex informatis legis naturæ notionibus, ideſt ex anticipata juſtitia & honeſtate finiendam. Quamobrem quamquam mea ſemper ſententia fuit, quæ honeſta, eadem eſſe & utilia, nec turpia & injuſta vere utilia;

tamen ita hæc tradenda ſunt, ut intelligatur ab honeſtate veram utilitatem naſci, non contra, honeſtatem utilitate metiri; adeoque regulam honeſti & juſti omni eſſe utilitate antiquiorem. Unde autem ea, niſi a præſtantiſſimo naturæ legislatore repetetur? Non ignoro eſſe pleroſque, quibus placet legem naturæ eſſe eas naturæ humanæ *inclinationes*, appetituſque, quibus naturaliter ad objecta nobis naturæque noſtræ perficiendæ & explendæ conſentanea ferimur: alios, qui *rationis rectæ dictamina* legem naturalem appellant, viros in primis acutos & doctos. Sed quoniam lex proprie dicta nulla eſt ſine obligatione morali; neque hæc niſi ab imperante; nec natura ſejuncta a Deo imperat quidquam, tametſi plurimum pluribuſque modis nos commovere poſſit; naturæ illæ propenſiones, aut rectæ rationis dictamina, principia quidem eſſe poſſunt legis alicujus naturalis *cognoſcitiva*, ut vocant: lex certe non ſunt, niſi hoc vocabulo turpiſſime abuti velimus, aut morum leges cum legibus corporum inſcite perturbare. Quibus ex rebus conficitur, a natura Dei omnem de lege ac jure naturæ, & moribus, diſputationem ſuſcipi inchoarique oportere.

Noſtræ igitur tractationis hæc erit via & ratio. Principio in naturam ipſam humanam inquiremus, oſtendemuſque hominem, qui nunc eſt, natura ipſa beatum eſſe non poſſe, nec ſine lege directrice ad beatitudinem ſeu naturalem, ſeu alterius vitæ, recta unquam contendere. Tum hanc legem exigere legislatorem ſapientiſſimum. Tertio præſtantiſſimam hanc Mentem exſiſtere, atque ab ea toti hominum generi legem inſitam, eaque ſapienter conſultum. Quarto eorum ſyſtemata refellemus, qui quum jus naturæ explicare vellent, ſtirpitus evellerunt. Quinto eorum opiniones ſuper principiis juris naturæ *cognoſcitivis* perpendemus, qui maxime celebrantur, probarique a pluribus ſolent, unaque opera notiones primas legis naturæ expediemus, ac regulas paucas & genericas trademus, quibus legem illam naturæ ſingulis obvenientibus ſpeciebus adaptare poſſimus. Quibus omnibus, quaſi ſcilicet pro ſpecimine, alterum libellum addemus,

mus, quo quemadmodum ex iis fontibus officia ducantur, paucis explicaturi sumus.

CAP. I.

Quod homo, qualis nunc est, solis naturæ suæ viribus nequeat esse plene beatus, quodque egeat ope Entis intelligentissimi, potentissimi, optimi, ut possit ad hanc beatitudinem contendere.

§. I. QUum Elementorum angustiæ prohibeant, quæ super hac re sparsim copioseque alias commentati sumus, in hunc locum conferre, eos oro, qui legunt, ut hujusmodi propositiones ipsi per se latius diducere velint, ac in se & natura sua experiri versareque diu. Nam quamquam nos, quum hæc lucubraremus, naturam ipsi nostram ob oculos haberemus; existimamus tamen nihil nos ab humano ingenio alieni habere: & propterea haud difficile esse ex sua quemque conscientia, eorum, quæ dicturi sumus, uberiores rationes haurire posse.

§. II. Mens hominis non est infinita: brevissima potius est, multiplicibusque erroribus subjecta, atque in eo potissimum decipi potest, ac decipitur quotidie, quod ad cognitionem spectat boni & mali. Itaque in tota hominum vita videre est passim bona pro malis, mala pro bonis traduci. Non est ut hujus propositionis argumenta longius repetamus; intima enim ac domestica cujusque experientia patet. Communi quoque hominum omnium sensu & vita comprobatur. Quod si quis ejus rei plenius convinci velit, una pulcherrima schola humana erit historia.

§. III. Oblatis animo formis boni vel mali, naturaliter in homine appetitus, vel aversationes, nascuntur, & quidem necessario, atque in ratione bonorum, vel malorum objectivorum. Instar axiomatis habeo, quod æque in cujusdam positum est conscientia (*a*).

 Vi-

(a) Appetitus animalis consequitur formam apprehensam, *S. Thomas* 1. *p.* *q.* 78. *art.* 1. *ad* 3. *Sancti Augustini dictum est*, impossibile est non tangi pulchre visis.

Videri possunt quæ ea super re edisseruimus in tertia parte Elementorum, quo in loco humanæ libertatis imperium, ac fines explicuimus. Ne cui autem scrupulus ex vocabulis incessat, animadvertat quæso, nos desideria & aversationes ab electionibus voluntariis, qua illæ reguntur, discriminare; ac desideria quidem appellare primas illas naturæ nostræ commotiones atque excitas propensiones erga bona cognita, aversationes, commotiones ac horrores immissos a cognitis malis. Vocari ab aliis solent *sensitivæ* naturæ affectus. Electiones liberas dicimus voluntates. Desideria, & aversationes ex opinabilibus bonis vel malis concitatas in necessariis naturæ nostræ (hypotheticis) motibus, quibus interdum corripi solemus ante omnem consultationem & liberam electionem, idcirco ponimus; id quod quum intimo cujusque sensu, tum tota hominum vita, ac magna omnium consensione comprobatur.

§. IV. Desideria & aversationes quum sunt in potestate rationis, sunt voluntatum liberarum motiva. Id patet experimento humanæ vitæ: nemo enim quidquam eligit libere, nisi quia appetit: nemo rejicit, nisi quia odit aversaturque. Ac quando indifferentia eligimus, aut recusamus, si nulla alia adsit nobis boni vel mali ratio, adeoque appetitus, vel aversatio, hoc ipsum eligere, vel recusare appetimus, amamusque. Fallebantur profecto Stoici, quum sapientem sola ratione, nulla vero animi appetitione, omnes actiones suas regere oportere docebant: aut nisi fallebantur, quod similius vero est, imperitis imponebant. At enim ita plene sapientes essemus. Respondeo hujusmodi sapientes nec natura progigni, nec Philosophorum scholis effici: est enim divinæ, non humanæ institutionis. Quid quod ratio ipsa non videtur nos determinare ad agendum, aut cessandum, nisi voluptate, aut dolore, idest præmio, vel pœna propositis? Id cuique per se intimius exploratum esse potest, si singulas suas actiones perpendat. Ejus autem rei ratio est, quod natura nostra beatitudinem, seu animi perfectam quietem & voluptatem, continenter quærit. Itaque ubi a desiderio vel aversatione solicita est,

quie-

quietem expetit, vel ad objectum desiderii sese determinando, vel ab objecto aversationis se avertendo. Quumque nulla objecta finita plene eam perficere possint; inde & illud est, ut perpetuo anxia sit, atque inconstans per plurima divagetur. Ceterum non ita hæc propositio intelligenda est, quasi hæc motiva necessario nos determinent: nam quum objecta desideriorum nostrorum & aversationum, si ipsum bonum, & ipsum malum excipias, finitæ sint actionis, voluntatem cogere nullo modo possunt, quæ infiniti est appetens. Itaque etsi voluntas secundum ea a ratione determinetur; non tamen necessario, sed libere determinatur, magis ut experiatur, quam ut his sibi satisfaciat (*a*).

§. V. Actiones hominis liberæ, quum externæ, tum internæ, ad præscriptum liberarum voluntatum nascuntur, neque sine voluntatibus esse aut intelligi possunt. Externas & internas *liberas* memoro: quia machinales quum usum rationis & consultationis prævertant, a voluntate non proficiscuntur. De iis igitur nihil attinet ad nos dicere: legibus enim machinariis, non moralibus reguntur. Porro hæc propositio ex iis est, quæ loco axiomatis haberi debent. Quæ enim actiones non sunt voluntariæ, earum ne ratio quidem principium est: quæ vero sine ulla voluntate & ratione actiones fiunt, mechanice fiunt, non libere.

§. VI. Homo potest operari erronee. Nam potest percipere bonum pro malo, malum pro bono (ex §. II.), indeque exsistere appetitus mali pro bono, boni aversatio pro malo (ex §. III.): & voluntas efficiendi malum pro bono; bonum fugiendi pro malo (ex §. IV.): ex quibus operationes exsistunt erroneæ

(a) *Sunt igitur humanarum æque ac divinarum rerum ii imperiti, qui timent, ne si quid amore vel odio permoti agamus, minus simus liberi. Quod si est, qui Deum oramus,* ignem tui amoris in nobis accende? *Qui non illud veremur*, Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet illam? *Interea hæc reformidant quidam, iique, si superis placet, Theologiæ succenturiati.*

neæ (ex §. V.) : ideſt minime naturæ ſuæ & fini conſentaneæ.

Coroll. Prima igitur peccatorum vitiorumque cauſa eſt ignorantia & error : altera falſi appetitus, ſeu falſi affectus.

§. VII. Beatitudo poſita eſt in conſcientia voluptatis undique perfectæ. Axioma eſt, ſuper quo nulla eſſe poteſt Philoſophorum controverſia. Fruſtra autem eſt diſtinguere inter voluptatem animi & corporis : voluptas enim non eſt, niſi animi : cauſas tantum voluptatis ita partiri poſſumus, ut aliæ ad animum, aliæ ad corpus referantur. Itaque veterum Philoſophorum concertationes *de fine*, niſi (quod ego opinor) ſuper cauſis efficientibus verſatæ omnes fuerunt (*a*), ineptæ profecto fuere : nam finis hominis non poteſt alius eſſe, niſi perfecta animi quies, ac plena & ſtabilis voluptas. Quæ autem hanc beatitudinem efficiant cauſæ, id ſi illi inquiſivere contentioſius, operæ pretium fecerunt : eſt enim humanæ vitæ præcipuum. Quamquam admiratione dignum videri poteſt, viros alioquin acutiſſimos non ſatis ſenſiſſe, certis nos atque in natura noſtra infixis miſeriæ cauſis agitari omnes, nullamque habere in nobis, aut iis, quæ nos circumſtant, rebus, opem, qua ita nos ac naturam noſtram perficere poſſimus, ut plene ſimus beati. Niſi fortaſſe id ſenſerunt quidem (ſunt enim eorum præclara quædam ſuper hac re effata) ſed ſuſceptam ſemel diſputationem, ut erant illi ad ſeſe mutuo conficiendos animati, ex uſu ſcholarum magis, quam ex veri amore perſequi voluerunt.

§. VIII. Miſeria poſita eſt in conſcientia doloris & perturbationis. Eo major autem eſt hujuſmodi miſeria, quo dolor & perturbatio majorem habent intenſitatem & durationem; minor, quo minorem. Propoſitio eſt, cujus evidentia ex ſuperiore axiomate manat. Quoniam enim beatitudo poſita eſt in conſcientia voluptatis undique perfectæ, ac quidquid a beatitudine deſciſcit, id miſeria eſt; ſequitur, eum eſſe miſerum, qui ani-

(a) *Vide Cic. de Finibus lib. v.*

animi dolore, ægritudine, atque quacumque perturbatione agitatur. Inde fit, ut quum Deus sit beatissimus, omnia ex illo hæc exulare necesse sit.

§. IX. Homo factus genitusque ad beatitudinem a natura videtur. Homo natura sectatur voluptatem, & vehementius majorem, perfectissimam necessario, idest tota sua natura & vi. Idem vero aversatur dolorem, & quidem majorem magis, maximum necessario; ac tota sua natura. Sunt hæc cuiquam ex intimo sui sensu nota. Quum autem beatitudo sit posita in statu voluptatis undique perfectæ (7), miseria in statu doloris & perturbationis (8); sequitur, hominem beatitudinem quidem necessario, idest tota sua natura, consectari; aversari vero miseriam. At quod tota vi & natura nostra sequimur, & in quod naturaliter tendimus omnes; in id profecto a natura sumus geniti. Cur nemo, inquit aliquis, id adipiscitur, ad quod omnes geniti sumus?

§. X. Qui operatur erronee ac præpostere, non potest beatitudinem aut adipisci, aut conservare, etiamsi adeptus fuerit. Nam quum malum pro bono amplectatur, bonum pro malo aversetur, qui erronee perverseque operatur; & dolor, adeoque miseria ex malo, voluptas & beatitudo ex bono nascatur suapte natura (3); is recta miseriam petit, beatitudinem vero fugit, qui erronee operatur.

§. XI. Qua ex re hæc sequuntur consectaria. Primum, ut qui magis errat, magis etiam miseriæ sit obnoxius: minus, qui errat minus. Quum autem qui magis sapiens est, minus erret; efficitur, aut qui magis sapiens est, minus miseriæ sit subjectus. Tum, ut nisi quis sapientissimus sit, ut nunquam erret, is primam hanc miseriæ causam vitare nullo modo possit. Nihil clarius hanc propositionem demonstrat, quam stultarum nationum vita inops, ferox, inhumana, ærumnosa, misera denique.

§. XII. Homo suæ relictus sapientiæ nequit esse omni ex parte beatus: atque hæc est prima miseriæ humanæ causa, eaque cum natura ipsa nostra cohærens. Nam cum homo non sit infinite sapiens (9), ac ne

esse quidem κατ' ουσιαν, *essentialiter* possit; errori subjectus est, ac propterea miseriæ (10). Est autem prima hæc, ut dixi, miseriæ nostræ causa naturæ ipsi infixa, &, ut ita dicam, *essentialis*. Quando autem ei essentialis esse nequit sapientia infinita; essentialis erit defectus a summa illa & absolutissima intelligentia: unde quoniam natura ei adhæret hujusmodi malum *metaphysicum*, ut Leibnitiani vocant: natura quoque hæc illi miseriæ causa adhæret, ac penitus est infixa.

§. XIII. Qui nec in se undique perfectus est, atque αυταρκηστατος, *se contentissimus*, ut nihil sibi desit ad perfectam naturæ plenitudinem; nec infinitæ potentiæ est, ut possit id omne efficere, quod maxime cupit, ut & se plene perficiat, & adversa omnia potentissime removeat, is hinc quoque miser necessario est, si naturæ & potentiæ suæ relinquatur. Nam is & non habet in se voluptatis plenæ causas sufficientes; & vi destituitur, qua ægritudinem, dolorem, perturbationes a se amoliri possit. Itaque & natura sua impar sui est desiderio; & omnimodis torquetur affectibus, qui ex natura imperfecta, nisi potentissima vi sustinetur, necessario erumpunt.

§. XIV. Homo, & finitæ est naturæ, ut non sit sibi ad beatitudinem sufficientissimus; & imbecillis, ut non possit ipse per se mala omnia propulsare: itaque quum sibi plurima deesse persentit, tum plurima cupit, quæ efficere nequit. Quocirca ex binis etiam hisce causis sibi suapte natura adhærentibus, nisi aliunde perficiatur, & juvetur, miser est. Ac necessario miser est: nam nec potest non sentire, quæ sibi desunt; nec, quum beatitudinis, idest infiniti boni, natura sit appetens, non ea cupere necessario, quæ sibi desunt; nec tandem non ea velle propulsare, nec interim posse, quæ ei mala undequaque accidunt, imminentve.

§. XV. Confectum est, si quid cerno, hominem, qualis nunc est, ipsum per se necessario esse miserum, & quidem ex triplici fonte. Nam nec infinite intelligens est, ut possit omnem errorem evadere: nec infinite perfectus, ut ipse sibi ad beatitudinem sufficiat:

nec

nec omnipotens, ut queat & quæ concupiſcit, omnia conſequi, & quæ horret, omnia a ſe removere (*a*). Poteſt is quidem (idque humana ſapientia perſonat) & dare operam, ut minus erret, quominus ſit miſer: & ad naturæ indigentiam ſuas cupiditates adducere, quominus torqueatur: neceſſaria mala fortiter ferre, quominus ſentiat: voluntaria vero ſapientia & prudentia vitare, ut ne magis etiam miſer ſit, quam natura eſt. Sed ut ſuæ relictus naturæ, nec erret unquam, nec ullis cupiditatibus agitetur, nec mala, ſaltem neceſſaria, ſentiat, id vero efficere nullo pacto poteſt. Quam ob rem perridiculi mihi Stoici fuiſſe videntur, qui eo hominem ſophiſmatibus ſuis evehere conabantur, quo ire tota reſiſtit natura. Quaſi ſcilicet qui natura & neceſſario miſeri ſumus, ut demonſtratum eſt, phantaſia, velut noctambuli, beati eſſe poſſimus. Re enim, non imaginatione, hæc nobis beatitudo concilianda eſt, ſiquidem ullius futura eſt pretii.

§. XVI. Quibus ex rebus illud fit, hominem, ut ſit undequaque beatus, indigere ope Entis ſapientiſſimi, perfectiſſimi, potentiſſimi: nam nec finitum intellectum perfecte emendare poteſt, niſi infinita ſapientia: nec naturam plene perficere, ut nihil ei deſit, niſi natura infinite bona & perfecta, ſibique ſufficientiſſima: nec mala omnia potentiſsime amoliri, niſi infinita potentia. Quocirca, ſi nullum ſit in univerſo Ens intelligentiſsimum, optimum, potentiſsimum, omnium animantium, quæ in terra gignuntur, miſerri-

(a) *Huic adde naturam irritabilem ex ſingulis bonorum vel malorum ideis: quæ poſtquam ſcilicet concitata eſt, animi impotentes evadimus, ſoliſque occupamur affectibus. Præclare hoc hominis ingenium depingit Euripides in Medea v.* 108.

. . . . . τι ποτ' εργασεται
Μεγαλοσπλαγχνος, δυσκατάπαυστος
Ψυχη, δηχθεισα κακοις;
. . . . . Quid porro faciet
Facile multumque irritabilis animus
idemque cogi impatiens, ſoliſque malorum ideis occupatus? *Sed vix Græca verti poſſunt; adeo ſunt & ενεργετικα, & e media phyſiologia exprompta.*

rimus ſit homo neceſſe eſt : quippe qui eas in ſe miſeriæ cauſas habet, quibus ceteræ animantes deſtituuntur, vagantem rationem, & infiniti appetitum. Nam eæ poſtquam ventri & veneri ſatisfecere, nullis fere aliis cupiditatibus perturbantur. Quumque non ſint infiniti appetentes, ad naturam, non ad libidinem, ut major hominum pars, vivunt (*a*).

§. XVII. Atque idem porro ſequitur, ſi quidem exſiſtat in univerſo Ens intelligentiſsimum, optimum, potentiſsimum, ſed univerſi nullam curam, nullamque procurationem gerat, nec ullam habeat humani generis providentiam. Quamobrem Athei, qui omne Numen tollunt, & Epicurei, qui Deum ponunt, ſed omnem ei denegant providentiam, ſi & ſui, & hujuſcemodi rerum naturæ interdum reminiſcantur, nequeunt non eſſe omnium animantium miſerrimi. Nam & inſitam cuilibet miſeriam non poſſunt non continenter perſentiſcere; & nullum ad eam levandam nec in ſeſe, nec in rebus extra ſe poſitis, nec in ulla rerum cauſa præſidium ineſſe exiſtimant, ac ultro fatentur. Inde vero eſt, ut nulla ſit in hominum ſocietate gens peſtilentior : nam non poſſunt non ſæpiſsime aut præ animi cupiditatibus exardeſcere, aut præ deſperatione omnes in partes agi: ex quo ſequitur, ut quidvis moliri, ac omnia perturbare, ſicubi poſſunt, parati ſint:

Indomitus veluti quadrupes ubi fræna momordit,
Par levibus ventis rapitur celerique ſagittæ;
Expatiatur agris, & foſſas tranſilit audax;
Tum ſi forte turbam, aut equitis crepitantia flagra,
Audierit, curſum ingeminat, fugit ocior Euro,
Inque leves nebulas volucri pede ſpargit arenam:
Juſſus reſtrictis tandem ſubſiſtere loris,
Non equitem ſentit, non lora; ſed impetu cæco
Fertur, anhelantem donec feſſumque relinquat
Spiritus, ac timidos vincat labor ipſe furores:
Haud ſecus illecebris diraque cupidine raptus,
Pectore ſacrilego qui ſanctum numen abegit,
Diſſimulat quidquid verax & conſcia recti

Alto

(a) *Vide* La Circe del Gelli.

Alto corde monet natura, neque audit habenas:
Exhaustus tandem jactante libidinis æstu
Concidit, incassum suspirans viribus ægris (a).

CAPUT II.

Exsistere Ens aliquod intelligentissimum, & potentissimum, ab eoque universum procreari, & in eo beatitatis nostræ spes omnes esse figendas.

§. I. PLurima esse in universo, non æterna aut ipsa per se exsistentia, sed genita; eaque aut intelligentia, & potentia; aut inertia & bruta: plurima quoque quotidie gigni & corrumpi, inter explorata ac patentia habemus. Itaque super ea re contentiose disputandum non est. Neque vero regeratur, quæcumque nasci & interire videntur, modificationes esse substantiarum æternarum: nam id primum ineptum est, & absurdum: quippe quum natura æterna sit *immutabile esse*, ut in Ontologia demonstratum est; intelligi non potest, qui tantæ mutationi esse possit subjecta. Deinde quidquid illæ sint, generationes certe sunt rerum a rebus, veluti hominis ab homine, plantæ a planta, ac propterea series & progressiones entium aliorum ex aliis nascentium, ut non minus omnis efficientis moderantisque causæ expertes esse possunt, quam quæ ex nihilo fiunt.

§. II. In generatione, infinita entium genitorum & generantium series repugnat. Nam quum in hac serie nulla statuatur prima, quæ contineat rationem sufficientem ceterarum omnium rerum; tantundem est infinitas rerum series, quarum una ab alia pendeat, ponere, atque statuere effectus infinitos sine ulla ratione sufficiente; quod & ineptum est, & absurdum. Idem quoque efficitur, si eæ generationes sunt successivæ evolutiones, ut patet: nulla esse potest consequens, nisi sit antecedens; nec ulla certa antecedens, ubi infinitus est progressus præcedens.

§. III.

(a) *Poliniacus in Antilucretio lib.* 1. *vers.* 790.

§. III. Exſiſtunt in univerſo generationum entium quum viventium tantum, tum & rationalium ſeries (1); id patet exemplo plantarum, brutorum, hominum. Quum autem repugnet ſeries infinita a parte ante (2); conſequitur harum ſerierum omnium primam eſſe, & independentem cauſam.

§. IV. Ex nihilo ſine ulla externa cauſa, & ſine ulla ratione ſufficiente, nihil fieri poteſt; cujuſque ergo effectus cauſa exſiſtat neceſſe eſt, in qua contineatur integra, & adæquata ejus effectus ratio ſufficiens.

§. V. Exſiſtit principium aliquod æternum activum univerſi. Eſt enim aliquid, quod generatur & interit, etiam intelligens & potens (1): id per infinitam generantium, & generatorum ſeriem fieri non potuit (2), ſed per ſeries non infinitas (3): quæ porro ſeries ex nihilo eſſe non potuerunt, ideſt ſine cauſa, in qua earum adæquata ratio ſufficiens non contineretur (4); ergo eſt ens aliquod per ſeſe, & æternum, activumque principium univerſi, in quo ſerierum omnium entium mundanorum prima adæquata ratio ſufficiens contineatur: cauſa mundi efficiens.

§. VI. Si fingatur exſiſtere æterna materia ſine motu, hæc a quiete ſine cauſa externa ad motum nunquam tranſibit (4). Eodem modo ſi fingatur exſiſtere materia cum vi motrice ſine ullo intellectu & ratione, nec quidpiam aliud, impoſſibile intrinſecum erit ex hujuſmodi materia emergere poſſe rationem & intellectum (*a*). Pluribus aliis propoſitionibus eadem ratio adaptari poteſt, omniumque eadem ſemper erit demonſtratio.

§. VII. Exſiſtit principium aliquod activum æternum, quod ſit intelligens & potens. Nam in ſeriebus rerum mundanarum quædam ſunt intelligentes & potentes (3): ſi nihil autem eſſet æternum intelligens & potens, ſeries iſtæ eſſent ſempiternæ, ideſt ſine ulla prima, quod eſſe nequit (2); exſiſtit ergo ens quoddam

(a) *Scholæ eſt hoc axioma protritum*, Nihil reducitur in actum niſi per ens actu. *Mechanicorum hoc*, Nullum corpus ſuapte natura a quiete ad motum tranſit.

dam æternum intelligens & potens, in quo sit ratio sufficiens adæquata serierum mundanarum intelligentium; nisi si dicere velimus, hujusmodi series ex caussis non intelligentibus provenisse, quod æque impossibile est (4. & 6.). Quæ quidem, nisi vehementer fallor, perspicue demonstrant, exsistere mentem æternam, intelligentissimam, potentissimam, quæ sit prima caussa creatrix, & conservatrix universitatis rerum. Sed operæ pretium erit hæc aliis quoque ex locis pertractare, atque longius provehere.

§. VIII. Sine mutua quadam attractione singularum materiæ partium, & magnorum globorum mutua aliorum in alios gravitatione, universitatis rerum ordo consistere non potest. Enimvero sine attractione minimarum materiæ particularum corporum unitas nec esse, nec intelligi potest, quemadmodum philosophi ostenderunt: nec sine mutua magnorum globorum gravitatione mundanus ordo aut nasci, aut stare. Quæ res quoniam explorata est, atque a Physicis demonstrata, longiorem orationem nostram non exigit.

§. IX. Vis attractrix particularum minimarum nec infinita est, nec necessaria & unum in modum suapte natura determinata, ut nullius modificationis capax sit. Nam vis attractrix decrescit in ratione duplicata distantiarum, quemadmodum est a Newtono demonstratum; & varie modificatur pro varietate particularum; & entia finita pro subjectis habet: quæ autem talia sunt, nec infinita esse possunt, nec necessaria suapte natura, idest unum in modum determinata.

§. X. Si vis attractrix, & vis gravitatis essent æternæ, independentes, eæ & infinitæ essent, & necessariæ: nam infinitas & necessitas attributa sunt essentialia entis æterni, quemadmodum Metaphysici demonstrant. Qua ex re conficitur, eas vires a caussa aliqua pendere: nam nec infinitæ sunt, nec ita necessariæ, ut nullius alterius modificationis sint capaces (9).

§. XI. Vires hujusmodi provenire nequeunt ab anima mundana, una, individua, & æterna, atque naturæ ipsius necessitate operante, quemadmodum Pantheistæ opinantur. Ita enim & infinitæ essent, & unum

num in modum determinatæ, nullaque esset ea, quam scholæ dicunt, *contingentia* ; ut ex superioribus patet : quæ quum sint falsa, ab hujusmodi principio esse nequeunt.

§. XII. Quum ergo vires istæ non sint æternæ, necessariæ, & essentiales materiæ ; nec proveniant ab anima mundana ; nec ex nihilo esse possint, aut ex serie causarum infinita, ut ex superioribus constat : ac præterea harmonice operentur, totumque universum ordinatissimum efficiant ; reliquum est, ut proveniant ab ente aliquo æterno & intelligente, quod libertate, non vero ulla naturæ suæ necessitate, eas creat & conservat.

§. XIII. Axioma est Philosophorum omnium, eorundem effectuum eandem esse causam.

§. XIV. Causa æterna intelligens & libera, qua vires illæ creantur & conservantur, eadem causa est universi, & quidem unica. Enimvero quum universum hoc spectabile duabus illis viribus contineatur (8) ; eæ vero vires a causa æterna intelligente & libera proveniant (12): eadem illa causa erit universi. Quum vero vires istæ ita universum conforment, ut illæ in eundem finem, atque ordinem conspirent, ut patet vel ex mediocri rerum naturalium contemplatione ; & eorundem effectuum eadem sit causa (13) ; conficitur unam hanc intelligentem & liberam æternam naturam, unicam esse universi causam.

§. XV. Est autem hæc causa non solum ad originem, verum etiam ad conservationem universi necessaria. Nam sine illa nec prima universi stamina, primæque formatrices universi vires intelligi, & esse possunt, nec conservari ; quum & finitæ sint, & modificationum variarum capaces, adeoque perturbationis. Super qua re lectu dignissima sunt, quæ Newtonus scribit in scholio generali Principiorum mathematicorum Philosophiæ Naturalis, quæque sæpe adnotat in scholiis Opticæ.

§. XVI. Hoc ens æternum, quod causa est universi creatrix, & conservatrix & intelligentissimum est, & potentissimum, & optimum. Nam hoc ens conservat

hunc

hunc præclarum pulcherrimumque universi ordinem (15): qui exsistit ex structura partium infinitarum numero & varietate, finibusque peculiaribus infinitis: conservari vero is ordo nequit nisi summa intelligentia & potentia; intelligentissimum igitur est & potentissimum. Præterea quum hoc ens æternum sit; nequit non esse perfectissimum: nam quæ exsistentiæ & essentiæ suæ nullas habent causas, ne suæ limitationis quidem ullas habere possunt: quæ vero talia sunt, infinite perfecta sunt. Vide ut hoc argumentum prosequitur Wolfius in Theologia Naturali.

§. XVII. Constat ergo exsistere ens quoddam intelligentissimum, & optimum, cujus numine rerum hæc universitas creata sit, & conservetur. Quum autem unum hujusmodi ens sufficiens sit, quippe in quo contineri potest ratio sufficiens omnium possibilium: unumque demonstrent ordo, & unitas universi; dubitandum non est, unum illud esse, non plura. Hoc autem ens *Deum* appellare solemus ex adspectu præcipuæ proprietatis, futurorum nimirum intelligentiæ & præscientiæ; ergo exsistit Deus, & quidem unicus.

Coroll. Cum is sit & intelligentissimus, & optimus; ejus tantum sapientia & bonitate beati esse possumus. Cetera nugæ. Aut igitur omnis felicitatis abjicienda spes, aut in eo figenda tota.

Scholion. In divina natura adserenda argumenta diversorum generum protulerunt philosophi. Præter ea, quæ ex intima metaphysica desumuntur, quæque paullo sublimiora sunt, quam ut omnes homines intelligere possint, præclara certe sunt & perspicua, quæ ex rerum naturalium ordine atque structura deducuntur. Sunt ea numero prorsus infinita: nam nulla res est, quam si attente contemplati fuerimus, characterem ac ampla manifestaque æternæ hujus mentis non præseferat indicia, seu vastissimos universi globos, eorumque perennes, & adcuratas motiones velimus intueri; seu naturam luminis; seu partes telluris nostræ, aërisque atmosphæram & vires; seu totius globi terraquei situm, aquam, montes, plantas, bruta, homines: ex quarum rerum singulis Derham exactissima argumenta

exsi-

exſiſtentiæ divinæ mentis conrivat in Theologia phyſica. Sed quum hæc in ſecunda parte ediſſeruerimus, præſtat pauca obſervare de unius oculi ſtructura, quæ adeo mirabilis eſt, ut ea ſolum omnibus numeris abſolutam demonſtrationem exſiſtentiæ Dei præſtare poſſe confidam. Finis oculi eſt viſio. Neque enim cum Lucretio delirabit, puto, ullus, ut oculos dicat non eſſe factos videndi gratia, ſed factos fortuito, uſum eſſe detectum. Jam vero ad eum finem ita partes omnes oculi conſpirant, ut manifeſtum ſit ab induſtri aliquo Artifice eſſe compoſitas & conformatas. Nempe ut viſio perficiatur, neceſſe eſt, ut externarum rerum imagines in oculi fundo depingantur. Depinguntur autem radiorum focis exacte in retinam incurrentibus. At foci hujuſmodi nullo modo in retinam cadere poſſunt, niſi dum ex objectis reflectuntur divergentes, ope aliqua convergentes evadant. Eam in rem conformata eſt tunica cornea, atque ita diſpoſiti humores, forma extrinſecus convexa, ut radii lucis oculum penetrantes, refringantur refractione ad perpendiculum, atque ita convergentes evadant. Præterea quoniam aut nimia copia lucis, aut nimis parva quantitas efficere poſſunt, quominus imagines clare & diſtincte depingantur; idcirco muſculis inſtructus eſt oculus, quibus pupilla dilatari, aut conſtringi poſſit. Tum propugnacula addita ſunt extrinſecus, palpebræ, & ſupercilia. Præterea eo loco locatus eſt, in quo maxime erat neceſſarius. Infinita alia hujuſmodi adnotant Derham, & Niewentitius, quæ demonſtrant aperte non ſine cura ſupremæ mentis fieri. Concludamus Ciceronis verbis. *Quod ſi omnes mundi partes ita conſtitutæ ſunt, ut neque ad uſum meliores potuerint eſſe, neque ad ſpeciem pulchriores: videamus, utrum ea fortuita ſint, an eo ſtatu, quo cohærere nullo modo potuerint, niſi ſenſu moderante, divinaque providentia. Si ergo meliora ſunt ea, quæ arte perfecta ſunt, nec natura quidem rationis expers eſt habenda. Qui igitur convenit, ſignum aut tabulam pictam cum adſpexeris, ſcire adhibitam eſſe artem: cumque procul curſum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur? aut cum ſolarium vel deſcriptum*

ptum, aut ex aqua contemplare, intelligere declarari horas arte, non casu: mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilii & rationis esse expertem putare? Quod si in Scythiam, aut in Brittanniam, sphæram aliquis tulerit hanc, quàm nuper familiaris noster effecit Posidonius, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in Sole, & in Luna, & in quinque Stellis errantibus, quod efficitur in cælo singulis diebus, & noctibus: quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphæra sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo & oriuntur & fiunt omnia, casu ne ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione ac mente divina: & Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis sphæræ conversionibus, quam naturam in efficiendis, præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam hæc simulata sollertius.

CAPUT III.

De summa Dei Bonitate, qua vult omnes beatos, deque legis natura, & necessitate generatim.

§. I. NAtura intelligentissima, potentissima, optima, idest Deus, sibi est ad perfectam beatitudinem sufficientissima: neque ulla re externa aut perfici potest, aut turbari (a). Nam quum sit infinite perfecta; nullius externi boni indigere potest ad beatitatem. Quumque ejus sapientia sit infinita, potentia vero & voluntas æquales; nec errore perturbari potest, nec desiderio angi. Itaque nihil ei deest ad perfectam felicitatem.

§. II. Qua ex re consequitur, ut natura hæc beatissima nec invideat ulli, nec malefica sit. Nam invidere & irasci imbecillitas sunt naturæ alicujus boni indigentis: nullius vero boni indiget Deus. Præterea al-

(a) *Herc. apud Eurip. in Herc. fur. extr.*
Δεῖται ὁ θεὸς, εἴπερ ἔς' ὄντως ὁ θεὸς,
Οὐδενὸς . . . . Nam Deus, siquidem omnino Deus est, nullius rei indiget.

teri malefacere, quin ſit ei quocumque modo bonum, aut ex invidentia proficiſcitur, aut ex ira, & odio; at nulli invidet Natura beatiſſima, nulli iraſcitur; ne malefacit igitur quidem. Itaque quam abſurdum eſt quorumdam ſyſtema, qui ſuper Deum bonum malum alterum induxerunt, qui quum æque ſit ſapientiſſimus, potentiſſimus, & perfectiſſimus, in eo tamen ſuam ponat integram felicitatem, ut aliis malefaciat? Pugnant enim hæc cum natura æterna & beatiſſima.

Scholion. Sed quæret quiſpiam, ſi ita ſe res habet, qua ex cauſſa tot mala homines perpetuo affligant? Scilicet quemadmodum argumentatur apud Lactantium Epicurus, aut Deus poteſt auferre mala, nec vult: aut vult, nec poteſt: aut neutrum. Si primum, invidus eſt, & malignus; ſi alterum, imbecillis: ſi tertium, & invidus & imbecillis. Hæc argumenta effecerunt, ut recentibus temporibus exiſtimaverint quidam defenſores unitatis Dei, impares nos eſſe ad ea ſuper re cum Manichæis diſputandum. Petrus ſcilicet Bælius, quum Manichæorum argumenta ornaſſet, atque longe lateque provexiſſet in Dictionario Hiſtorico-Critico Articulis *Manichæus*, *Pauliciani*, *Ovidius*, *Origenes*, audacter pronunciat, nulla naturali ratione diſſolvi poſſe. Sed aut ego fallor, aut ſunt illa inepta ſophiſmata (*a*). Quod ut intelligatur, obſervandum eſt cum Leibnitio, tria eſſe malorum genera, quæ in natura humana reperiuntur, *metaphyſicum*, *phyſicum*, & *morale*. Metaphyſicum eſt defectus a ſumma perfectione, idque neceſſario naturis creatis inhæret, quas facere infinite perfectas non poteſt Deus. Morale vero, ideſt peccatum, ex metaphyſico & libertate originem trahit; neque enim ob alias cauſas peccant homines, niſi quia finita ratione libere abutuntur: quia omne peccatum eſt

(a) *Quidam ut huic argumento reſpondeant, omnia mala pernegant. Nulla eſſe mala Euclides Megaricus docuit, apud Laertium. Stoici ſola peccata in malis habent, ut ſola honeſta in bonis. Vide Cic. Diſp. Tuſculan. S. Baſilius Hom. 2. in Hexaemeron ſola item peccata inter mala numerat: cetera nugas eſſe, nec in malis cenſenda. Vide & Pope* An Eſſai on man, *quæque nos dicturi ſumus quinta parte Diſſ. IV.*

est aut ignorantia, aut cum ignorantia conjunctum. Physica tandem mala, si attente expendantur, aut bonis compensantur, ut fames voluptate cibi, labor somno; aut realia sunt bona, ut pœnæ; siquidem iis homo punitur, ut ad bonam frugem convertatur; aut præparatio ad virtutem, qua vel continetur beatitudo, vel ad beatitudinem itur. Sed cur, inquit Bælius, moralia mala Deus pro summa sua sapientia & potentia non impedivit? Nempe impedire, atque emendare perpetuo studet, quantum natura sinit rerum, & ratio suscepti mundani operis ac ordinis: nam, ut ait S. August. lib. 2. sup. Gen. ad lit. cap. 1. & S. Thomas 1. p. q. 86. art. 5. ad 1. *in constitutione rerum naturalium non consideratur quid Deus facere possit, sed quid naturæ rerum conveniat* (a). Vide dicta in III. parte Elementorum.

§. III. Deus nequit velle hominum miseriam, nisi *consequenter*, idest quin ipsi (ex ordine mundi posse debent) libere sibi consciscant, ac mereantur. Nam quum sit natura optimus, agatque ex bonitate, nequit ulli ex sese velle malefacere; omnia amat: nullum vero majus malum mentibus inferri potest, quam miseria; non potest igitur, salva sua bonitate, creaturarum rationalium miseriam primo & antecedente consilio velle.

§. IV. Deus vult voluntate antecedente hominum beatitudinem. Nam homines creat beatitudinis, & miseriæ capaces, & ita quidem, ut natura ipsa beatitudinem appetant, aversentur miseriam. Quod si nolit esse beatos, nolitque iis media beatitudinis præstare, quum ipsi suapte natura beati esse nequeant; vult profecto antecedente consilio miseros; quod velle nequit. Nec sola ratione id discimus, sed tota religionis revelatæ œconomia: passim enim in divinis scripturis testatur, se amare, velleque omnes homines beatos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire.

(a) *Hoc axioma fundamentum Theodiceæ fecit Leibnitius. Qui Theodiceam horremus, quid Augustino ac Thomæ faciemus? Illud* facti est: hoc juris *a nostris Theologis efflagitabis.*

§. V. Ex natura Dei ſequitur etiam Deum velle antecedente voluntate perficere hominis intellectum, voluntatem, & potentiam. Nam quum ex natura Dei ſequatur, ut velit hominem beatum; nec is eſſe ullo modo beatus poſſit, niſi emendatis gubernatiſque intellectu, voluntate, & potentia, ex quarum facultatum imperfectione hominis neceſſario provenit miſeria; niſi facultates illas perficere velit, atque emendare, regereque, vult eum eſſe miſerum; quod naturæ divinæ adverſatur (3).

§. VI. Deus nequit communicare homini ſuam infinitam intelligentiam & potentiam, ita ut illa ſit ei eſſentialis. Dogma ſcilicet eſt eorum omnium, qui de Deo philoſophantur, efficere creaturam non poſſe, quæ intenſitate & extenſione perfectionum ſibi ſit æqualis. Quod & pluribus aliis argumentis confirmari poteſt, & iis potiſſimum, quibus aperte demonſtratur, naturam divinam eſſe non poſſe, niſi unicam, & neceſſitate naturæ ſuæ exſiſtentem. Præterquamquod pugnantia inter ſe ſunt, quemadmodum perſpecte obſervat Wolfius, naturam undequaque perfectiſſimam, eandemque dependentem: limitatum enim ſit neceſſe eſt quidquid non ſuapte exſiſtit natura, ſed ab altero: nam non exſiſtere ſemper, nec ſuapte natura, modus eſt exſiſtentiæ.

§. VII. Quoniam ergo homo nequit ipſe in ſe habere *eſſentialiter* infinitam intelligentiam, naturam, & potentiam; ſequitur eum eſſe non poſſe ſuapte natura beatum, ſed participatione tantum alterius rationis, bonitatis, & potentiæ. Nempe poteſt Dei ſupremam rationem ſibi quomodocumque revelatam rationi ſuæ addere, quo illam augeat; aut ſubſtituere, ubi deficit: & divina bonitate ac potentia adjuvari.

§. VIII. Nemo, opinor, ambiget, Deum poſſe hominem perfecte beatum efficere, idque tribus mediis. I. Communicatione ſupremæ rationis, ne erret. II. Ope eum adjuvando, ut quod rectum & bonum intelligit, opere perficiat. III. Intima bonitatis ſuæ diffuſione. Nempe quum ſit intelligentiſſimus, potentiſſimus, optimus; intelligitur perſpicue id ſtatim fieri, ac vult.

Scho-

Scholion. Quærit hic fortaffis quifpiam, ecquid cauſæ ſit, cur non & in hac quoque vita plene beatos efficiat Deus homines? Nempe ejus beatitudinis, cujus ſunt illi ex mundi legibus capaces, dum hic agunt, omnibus media ſuppeditat: nam & rationem, qua bona & mala diſcernere poſſint, natura ipſa omnibus impertitur; & cum ratione prima quædam juſti & honeſti ſemina (*a*): & impetum ad ſe conſervandum, ac ſuam felicitatem perquirendam indit. Accedit eodem lex altera ſupernaturali modo promulgata, ac quacunque patet tellus diffuſa, cujus ſumma eſt mutua hominum caritas, qua maxima, quæ in terris haberi poteſt, beatitudo continetur. Sed quominus plene hic beatos efficiat, & vetus Adamitica noxa vetat, & naturæ totius ratio poſituſque ordo: neque enim hujuſmodi homines Naturæ, cujus pulchritudo in rerum perpetuo ac ordinatiſſimo curſu poſita eſt, partes eſſe poſſent. Itaque immortales & beati ad alterum & intelligibilem mundum pertinere tantum poſſunt, non ad hunc corporeum, ac perpetuo, licet harmonice, defluentem. Quocirca, quod Dei benignitatem decet, legibus, in primis naturæ, quæ omnes peræque ſpectant, aliiſque inſtrumentis, homines, dum in terris degunt, ita moderari, ut & virtutem, & qualemcumque, cujus hic capaces ſumus, beatitudinem adipiſci poſſint, id illum efficere porro demonſtrandum eſt (*b*).

 §.IX.

(a) *Vide locum Tullii egregium de Finibus v.* 22.

(b) *Cur, inquit aliquis, cum mala ſublatum venerit Chriſtus,* ecce qui tollit peccata mundi, *tam ſimus hodie pravi, miſerique, quam olim? Addunt Paulli locum ad* Rom. I. 28. Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia (*de Ethnicis loquitur*) tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate: ſuſurrones, detractores, Deo odibiles: contumelioſos, ſuperbos, elatos: inventores malorum: parentibus non obedientes: inſipientes, incompoſitos: ſine affectione, abſque fœdere: ſine miſericordia. Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni ſunt morte. *Quorum omnium quid eſt, quod & in Chriſtianis ipſis non hodie abunde cernatur? Adeone peccata noſtra abſtulit? Memini in impuri jam hominis li-*

§. IX. Lex eſt intellectus & voluntatis finitæ norma ab eo promulgata, qui & ſapientiſſimus ſit, ut recte regere poſſit; & potentiſſimus, ut adigere ad obſervationem valeat; & qui jus habeat in eos, quibus dat.

§. X. Et quidem lex ferri nequit, niſi ab eo, cujus ratio præſtantior ſit. Nam quum intellectum regere debeat, & voluntatem; omni erroris ſuſpicione carere debet; quod eſſe non poteſt, niſi promulgetur a ratione ſapientiſſima. Itaque perſpecte dictum eſt a Democrito, *imperare ſapientioris eſſe*. Præclara ſuper ea re obſervat Ariſtoteles in Politicis. Inde vir doctus eam diſtinctionem hominum repetit, ut, ſi non jure, ſaltem facto, ſint alii *natura ſervi*, alii *natura dominantes*. Nempe qui ſtupidi ſunt, crudique lateres, quum ratio-

libello hos Euripidis ex Hercule furioſo *legiſſe verſiculos, quos Amphitruo in Jovem jacit, verſu* 344.

Συ δ' εις μεν ευνας κρυφιος ηπιστω μολειν,
Ταλλοτρια λεκτρα, δοντος ουδενος, λαβων,
Σωζειν δε τους σους ουκ επιστασαι, φιλους;
Αμαθης τις ει Θεος, η δικαιος ουκ εφυς.

Quæ ſunt ſcommata ac impia noſtrorum cinædorum flagitia, & aliena multo a doctrinæ Evangelicæ fine: non enim hujus vitæ felicitatem facturus venit Chriſtus; quippe quantula vitæ totius ac ſempiternæ hæc eſt particula, quam hic decerpimus? æternum igitur beneficium largitus eſt: hic tantum beatæ vitæ, quæ ſupereſt, viaticum parare nos jubet, quod Dei amore omnique virtute fit. Hanc quinimmo vitæ hujus auram odiſſe præcipit, ſi ullo modo alteri illi & veræ ſit obſtaculo futura: qui odit, *inquit*, animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodiet eam. *Peccata vero quum dicitur Chriſtus ſublatum veniſſe, duplicem habet intellectum*. I. *Ut originalis noxæ reatum piaculari crucis ſacrificio expiaret, quod plene, proque omnibus fecit*. II. *Ut omnibus fidem & gratiam largiretur, quod ex parte ſua efficit*. Quantum in medico eſt, *inquit Auguſtinus*, venit ſanare ægrotum. Si unum ſemen, *inquit idem Auguſtinus in Pſalm*. 147. *extremo*, unus Jacob, unus Iſrael, & omnes gentes unus in Chriſto; ergo ad omnes pertinet gentes quod revelavit ipſi Jacob, & ipſi Iſrael: & illi ſoli in aliis gentibus deputandi ſunt, QUI NOLENTES CREDERE in Chriſtum, NOLUNT RECEDERE ab oleaſtro, & inſeri olivæ: remanebunt in ſilvoſis rami ſteriles & amari. *Aut qui, ſi crediderunt, ipſi fidem & caritatem deſeruerunt: Deus enim* non deſerit, niſi deſeratur.

ratione directrice destituantur, servire tantum possunt, non etiam imperare; quum contra ii, qui præstante sunt ratione animoque præditi, & se, & alios regere possint. Oportet etiam, ut Legislator potentia polleat impellendi subditos ad obsequium legis; alioquin lex doctrina potius erit, & consilium, quam lex. Sed & oportet, ut jus in eos habeat, quos legibus regere studet, ut legislatio sit justa: nam lex quasi frænum est libertatis, ut injusta coactio videri possit, nisi ab eo feratur, qui jus habet imperandi.

§. XI. Deus habet omnes characteres perfectissimi, & veri legislatoris. Nam & est intelligentissimus, idest infinita ratione præditus, qui idcirco plene comprehendit creaturarum rationalium naturam, vectes, defectus; & vias atque rationes omnes, quibus regi eas oportet. Deinde est potentissimus, ut possit ad leges observandas adigere, propositis pœnis, vel præmiis. Tandem quum sit omnium creator, & conservator, jus habet absolutum in omnia, ut idcirco nemo sit, qui queri possit, sibi libertatem naturalem diminutam. Nempe quælibet mens natura ipsa sub Dei imperio nascitur, atque est. Sed & solus Deus supremi & perfecti naturæ legislatoris characteres habet, quum solus sit sapientissimus, potentissimus, optimus, & suapte natura universi Dominus.

§. XII. Quæ quum sint, videamus porro, qua ratione Deus ope legislationis & gratiæ homines ad veram beatitudinem ducere possit. Atque principio, legislatione, & gratia homines plene beatos efficere potest. Nam quum divina legislatio sit communicatio supremæ rationis divinæ brevi hominis rationi; gratia vero communicatio potentiæ, & bonitatis divinæ; legislatione & gratia fontes omnes humanæ miseriæ purgare potest.

§. XIII. Vires, quæ sunt in natura, quarum reddere rationem per antecedentes non possumus, sed quarum ratio sufficiens aut in natura ipsa est, aut in Deo, leges naturæ mechanicas appellamus. Ejusmodi sunt vis attractrix in materia universali, vires centripetæ, & centrifugæ Planetarum, quibus universi ordo continetur.

Si quæ sunt ejus generis in natura humana, leges naturæ humanæ machinales habemus. Tales autem sunt vires corporis, temperamenti, instinctus, propensiones &c.

§. XIV. Hominis finis esse alius nequit, nisi perfecta beatitudo (cap. 1. 9.); nam ejus gratia & est, & omnia suapte natura operatur, ita scilicet, ut citius nolit esse, quam non esse beatus. Quum ejus rei rationem ex anterioribus in natura causis reddere nequeamus; fit ut hic in hominibus ad beatitudinem impetus lex sit naturæ humanæ mechanica (13).

Scholion. At enim homo non voluptate permovetur, sed dolore; finis ergo est evitatio doloris. Haud equidem id negaverim: sed hoc consciire sibi, se ab omni dolore atque ægritudine vacare, puraque frui voluptate, plenam perfectamque beatitudinem voco.

§. XV. Homo a sui ipsius natura monetur, ut se regat aliqua lege entis intelligentissimi, & potentissimi. Est enim hominis finis beatitudo (ex superiori), ad quam natura ipsa fertur. Quum vero beatitudinem hanc consequi nequeat, nisi perfectione intellectus, appetitus, naturæ, & potentiæ (ex superioribus); quæ perficere nequit, nisi ope entis intelligentissimi, & potentissimi; consequitur a sui ipsius natura moneri, ut se lege entis hujusmodi regat. Naturalis hæc est in omnibus hominibus cognitio, idest talis, ad quam natura ipsa impellitur, ut quivis ipse per se intelligere possit, si vel minimam super natura sua & origine contemplationem instituerit. Est autem directionis indigentia prima quædam fax, qua homines omnes regantur in perquisitione *legis naturalis*.

§. XVI. Homo, qualis nunc est, naturæ lumine conjicere potest exsistere summam hanc legem, ejusque generalissima saltem capita intelligere. Eam propositionem sic demonstro. Nam homo naturali sua ratione hæc intelligit: esse supremam quandam mentem intelligentissimam, & potentissimam: ab eo omnia esse facta, & gubernari; adeoque hominem ipsum, qui universitatis rerum pars est. Agnoscit præterea summam illam mentem, nec invidere cuiquam posse, nec irasci, nec malefacere; adeoque amare non posse homi-

minum miſeriam, ſed velle beatitudinem. Jam ea beatitudo ut obtineatur, exigitur omnium primum emendatio intellectus, quæ fieri nequit, niſi communicatione ſummæ divinæ rationis, quæ æterna eſt, & naturalis lex; ergo naturali ſua ratione intelligit exſiſtere ſupremam legem creatarum atque finitarum mentium directricem. Itaque qui legis hujuſcemodi naturalem cognitionem pernegant, ii negare quoque debent cognoſci ab homine ea omnia, quæ ſuperius demonſtrata ſunt (*a*).

§. XVII. Et quidem præcipua, & generaliſſima capita naturalis hujus legis homines omnes intelligere poſſunt, qualia ſunt, nos ſub Dei imperio naſci; adeoque eſſe illum noſtri creatorem, gubernatorem, benefactorem, eique debere ſervitutem, invocationem, gratiarum actionem, quæ ſunt prima capita, ex quibus virtutes & officia erga Deum ſequuntur (*b*). Itaque & natura ipſa ſentimus, & facili ratione efficimus, non poſſe a virtutibus beatitudinem ſeparari: vitiis miſeriam procreari. Tum non eſſe noſtri dominos, ſed cuſtodes

&

(a) *Quid, inquit aliquis, faciemus populis Atheis? Quid iis, qui inter feras ferarum inſtar adoleverunt? Illos ego in fabellis habeo, ut alias demonſtravi: horum ſi unus aut alter exſtitit, cum iis facere jubeamus, qui ſtupidi naſcuntur, atque adoleſcunt. Sed & in his eſſe aliqua occulta poſſunt Dei conſilia.*

(b) *Crederes fuiſſe theologos, qui negarent naturæ vi atque lumine ea cognoſci, mihi* [illegible]*cuerim, crimini verterint? Sed id interea tota* [illegible]*ra Eccleſia docet.* Deum autem orandum eſſe, & ejus nomen invocandum, IPSA LOQUITUR NATURÆ VIS INSITA IN HOMINUM MENTIBUS, non ſolum tradunt divinæ litteræ. *Catechiſmus Romanus parte IV. cap. IV. §. 1. Idipſum vetuſti omnes Patres tradiderunt. Ita in hac ſtudiorum luxurie nec vetera jam, nec nova ſcimus amplius! Sed longum eſſet, ſi imperitorum hominum ineptias refellere velimus, ac eorum in primis, qui dum ſua dogmata tueri ſtudent, totius fundamenta pietatis ſe ſubvertere non animadvertunt. Sed audiamus hic Sanct. Thom. 1. par. quæſt. 79, art. 12.* Oportet igitur nobis naturaliter eſſe indita, ſicut principia ſpeculabilium, ita & principia operabilium. Potentia *videlicet, non* actu: *nam is negat ſpecies abſtractas extrinſecus nobis participari, in eoque Platonem refellit (ibid. art. 3.)* το *vero* potentia *eſt lumen intellectuale, quod Deus animæ participat. Idem ibidem art. 4. in c. extremo.*

& amicos ; adeoque maxima cura debere nos conservare, nihilque efficere posse adversus nostri conservationem ; ex quo capite virtutes & officia omnia erga nos ipsos manant . Præterea ceteros homines esse natura nobis æquales, adeoque quemadmodum nihil contra naturam nostram moliri possumus, ita nihil adversus ceteros : ex quo fonte virtutes & officia adversus alios derivantur . Tota humana docet historia vix ullam esse alicujus nominis gentem , quæ hæc ignoret.

§. XVIII. Accedit eodem auctoritas divinarum scripturarum. Ex iis patet luculenter, Deum, quotiescumque veteres illos mortales ad justitiam & honestatem adhortabatur , ad justi & honesti naturales notiones revocasse , velut conscientiæ a natura ipsa informatas. Ita Gen. 4. v. 7. Cainum exhortatur: *nonne* , inquit, *si bene egeris recipies : sin autem male , statim in foribus peccatum aderit ?* Homicidium , quod Cainus meditabatur , velut natura vetitum , ac proinde malum supponit : patientiam vero & mitem animum natura bonum. Eædem divinæ scripturæ in Ethnicis, de quibus sæpe loquuntur , justi & honesti notitiam inesse docent . Pharao Ægypti Rex indignatur Abrahamo, quod non indicasset Saram suam uxorem esse, quo factum esset, ut ipse in uxorem duceret : id quod testatur, natura ipsa edoctum, non licere alteri uxorem eripere. Infinita sunt hujusmodi similia . Pleraque etiam addi possent novi Testamenti loca, quæ diserte id docent, in primis Paulli in epistola ad Romanos. Quæ idcirco addidi , quod quidam, qui Theologi videri volunt, in eam absurditatem tuendam adgressi sunt, nullo nos naturalis rationis studio ad legis naturæ cognitionem pervenire posse , aut si ad generalem pervenerimus , capita præcipua legis naturæ ignorare (*a*). Sed necessarium non est , ut id pluribus disceptetur .

§. XIX. Ex quibus consequitur manifeste, Deum pro-

vi-

(a) *Id quam sit absurdum ex populorum Ethnicorum Civilibus legibus discere possumus, etiam barbarorum : nec enim illæ homicidia, mendacia, furta, adulteria , stupra &c. vetant, nisi quia natura & conscientia vetita sciunt.*

vidiſſe hominum generi promulgatione ſapientiſſimæ legis, qua ducerentur ad beatitudinem. Nempe eam non via tantum rationis, ſed revelationis quoque, idque copioſius, manifeſtavit. Ea oſtendit, ſola virtute homines beatos eſſe poſſe: vitiis non poſſe eſſe niſi miſeros. Hanc eſſe voluit mundi legem. Cumque virtus ſit Dei, noſtri, aliorum juſtus ac ſapiens amor, atque attractio quædam moralis, ut corpora mechanica attractione regi voluit, ita animos amore. Nequit mundus eſſe corporeus ſine mechanica attractione: nec mentium Reſpublica ſine eo amore. Sed libera ſit virtus neceſſe eſt; itaque ut libere ſectentur decrevit: præmia largiturus, ſi conſtanter ſectarentur: puniturus, ſi deſererent. Interim qualemcumque opem hominibus lex ad beatitudinem præſtet; niſi etiam vires humanæ naturæ augeantur, & ſuſtineantur, ſola lex per ſe ſatis non eſt ad hominem plene perficiendum: monſtrat enim bona potius, quam vim indit ad conſectanda. Id ipſi Ethnici intellexere. Hinc illud Medeæ, *video bona, proboque; deteriora ſequor*. Sed & nemo eſt, qui non ſæpe experiatur, quam interdum facilius ſit juſta & honeſta intelligere, quam affectus, qui contradicunt, vincere. Adde quod lex ac conſcientia etſi continenter nos adloquuntur, perſtrepentibus tamen affectibus non exaudiuntur. Atque hoc hominem ducit in cognitionem neceſſitatis divinæ gratiæ; ut idcirco ii, qui eam pernegarunt Naturaliſtæ, rationi quoque ſuæque naturæ adverſari comperiantur.

CAPUT IV.

Lex naturæ explicatur diſtinctius, atque adverſus profanos homines iterum aſſeritur.

§. I. Esse in natura legem, quæ ſit actionum hominis liberarum norma, qua ſumma erga creaturas rationales Dei bonitas oſtenditur, ſuperius demonſtratum eſt. Sed ſunt illa accuratius uberiuſque retractanda, priuſquam in hujus legis primas notiones, ac *principia*, ut vocant, *cognoſcitiva*, inquiramus: ſuper-

pervacaneum enim est legis hujus naturalis partes explicare velle, nisi illa ita contra profanam gentem adstruatur, ut nulli deinceps exceptioni sit obnoxia. Itaque a legis ipsius vi & natura iterum exordiemur.

§. II. Est legis vocabulum ambiguum: nam aut eo significatur norma quæpiam actionum in ratione posita ac infixa, veluti arte, exemplari, &, ut Græci Philosophi dicunt, *Idea*, ac παραδειγματι: aut superioris alicujus imperantis voluntas, qua velit sibi subditos uti in actionibus suis regendis. Si cum priori notione accipiatur, & homini cuilibet sua ratio, & ratio Dei Deo erit lex; eritque extra dubium omne positum, entia rationalia, Deum, Angelos, homines, nihil moraliter agere, nisi ratione duce: nam Deus, & mentes aliæ, ut nihil agunt libere, nisi voluntate; ita nihil moraliter sine ratione; est enim voluntas, ut alibi dictum est, mentis ex ratione appetitus ac determinatio. Tametsi est infinitum inter Deum, & creaturas rationales discrimen, quum in aliis, tum præsertim quod ad hanc rem spectat. Nam Dei ratio summa est, & absolutissima, ut idcirco non egeat alterius ratione, quo recte & sapienter agat: contra vero quum aliæ creaturæ rationales finita sint ratione præditæ, nisi illa suprema Dei ratione regantur, idest æterna regula & lege quocumque tandem modo iis promulgata, longe ab eo fine, quem natura sua spectant & appetunt, quique & universi finis est, ac sublime positus, aberrare possunt.

§. III. Si cum altera notione, quæ ejus vocabuli propria est, dum de legibus disseritur, legis vocabulum accipiatur, erunt ejus proprietates *essentiales* omnino quatuor: 1. ut sit ratio summa: 2. ut sit ratio ejus, qui jure imperet: 3. qui ea subditos obligare velit: 4. & possit. Principio enim nisi lex sit summa ratio, indigebit ipsa alia ratione, qua regatur; neque idcirco esse poterit aliorum norma. Deinde nisi is, cujus ratio lex est, jure imperet, jure quoque ei non paretur; ut si adigere velit ad obsequium, sit injustus. Præterea nisi velit obligare, admonitio potius & consilium erit, quam lex. Tandem nisi possit ad obsequium

quium rebellantes adigere, tota inutilis jacebit. Quibus ex rebus sequitur, solam æternam Dei rationem ejus voluntate & potentia suffultam veri nominis legem esse, & quidem perfectissimam: ceteras vero quantum de illa participant, quod est & a Cicerone observatum. Sequitur quoque falli eos, qui legis naturalis nomine intelligunt dictata humanæ rationis velut a Dei ratione & imperio præcisa abstractaque: sunt enimvero hæc rationis humanæ scita & pronunciata ipsa per se nec summa, nec talia, quæ homini lex esse possint. Informantur quandoque etiam a nostris utilitatibus, ut nihil sit facilius, quam esse erronea. Lex autem & extra omnem erroris aleam constituta sit necesse est, & vim subditos obligandi habeat. Quocirca probare nequeo Richardum Cumberlandum, qui hæc tantum rationis naturalis decreta pro integris legibus naturæ habere videtur (*a*).

§. IV. Hoc autem modo explicata quæstione, paucis ejus nunc historiam enarremus. Nihil esse natura justum aut injustum, honestum aut turpe, bonum aut malum morale, sed omnia hæc consuetudinibus, & legibus humanis originem debere, plures quum apud veteres, tum præsertim recenti memoria professi sunt. Nam apud Græcos Plato (*b*), & Aristoteles (*c*), & Laertius (*d*), & Plutarchus (*e*) quosdam ejus opinionis Auctores commemoraverunt. In primis celebre est dictum illud Calliclis in Gorgia Platonis, qui quæ Philosophi de justitia veluti ex naturæ fontibus disserunt, vocat *speciosa præter naturam adinventa, & hominum deliramenta*. Aristippi Cyrenaici vox erat, *nihil esse in natura justum, vel bonum, vel turpe: verum omnia lege* (civili nempe) *& consuetudine definiri* (*f*). Eadem fuit Democritorum, & Epicureorum doctrina, ex

(a) *De legibus naturæ adversus Hobbium cap.* 1. §. 1.
(b) *Lib.* 10. *de legibus*.
(c) *Lib.* 1. *ad Nichomachum cap.* 1. *& alibi*.
(d) *Lib.* 2. *segm.* 16.
(e) *In Vita Alexandri Macedonis*.
(f) *Laert. lib.* 2. *segm.* 143.

ex quorum mente illud ſcribit Horatius:

Nec natura poteſt juſto ſecernere iniquum.
Sola eſt utilitas juſti prope mater, & æqui.
Lib. I. ſatyr. 3.

In quo erant ſyſtemati ſuo mundano conformes. Scilicet ſublata providentia, ne ſummus quidem ullus eſſe poteſt mundi imperator; ex quo porro ſequitur, ut & communis imperantis reverentia ac metus, & fides, & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia e natura tollatur, quemadmodum perſpecte obſervatum eſt Ciceroni (a).

§. V. Nihil hoc in loco dicam de Scepticis; nam quum eorum ſchola, nihil ſciri, nihil comprehendi poſſe doceret, non liquere prædicabant, juſtum ne eſſet aliquid natura, necne. Videri poteſt Sextus Empiricus Hypothipoſeωn Pyrrhonicarum Lib. III. cap. 22. Sed omnium celeberrimus idem & audaciſſimus fuit Carneades novæ Academiæ conditor, qui in ſophiſticæ artis oſtentationem, quum Legatus ab Athenienſibus Romam miſſus eſſet, apud Senatum uno die pro juſtitia diſertiſſime diſſeruit: altero vero contraria diſputatione juſtitiam evertit: quo factum eſt, ut Cato Cenſorinus, qui utrique diſputationi interfuerat, velut hominem pernicialem cito dimittendum curaverit. Nec vero ab eadem ſententia alieni fuere, qui Principes nullis omnino teneri legibus per nefariam adulationem docuerunt, quod cum Alexandro Magno feciſſe Anaxarchum, ſcribit Plutarchus. Celebratum eſt Euphemi dictum apud Thucydidem (b): *Regi, aut civitati imperium habenti, nihil injuſtum, quod utile*. Et Taciti aliud lib. xv. Annalium: *in ſumma fortuna id æquius, quod validius*. *Omnia eſſe virorum fortium* Gallorum Dux Romanis edictavit. Recentiori memoria, diverſa licet via & ratione, in eadem re docenda conſpiraverunt Thomas Hobbius, & Benedictus de Spinoza; quorum ille in libris de Cive, & in Leviatha-

(a) *Lib.* I. *de nat. Deorum cap.* I.
(b) *Lib.* VI.

thane ; hic in Tractatu Politico , qui imperfectus inter opera ejus poſthuma extat , jus naturali cujuſque potentia metiuntur , ut tantum cuique liceat , quantum viribus ſuis pollet . Cum lex iſtiuſcemodi moralis cum ordine ac mundi providentia copulata ſit ; facile apparet, non poſſe illam tolli , niſi Deo & providentia e mundo ablegatis : una eademque quæſtio eſt. At iſti eo tendebant : nam ille corpus eſſe Deum aperte docuit: alter cum toto mundo perturbavit. Quo in loco licet animadvertere , has ejuſcemodi impurorum voces , non e natura eſſe expromtas , ſed ex callida perverſaque ratione , qua naturæ ſenſus reprimitur ; nec generis eſſe humani , ſed eorum (quod dolendum) qui ceteris ſublimius ſapere videri volunt ; quoſque naturalis Civitatis perduelles deſertoreſque dicere poſsimus .

§. VI. Sunt vero alii , qui licet & Deum eſſe ponant, & ab eo ſancte adminiſtrari omnia concedant , negant tamen natura ipſa quidpiam juſti , & honeſti aut eſſe ; aut ſi quidpiam ſit , perſpici diſcique naturaliter a nobis poſſe . Qui item in duplici ſunt claſſe: nam quidam non negant in æterna Dei ratione ac intelligibili mundo , unde noſter hic eſt expreſſus, primas juſtitiæ , & ſanctitatis notiones contineri , quæ ſint leges æternæ , normæ quum primis voluntatis Dei liberæ , tum etiam ceterorum ſpirituum : ſed inficiantur , ejuſmodi leges ratione naturali intelligi poſſe : adeoque , quod eſt conſectarium , legibus aut revelatis, aut humanis juſtum & injuſtum definiendum eſſe docent . Quod tantundem eſt , atque fateri rotunde , nullam eſſe naturæ legem , ideſt talem , quæ ratione hominis naturali ac communi promulgetur , atque inter homines omnes propagetur ; ac proinde nationes Telluris diverſas , præſertim diverſarum religionum , nulla communi lege teneri , nec ſibi mutuo juſtitiam ullam debere . Ego in hac opinione fuiſſe cenſeo Lactantium, virum alioquin diſertum , nec indoctum . Alii vero poſt Okamum celeberrimum illum Nominalium Sectæ conditorem , non pauci e ſchola , & Renatus

ipſe

ipſe Carteſius (*a*), voluntatem Dei velut præciſam ab æterna ejus ratione fontem univerſi juris eſſe dicunt, ut quòd Deo placuit, id continuo ſit juſtum. Hoc ego in erratis pono, non quod non ſit juſtum & ſanctum quodcumque Deo placuit; nihil enim ei placere poteſt, quod naturæ & ſapientiæ ſuæ non ſit conſentaneum; nec eſt illius naturæ quidquam conſentaneum, quod non ſit juſtum & ſanctum: ſed quod ante omnem Dei voluntatem (liceat hoc in loco ad mentis noſtræ brevitatem accommodate loqui), in ipſa ejus natura & intellectu ratio ineſt juſti & ſancti. Itaque inde Dei voluntas, ut ita dicam, informatur, ut nihil velit, niſi quod juſtum ſit & ſanctum (*b*).

§. VII. Pluribus hujuſcemodi errores confutarunt olim & Platonici, atque Stoici, & nuper viri doctiſſimi Hugo Grotius in Prolegomenis ad libros de *Jure belli & pacis*; Cudworthus in libello de æternis juſti & honeſti notionibus *Syſtemati Intellectuali* addito; Richardus Kumberlandus de *legibus naturæ* adverſus Hobbium; Puffendorfius lib. II. de *Jure naturæ & gentium*; Huberus de *Civitate*, aliique pene infiniti. Nos paucis. Ac principio eos, qui negant poſſe naturam juſto ſecernere iniquum, uno argumento refutabimus. Deum eſſe, ideſt mentem æternam, intelligentiſſimam, optimam, atque ab eo quum cetera, tum præſertim homines gubernari, ex ſuperioribus patet. Exigit autem horum gubernatio, ut legibus naturæ ſingulorum adaptatis regantur, quibus finem ſuum conſequantur; ergo providentiæ divinæ intereſt, hominem ad finem ſuum agere legibus, quæ humanæ naturæ aptantur. Conſtant jam homines duplici vita, ani-

(a) R*eſp. ad object. ſextas. Vide ut eum hominis errorem redarguit Cudworthus* de æternis juſti & honeſti notionibus cap. 3.

(b) In Deo, *inquit ſæpe S. Thomas perſpectiſſime*, ſapientia dirigit, voluntas imperat, potentia exſequitur. *Eſt enim voluntas appetitus ſuperior, ſeu rationalis; concipi ergo nequit ſine ratione, in Deo omnis ratio eſt ſumma; adeoque ſumma regula. Qui igitur voluntatem Deo omnis rationis adſpernantem tribuunt, ejus omnem funditus ſubvertunt naturam, ut non immerito pro atheis haberi debeant.*

animali, & rationali; quarum nec prior ſine legibus mechanicis conſiſtere poteſt & ad finem ſuum tendere; nec poſterior ſine legibus moralibus, ideſt ſine legibus, quæ rationem humanam virtutis & vitii notionibus informent, ac ſanctione regant; utriſque ergo legibus homines Deus gubernet neceſſe eſt, ſi quidem & eſt, & ullam mundi habet procurationem: eſt autem, & mundum ſapienter procurat; utriſque ergo legibus mundum regit. Et priores quidem, ideſt mechanicæ, quum non in rationem noſtram agere debeant; notæ nobis ſint, an ignotæ, nihil omnino refert. At poſteriores ignotæ inutiles; oportet ergo, ut eas omnibus promulget. Quum ea promulgatio communis eſſe debeat, neceſſe eſt ut natura fiat; quum conſtet revelationem nunquam fuiſſe omnibus nationibus, omnibuſque individuis factam (*a*): Regitur autem ratio in iis, quæ vitam hominis moralem ſpectant, legibus ex fine hominis deſumtis; ergo hinc petenda ratio legum naturalium exploratrix atque interpretatrix. Eſt porro hominis finis beatitudo: ex hac ergo ratio haurienda eſt legum naturalium exploratrix, atque interpretatrix: nempe Deum vetare quæcumque unquam hominem infeliciorem efficere poſſint, præcipere vero, quæ conſervare ſunt apta, & beatum facere. Poſtremo virtu-

(a) *Ac facta quidem fuit ſtipitibus humani generis Adæ, ac Noemo: ex qua haud abnuerim aliquas ſcintillas ad poſteros manaſſe, quod omnium copioſe ac docte demonſtravit Bochartus in Geogr. ſac. Sed poſtquam totum pene hominum genus ad agreſtem vitam flexit, quis ejuſmodi fragmenta mille fabulis incruſtata perverſaque pro integra naturæ lege habeat in barbaris aut profanis nationibus? Itaque quod magno ſtudio atque apparatu egit Seldenus, ut totam nationum omnium juſtitiam, legeſque omnes e præceptis Noachidis conrivaret, haud ab eo mihi incepto abſimile videtur, quo Homerici noſtri ab Homeri poematibus ſcientias expromere adlaborant; aut quod tanto apparatu egit Huetius, ut omnes Dii, Deæque, ac Semidei Gentium, Moſes ſint & Sephora. Præſertim cum Rabbinorum ſcriptis ſe decipi, vir alioquin magnus, tam fœde ſit paſſus, Talmude, Miſnah, idque genus aliis, quibus ne Græcæ quidem fabulæ ſunt mendaciores; quod quivis ex Jacobi Baſnagii Judæorum hiſtoria facile didicerit. Vide &* Hiſtory of the diſperſion of the Jews *tom.* XIII. in 8. of an univerſal hiſtory *Anglorum*.

te creatur beatitudo, vitiis miseria cum in integris gentibus, tum in singulis familiis, ac personis; itaque lex exstat in natura, ac cum natura promulgata, qua virtutem sectari nobis præcipitur, cavere vitia. Vide Tullium lib. I. de legibus. Ita refelluntur ii, qui non natura, sed opinione constitutum esse jus docent. Accedit quod omnibus natura ipsa constat, homines gigni suarum proprietatum conscios amantesque; quod cuique in proprietate est, jus est; cum ingenitis ergo nascuntur juribus. Est autem contradictorium, jus aliquod esse in mea proprietate, nec tamen ita meum, ut non vetitum sit aliis mihi illud præripere; vetat igitur summa Dei voluntas jura cujusque invadere. Id natura ipsa discitur, ut naturaliter agnoscuntur jura: ergo naturaliter intelligimus esse legem jurium cuique suorum vindicatrix. Hæc naturæ lex dicitur.

§. VIII. Facillime quoque refelluntur, qui secundo loco sunt memorati. Et ii quidem, qui negant in ratione naturali ac hominum conscientia esse vim, qua prima saltem legis naturæ capita intelligantur (nam in ceteris non pugno) superiori argumento aperte confutantur: constat enim ex eo, esse in natura humana dictamina quædam rationis, quibus pleraque Dei imperia intelligimus: tum etiam productis legis naturalis *principiis cognoscitivis*, ut vocant, quod inferius efficiemus. Ac vero qui ita censent, ii eos omnes, ad quos revelatio aut facta non est, aut fando nunquam pervenit, nulla lege, nulloque justi & honesti criterio naturali uti, fateri coguntur, ac proinde ne peccare quidem ullo modo (*a*): ex quo sequitur, ut injuste ii malis, quæ sunt in natura, saltem extraordinariis quibusdam suppliciis, affligentur, quæ, ut dictum est, hac ratione cum Dei bonitate componuntur si sint pœnæ, quibus aberrans hominum voluntas ad leges justi & honesti revocatur. Qua ex re intelligitur,

(a) *Inde natum est monstrum illud peccati philosophici, quod ipsi Ethnici ignorabant; qui* Θεμιν ευνταιαν, *ut vocat in Medea Euripides, in Numinibus habebant.*

tur, hanc opinionem cum Dei bonitate & providentia pugnare, quæ ut non patitur, vitam hominis animalem nullis regi legibus mechanicis; ita pati non decet, ejusdem vitam rationalem ac moralem, quæ multo est præstantior, sine legibus moralibus traduci. Quid, inquit aliquis, si, ut in hunc statum devenirent, homines primorum parentum scelere commeriti sunt? Non video id sequi: boni enim & sapientis principis non est, quo vetera scelera deleantur, regulam justi ab injusto discernendi adimere, quo plura & majora admittantur. Accedit, quod recta ratio omnibus constat, saltem in præcipuis vitæ humanæ negotiis, ubi recte homo utatur: nam si ego existimo, humanam rationem non tam natura, quam educatione & vitæ commercio tam esse in hominibus depravatam; seu eam depravationem, quam educatio induit, longius sæpe ire, quam ea est obumbratio, quæ est a natura (*a*). Igitur perversitate morum lex naturæ obfuscari adumbrarique potest ac perverti: funditus deleri nequit, ut nusquam appareat.

§. IX. Ex natura igitur divinæ providentiæ & bonitatis consequitur manifesto, non solum esse debere in natura leges humanæ vitæ directrices, verum etiam principium earum cognoscendarum manifestum & certum, saltem quod ad prima pertinet capita. Nam ut omnes homines in singulis officiis plene instituantur, id e sola cujusque ratione fieri difficillimum esse intelligi, quum ob alias causas, tum ob hanc præsertim, quod non omnes tantæ animi capacitatis & intentionis esse possint, potissimum a curis vitæ animalis dis-

 tra-

(a) *Hæc ejuscemodi theologorum opinio pugnat cum ipsis Scripturis, præsertim cum doctrina Paulli in ep. ad Romanos; in qua aperte dicit, omnes Gentes cognovisse* το δικαιωμα τȣ Θεȣ (*cap.* I. *v.* 32.) justitias Dei; *idque propter legem* scriptam in cordibus suis. *Illud dicet quispiam, quid istuc est, quod idem Apostolus ait eadem epist.* Εγω δ' εζων χωρις νομȣ ποτε (*cap.* VII. *v.* 9.) Ego eram aliquando sine lege. *Respondeo* το ego *hic Judæos significare, qui fuerunt aliquando, nempe in Ægypto, sine lege scripta, seu per Mosem data ac sancta: nunquam vero sine lege in animis inscripta. Quid si illud* ποτε, *pro* quasi *positum sit? Sunt enim qui putant.*

tracti. Oportet itaque, ut dictum eſt, eſſe in natura principium legum vitæ directricum cognoſcitivum. Quum autem id principium eſſe debeat toti hominum generi commune; nec toti hominum generi communis ſit revelatio (*a*); ſola ſupereſt ratio, cujus via hujuſmodi leges hominibus omnibus promulgatæ ſint. Et conficitur quidem humana ratio duobus, *facultate ratiocinandi*, & *notionibus*, ſeu *principiis quibuſdam*, queis omnis ratiocinatio inædificatur. Oportet ergo & facultatem circa bona aut mala, juſta aut injuſta ratiocinandi, & notiones quaſdam ſcientiæ moralis genitrices, ſeu e natura ipſa humana erumpentes, ſeu ex natura rerum proficiſcentes, ſeu undecumque tandem delabentes, omnibus eſſe hominibus communes (*b*). Id vero ſic ſe habere tota humana hiſtoria docet. Nam primum de facultate ratiocinandi qui litem ſerio moveat eſſe video neminem: nemo enim hominum eſt, aut exſtitit unquam, qui ſeu circa magna, ſeu parva non ſua utatur ratione, ſibique aliquid concludere perſuadeat. Quin nemo eſt, qui non acutiſſime & recte ratiocinetur in iis rebus, cum quibus diu verſatus eſt, id quod barbararum ipſarum gentium exemplo conſtat. Deinde eſſe notiones quaſdam primas & immutabiles, quæ ex mundo, ejuſque ordine, & hominis fine, ac convenientia cum natura rationali, deducantur, & ex quibus Dei leges naturaliter percipiantur, id ex iis, quæ inferius ſumus dicturi, erit perſpicuum. Ut vero multa paucis comprehendamus, atque in anteceſſum dicamus, quis ignorare poteſt, qui Dei, ſui ipſius, aliorum hominum naturæ non ſit plane inſcius, oportere eſſe Deo amicum, a quo eſt: tum ſibi, qui eſt, ac eſſe natura ſua amat: tandem aliis, quibuſcum naturam habemus communem, ac ſine quorum ſocietate eſſe nequimus? Itaque vel barbarus intelligit neceſ-

(a) *Pſalm.* 147. Non fecit Deus taliter omni nationi, & judicia ſua non revelavit eis: *ſeu, ut eſt in Hebræo*, jura ejus non noverunt. *Hic* jura *pro* δικαιώμασι, ſanctionibus poſitivis.

(b) Habitus practicos *vocat S. Thomas*, *eoſque* innatos *habet*, *poteſtate ſcilicet & vi*, *non* ενεργεια *actu*: *nam anima huc venit* inſtar tabulæ *raſæ*. 1. *p*. *q*. 85.

ceſſe eſt, ea eſſe efficienda omnia, quibus hæc amicitia & confirmetur & foveatur: & ea evitanda, quibus aut poſſit extingui, aut diſſipari. Tum quis ignorare poteſt, *ſua cuique jura tribuenda*, jura vero cujuſque eſſe quæcumque in ejus ſunt proprietate? Sed hæc poſtea.

§. X. Conſtat ergo rationem ſuam Deum hominibus per creationem communicare, qua vita humana ſapienter, juſte, honeſte tranſigi poſſit: nam ea ſapientia & factus eſt mundus, & regitur, ut neceſſe ſit ab homine mundi parte naturaliter ſentiatur. Id ſupereſt, ut oſtendamus, Deum velle his ſcitis, hac ratione, homines vivere; niſi enim ita ſit, longe illa a ratione legis, ut dictum eſt (§. II.) abeſt. Id vero ſic paucis confici poteſt. Deum de ſuo in res omnes imperio nihil remittere, perpetua rerum omnium cura & providentia demonſtrat. Ac vero ne decet quidem illum huic imperio renuntiare: pugnat enim non modo cum ejus natura, quæ ut eſt rerum omnium effectrix, ita non poteſt non eſſe conſervatrix; ſed cum ejus quoque bonitate, quæ iis prodeſſe amat, quæ ut nequeunt ſuapte eſſe natura, ita ſua vi bona & perfecta eſſe non poſſunt, nec fines ſuos contingere, niſi a Deo & moveantur, & regantur. Vult ergo Deus, ut creaturæ rationales ſupremi illius imperii vim & rationem obſervent, turbaturæ alioquin ſui ac naturæ ordinem. Quumque intelligat naturam humanam ita a ſe eſſe procreatam, ut voluptate & dolore determinetur, & ad agendum, & ad ceſſandum; dubitare non poſſumus, quin ut homines præſtantiſſimam hanc regulam ſequantur, pœnis obligare velit, aut præmiis animare: alioquin inutilis tota illa cura futura eſſet. Non negaverim, ſi puram naturalem rationem conſulamus, in hujuſmodi pœnarum & præmiorum cognitione ſæpe cæcutire: ſed id nihil prohibet, quin generatim ſaltem intelligamus, adeſſe parata (*a*), quod ſa-

(a) *Obligatio integra juris naturæ & ad alteram quoque vitam pertinet, & paullo eſt ſublimior: Civilis vero ſenſibilis totaque patens. Nam pœnæ naturali legi adnexæ, aliæ quidem hic ſentiunt*

tis esse nobis debet, quo in officio perstemus. An enim Deum muneri suo, ac sapientiæ deesse dicemus? Sed vero non deest: nam gentis humanæ historiam legentes, nihil reperiemus manifestius, quum tum perpulchre & beate populos egisse, quum sincere Deo, sibi, ceteris amici fuere; idest cum jura coluere: delapsos vero in vitia ac scelera miseros exstitisse. Id accidit ipsum & familiis, & personis. Nemo miser nisi stultitia, & vitio: virtute omnique honestate beatus. Quod quid potest esse aliud, nisi legis universi consectarium? Est igitur in natura, & manifestum, vitæ beate transigendæ decretum; & palpabilis, ut ita dicam, atque perpetuo vigens sanctio. Sed movet paucorum improborum felicitas, aut miseria proborum. Quæ cur ego falsa habeam & dictum est in tertia parte,

tiuntur spectanturque; aliæ nec spectantur, & remotiores sunt. Quum autem homo qualis nunc est, ingenio sit sæpe perverso, illis tantum, quæ perverse sentiuntur, gubernari nequit. Nam & stulti sunt plures, & in dolore perferendo induruere. Hinc nata necessitas sanctionum Civilium. Interim evadere possunt admodum sensibilia præmia & pœnæ juris naturæ, nosque satis regere, si in animum sæpe revocemus; magnam vitæ tranquillitatem sequi, ubi ex recta ratione & virtute congruenter vivamus; miseriam vero magnam, ubi cupiditates nostras sequi velimus. Nam ego id sæpe, dum nationum historias legerem, observavi, non in cultioribus tantum gentibus veræ virtuti magnos tribui honores, sed etiam in barbaris, ut si non semper virtutis cultores præmiis cumulentur, & perituris bonis, quie[illegible] vitam agere sinantur, quod primum est virtutis præmium. Neque enim ego veram virtutem dixerim eam, qua qui præditus sibi videtur, indignatur, se negligi, nec ad prima Reip. munera evehi. Virtutis præmium maximum est, ut a turbis remoti tranquille vivamus; quo qui contenti non sunt, falsæ virtutis specie & se & alios deludificant. Id ipsi Epicurei intellexere. Lucret. lib. II.:

O miseras hominum menteis, o pectora cæca!
. . . . Nonne videre
Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, quam
Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur
Jucundo sensu, cura semota, metuque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omnino, quæ demant cumque dolorem;
Delicias quoque uti nullas substernere possint:
Gratius interdum neque natura ipsa requirit.

te, & dicetur uberius in dissertatione *de origine malorum* tom. v. (*a*).

§. XI. Est porro Deus potentissimus, qui ejusmodi pœnas exigere possit: justus & incommutabilis, ut velit; suprema ergo ejus ratio homini naturaliter communicata, omnibus, quod ad prima saltem capita, intelligibilis, absolutissima naturæ lex est. Quibus constitutis, particulatim in hujus legis notiones primas & æternas inquirendum est. Sed omnium primum ii confutandi sunt, qui nuper quum legem naturæ explicare videri vellent, totam, ut mihi quidem videtur, stirpitus evellerunt.

CAPUT V.

Systema legum naturalium Thomæ Hobbesii enarratur.

§. I. AUctores ego recentium impurorum, quod ad juris naturæ theoriam attinet, duos facio, Hobbesium, & Spinozam, magnæ naturæ civitatis, ut ego quidem existimo, perduelles. Hobbesii nunc dogmata enarremus ac cribremus, mox Spinozam petituri. Duo edidit Thomas Hobbes opera, in quibus Juris istiusmodi humani generis communis naturam & origines aggressus est explicare, seu in quibus potius jus omne naturale subvertere conatus est: alterum *de cive*, alterum *Leviathan*, seu *de materia, forma, & potestate civitatis ecclesiasticæ, & civilis*. Et opusculum quidem de cive pluries cusum, & recusum est. Leviathan cum ceteris Hobbii operibus Amstelædami anno 1668. duobus tomis in 4. Liber de Cive viris quibusdam doctis impense placuit, quod geometrica prorsus methodo Philosophiæ moralis principia comprehensa parvo libello tradantur, & pleraque contineantur præclare observata, & demonstrata adcurate. In primis vero Gassendus & Mersennus in Epistolis Samueli Sor-

(a) *Copiose docteque totam hanc rem edisseruit Bolingbrokius; qui si crudis quibusdam dogmatibus abstinuisset, rem hominibus fecisset vix ullo encomio satis laudandam.*

Sorberio datis librum vocant *aureum*, & dignum, quî omnium, qui altiora ſapiunt, manibus teratur: & Puſendorfius copioſe laudat præfatione in libros de jure Naturali & Gentium, *velut in quo ſint quædam quantivis pretii*. Sed aliter de eo populares ſui judicarunt, quibus ſcilicet Auctoris ſcopus notior erat. Samuel Parckerus diſput. 1. de Deo & Providentia contendit, Hobbium nihil nobis aliud obtuliſſe, niſi quod apud veteres in Epicuro reprehenſa invenimus. Richardus vero Kumberlandus ex inſtituto illum & docte confutavit in opere *de legibus Naturæ*. Becherus velut imperitum earum rerum, quas de moribus ſcripſit, accuſat, ejuſque nefaria dogmata paucis exprimit. *Juſtum*, inquit, *& injuſtum perperam æſtimat: legem male definit: principem impie ſolvit lege: civitatem, quam adornat, aut deformat, aut evertit: pactorum religione non multum tangitur*. Quæ ſi omnia ſint vera, quid peſtilentius in hominum ſocietatem invehi poteſt?

§. II. Sed explicemus primum hujus hominis ſyſtema totum, mox articulatim expenſuri. Efficio autem id tanto libentius, quanto hic liber gratior ſæculo noſtro, ac nonnullis etiam Italorum eſt, qui redivivum in eo Macchiavellum neſcio cur cernere ſibi perſuaſere. Efficiam autem ſine ullo partium ſtudio, non diſſimulaturus ea, quæ ſuum habent pretium, quæ certe ſunt aliqua. Jus ille primum a lege naturali ſecernit. Et *jus* quidem *naturale* vocat *libertatem, quam quiſque natura habet facultatibus naturalibus ſecundum rectam rationem utendi* (a). Non id male, ſi eam rectam rationem dicat, quæ lege informata eſt. Legem vero naturæ appellat, *dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda, vel omittenda ſunt ad vitæ membrorumque conſervationem, quantum fieri poteſt, diuturnam* (b). Hæc non ſatis plene, ut poſtea videbimus. Ejus vero ſuper his rebus Philoſophia huc redit. Hanc ſcientiam, legis nempe naturæ & morum, exordiendam eſſe a principiis non ad libidinem confictis, ſed veris, & in natura

(a) *Lib.* 1. *de Cive cap.* 1. §. 7.
(b) *Ibidem lib.* 1. *cap.* 2. §. 1.

tura insitis, quæque ipsi clare persentiscamus, indeque geometrica methodo tradendam : ea vero principia ex intima hominis natura haurienda. Nihil dici potuit ad rem accommodatius, idque non in hac tantum scientia, verum in omnibus aliis faciendum, nisi desipere velimus. Sed quid magni promissor hiatus?

§. III. Pergit: natura humana diligenter examinata, continuo prodit magnum hoc totius rei moralis principium : *Ingenia hominun ejusmodi esse a natura, ut nisi metu potentiæ alicujus communis coërceantur, fore ut sibi invicem diffidant, & sese mutuo metuant, & ut propriis viribus singuli sibi cavere cum jure possint, tum necessario velint* (*a*). Ei principio addit postulata, ut ille vocat, duo; quorum primum est *cupiditatis naturalis, qua quisque rerum communium usum postulat sibi proprium :* alterum *rationis naturalis, qua quisque mortem violentam, tanquam summum naturæ malum, studet evitare.* Utrumque verum : sed ita inde flectit, ut utrumque corrumpat. *Ab his principiis* (pergit ille in Epistola dedicatoria) *pactorum & fidei conservandæ necessitatem, atque inde virtutis moralis, officiorumque civilium elementa in hac opella evidentissima connexione videor mihi demonstrasse*. Hæc ille : in quibus clare videre est astutam hominis mentem, qui e natura humana nec prima, & nostris moribus fœdata ac depravata, potius, quam ab ejus primis proprietatibus, ac fine, quem recta ratio præscribit, totius naturalis juris fundamenta excitare conetur. Nam cum hac nos natura aut potius naturæ depravatione pene omnes nunc vivere Adæ filios, id inficias ire nequimus; neque super ea re Hobbio controversiam movere possumus, quando & tota id divina scriptura docet, & omnium hominum vita confirmat : sed ut ex hujusmodi adventitia natura, aut ex primæva quidem, sed male flexa, excitentur totius naturæ juris principia, id Aristoteles ipse pessime fieri dixerit (*b*). Sed ea de re paullo post.

§. IV.

(*a*) *Præfatione in libros de Cive, seu in Epistola ad Lectorem.*
(*b*) Πρωτον ανδρα *desiderabat Aristoteles* in politicis, *nec dum reperiebat.*

§. IV. Videamus autem ut inde philoſophatur. Principio homines omnes natura eſſe æquales ponit: deinde & omnes neceſſitate quadam naturæ *non minore, quam qua fertur lapis deorſum, ferri ad appetitionem ejus, quod ſibi bonum, & ad fugam ejus, quod ſibi malum, maxime autem maximi malorum naturalium, quæ eſt mors*. Vera hæc. Hinc concludit, ſecundum rectam rationem eſſe, ut unuſquiſque omnem operam det, qua ſe, ſuaque conſervet, & defendat. Quod autem ſecundum rectam rationem fit, id jure naturali fit; ergo primum eſt juris naturalis fundamentum, *ut quiſque vitam & membra ſua, quantum poteſt, tueri poſſit*. Nihil concludi rectius potuit. Sed incipiunt aberrationes. Præterea cui ineſt jus ad finem, is etiam ad media jus habet: habet autem homo jus ad vitam tuendam; ergo & jus utendi omnibus mediis, & agendi omnem actionem, ſine qua conſervare ſe non poteſt. Nimis hoc amplum. Judicare autem, quæ noſtræ vitæ interſunt, non aliorum eſt, ſed noſtri (& hoc anceps); ergo ſecundum ſuam cujuſque rationem peculiarem uti poteſt quilibet jure & mediis vitæ conſervandæ & tuendæ.

§. V. His ſic expoſitis pergit ulterius, atque ſtatuit, in ſtatu mere naturali, ideſt ante, aut extra imperium civile, *omnia eſſe omnium*, ideſt unicuique licere facere quæcumque, & in quoſcumque libet, quæ ſua intereſſe putet. Atque idcirco, concludit, in ſtatu naturali menſuram juris eſſe cujuſque utilitatem (*a*). Et hoc nimis crudum, perverſumque. Idcirco jus in ſtatu naturali inutile eſſe cenſet. Nam quum omnes alii velut natura æquales æquale jus habeant, ac vim æqualem, ob quæ nemini ulla re uti licet tuto; effectus juris nullus eſt. Ob hoc igitur jus æquale, & ob naturalem hominum proclivitatem ad ſe mutuo laceſſendum, efficitur, ut ſtatus hominum naturalis ſit ſtatus mutui belli. Enimvero bellum eſt is hominum liberorum ſtatus, *in quo juris ſui perſequendi gratia per vim & dolum concertant*, quemadmodum Cornelius ipſe Van-

(a) *Lib. 1. de Cive, cap. 1. §. 10.*

Van-Binchkerſoechius definit (*a*): habent autem omnes homines naturaliter jus in omnia, atque ad ea perſequenda a natura incenduntur; tum vi, & dolo concertant, quod Gentium quarumdam barbararum, ac extra Rempublicam poſitarum luculenta exempla docent: in mutuo ergo bello verſantur, quoad ſtatus ille naturalis perdurat. Et hæc vera, *facto* licet, non *jure*.

§. VI. Jam mutuum hoc bellum, mutuuſque metus ad homines conſervandum nullo pacto idonea eſſe poſſunt. Qui enim conſervari poſſunt in eo ſtatu, in quo ad mutuam perniciem armantur omnes? Ergo amor ille noſtri proprius & neceſſarius, ex quo, inquit, jus in omnia deducimus, quemlibet docet, ut de jure illo aliquid remittamus, ac de ſtatu naturali concedamus in Rempublicam. Id vero fit per pacem. Nihil enim aliud bello eſt adverſum, niſi pax. Ergo primaria notio legis naturalis, ſeu primum dictamen rectæ rationis ad nos conſervandos eſt, *quærendam eſſe pacem, quatenus habendæ ejus ſpes aliqua affulſerit: ubi ea haberi non poteſt, circumſpicienda eſſe belli auxilia* (*b*).

§. VII. Ex quo principio cetera peculiaria legis naturæ præcepta derivat, eaque paucis verbis complectitur. Ac principio jus in omnia non eſſe retinendum ratio dictat, nulla enim inter homines pax iniri poteſt, niſi ejus juris remiſſione quadam. Remittitur autem aliquid de jure in omnia *pactis conventis*, quæ quamdiu durant ſarta tecta, tamdiu habetur pax; ergo inde ſequitur manifeſto altera naturæ lex, *pactis ſtandum, ſive conventionum fidem ſervandam, tanquam conciliandæ paci neceſſariam*.

§. VIII. Tertia porro lex eſt, *ut beneficio beneficium quum poſſis rependas*. Ea lex ad pacem magis magiſque conſtabiliendam & confirmandam neceſſaria eſt: nam a pace ad bellum non ſubito fit tranſitus, ſed veluti per gradus, quorum primus eſt, *denegata gratitudo, humanitas, benevolentia*. Quorſum etiam tendit

(a) *Juris publici lib.* 1. *cap.* 1.
(b) *De Cive cap.* 1. §. 15. & *cap.* 2. §. 11.

dit IV. lex, *ut unusquisque se ceteris commodum præstet*. Qui enim alteri incommodus & molestus est, eum paullatim ad bellum incitat, quod vitandum, ex superioribus.

Ex eodem porro pacis conservandæ principio, atque imminuendi hostium numeri, sequitur. V. Hobbesiana lex, *oportere alterum alteri, sumta cautione futuri temporis, præteriti veniam, petenti & pœnitenti, concedere*. Nisi enim concedas, bellum te fovere manifesto argumento ostendes; id vero est, quod naturæ primaria lex vetat.

VI. Lex est, *In ultione, sive pœnis, spectandum esse non tam malum præteritum, quam bonum futurum*: nempe ut præclare Seneca post Platonem, *Nemo punit, quia peccatum est, sed ne peccetur*.

VII. Vero lex est, *Ne quis vel factis, vel verbis, vel vultu, vel risu alteri ostendat, se illum vel odisse, vel contemnere*: nam hæc omnia ad rixam, & pugnam maxime omnium provocant.

VIII. Lex est, *ut unusquisque natura unicuique æqualis habeatur*. Nam inæqualitas, quæ nunc obtinet inter homines, a civitatibus, civilique lege profecta est, eaque a natura ignoratur.

IX. Lex est, *ut quæcumque jura unusquisque sibimet ipse postulat, eadem etiam unicuique ceterorum concedat*: alioquin æqualitatem naturæ evertit, & ad bellum irritat animos.

X. Est, *ut unusquisque in jure [illegible] distribuendo utrique parti æqualem se præbeat*: quæ [illegible] consectarium est duarum superiorum.

XI. Lex: *quæ dividi non possunt, communiter, si fieri potest, utenda esse, idque, si quantitas rei permittat, quantum quisque velit: sin quantitas rei prohibeat, præfinite, & proportione ad numerum utentium*.

Quod si neque dividi, neque communiter res haberi potest, tum utendum est XII. Naturæ lege, quæ præcipit, secundum Hobbium, *ut ejus rei usus vel alternus sit, vel uni tantum sorte adjudicetur, utque in alterno usu sorte quoque, uter prior utatur, judicetur*.

XIII. Lex: quumque sors vel sit naturalis, ut primo-

mogenitura, vel prioritatis occupationis, vel arbitraria, quæ nempe ſtatuta ſit conſenſu contendentium; ſequitur inde decimum tertium legis naturalis præceptum. *Quæ neque dividi, neque communiter haberi poſſunt, aut cedant primogenito, niſi pater jus illud tranſtulerit, aut ſint primi occupantis*,

XIV. Lex eſt: *pacis mediatoribus præſtandam incolumitatem:* nam quum ſine iis vix iniri poſſit pax, niſi ea incolumitas iis præſtetur, nullus erit ineundæ pacis modus.

XV. & XVI. Lex: In diſputatione ſuper applicatione harum legum ad facta ſervanda eſt 15. & 16. lex, *oportere utrumque de jure inter ſe diſceptantium ſubmittere ſe alicujus tertii arbitrio: neminem eſſe arbitrum ſui ipſius*. Nimirum difficillime diſceptantes in cauſa propria æqualitatem juris ſervare poſſunt.

XVII. Lex: *neminem arbitrum eſſe oportere, cui commodi vel gloriæ ſpes aliqua appareat major ex victoria unius partis, quam alterius:* quod ſcilicet non poſſit æqualitatem ſervare.

XVIII. Lex: *ſi autem controverſia ſit de facto, quum alter factum negat, alter ait, arbiter neutri credat, ſed ubi ſigna certa facti non apparent, ibi ſecundum teſtes, qui utrique parti videantur æqui, ſententiam ferat*.

Ex quibus ſequitur XIX. Lex: *Nullum pactum vel promiſſum intercedere debere inter arbitrum, & partes, cujus vi cogatur in gratiam alterutrius pronunciare*.

XX. Tandem lex eſt, *ne ebrietate ratiocinandi facultas labefactetur*. Quæ lex nimis peculiaris eſt, ut pleræque aliæ Hobbeſianæ, quæ idcirco in leges naturæ primarias collocandæ non erant. Nam ſi conſectaria quoque interſerere voluit, hoc ipſum XX. præceptum ad omnes affectus extendere debuit, qui æque ut vinum inebriant, ac rationem de loco ſuo deturbant; atque hanc præ illa præcipere, *modum, nempe ac modeſtiam, temperantiamque animi in vita ſervare oportere*.

§. IX. Porro ſuper his legibus hæc cenſet. 1. Eas ſemper & ubique obligare in foro interno, ſive in conſcientia, non ſemper autem in foro externo. Nempe etiam quum extrinſecus obſervari nequeunt ob neceſ-

cessaria impedimenta, retinendus adhuc est in illas amor & obsequium, atque perpetua & constans voluntas secundum eas vitam instituendi. Extrinsecus autem minime servandas docet, quum ceteri non servant: tum enim qui observat, cedit in non observantium prædam, atque idcirco contra rectam rationem facit, quæ nos tueri oportere dictat (*a*). Præterea leges naturæ immutabiles, & æternas esse dicit, ut quod vetant, nunquam licitum esse possit; quod jubent, nunquam illicitum. Quod ita intelligit, non ut nunquam extrinsecus eæ violari nequeant; sed ut nunquam fas sit animatum esse adversus illas (*b*). Tandem eas leges, quum sint conclusiones quædam ratione intellectæ de agendis, & omittendis: lex autem proprie & adcurate loquendo sit ratio ejus, qui aliquid fieri, vel non fieri aliis jure imperat; non esse proprie loquendo leges, quatenus a natura procedunt, sed quatenus a Deo in scripturis sacris latæ sunt (*c*). Copiose vero cap. IV. demonstrat leges illas in scripturis divinis clare positas esse. His tandem peractis totum Philosophiæ Moralis corpus inde conformare studet.

CAPUT VI.

Hobbesianum systema excutitur: principia falsa confutantur. Leges ex se spectatæ atque e veris principiis ductæ veræ ac pulchræ.

§. I. ATque hujusmodi est systema legum naturalium Hobbesianum, tale scilicet, in quo veris præceptis falsa sunt admixta principia, quæ totam doctrinam moralem labefactare possint. Nos singillatim singula expendemus, ac altera ab alteris secernemus; tum solidis argumentis quæ sunt falsa refellemus. Principio legis naturalis definitio multipliciter peccat 1. Dictamine rectæ rationis intelligi quidem

(a) *De Cive cap.* 2. §. 27.
(b) *Ibid.* §. 29.
(c) *Ibid.* §. 34.

dem naturæ ordo poteſt, atque ex eo leges nobis convenientes derivari : at effici nequeunt : ſeu dictamen rectæ rationis principium eſſe poteſt legum naturæ *cognoſcitivum*, ut vocant, non obligationum, ſeu lex naturæ propriæ dicta. Itaque lex naturæ eſt ratio imperantis Dei dictamine rationis humanæ promulgata, non ipſum humanæ rationis dictamen velut ab illo imperio abſciſſum. *Lex*, inquit de hujuſcemodi lege Cicero in primo de legibus, *eſt* RATIO SUMMA *inſita in natura, quæ jubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria :* ſummam dicit, quæ a ſupremo dictatur imperante. Hæc igitur duo dum ille miſcet, inde eam concluſionem deducit, qua leges omnes naturæ pervertit, nimirum eas proprie loquendo leges non eſſe, niſi quatenus in divinis Scripturis revelatæ ſunt. Quod tantundem eſt dicere, atque rectam rationem regulam quidem eſſe humanæ vitæ qualemcumque, minime tamen quæ legis habeat rationem & vim; quum neque perfecta eſſe poſſit ratio humana, nec ſibi pœnas minari, ſine quibus nulla lex plena eſt; ut ſuperius demonſtratum eſt. Itaque demonſtrandum ei erat, hæc dictamina cum Dei voluntate eſſe copulata, idque, ut ita dicam, ligamen naturali ratione cognoſci poſſe; eoque evadere illas perfectas naturæ rationalis leges, quod is non ignorabat (cap. 15. §. 3.). Nam quæ lex ſine ſanctione eſſe aut concipi poteſt? quæ ſanctio ſine imperante? Qui mundi imperans niſi ſumma atque æterna ratio ejus effectrix ac moderatrix?

§. II. Præterea ea verba, *ad vitæ membrorumque conſervationem, quantum fieri poteſt, diuturnam*, nimis arctum temporis ſpatium, nec totum objectum legis naturæ continent. Enimvero quum duplici vita ſit homo præditus, animali, & rationali; ſitque rationalis, immortalis; neceſſe eſt ut ultra hanc vitam legis naturæ vis & uſus extendatur, quo utramque vitam, & quidem pro ſui quamque conditione, ea lege ordinemus. At Hobbius, nobiliori vita excluſa, animalem tantum ſpectat, eamque legibus naturæ procurari contendit. Qui ſi idcirco facit, quod animos humanos mortales eſſe credit, ea omnium primum inſania repri-

primenda eſt ; quod a nobis alibi factum eſt. Sed etiamſi demus tantiſper mortales eſſe animos, quum objecta pleraque mentis humanæ diverſa ſint & diſtincta ab objectis vitæ corporeæ, non debuit legem naturæ ad ſolam procurationem vitæ corporeæ reſtringere : quum bona mentis, quæ Stoici *honeſta* dicebant, longe ſint nobiliora, ac ipſa per ſe amabilia, & *immortalia*, ut ait Sall. Jug. init.

§. III. Scio & Samuelem Puſendorfium in eadem, aut prope eadem, fuiſſe opinione, non extra ambitum præſentis vitæ diſciplinam Juris naturalis pertendere, ac non juriſprudentiæ hujus, ſed moralis tantum Theologiæ eſſe formare hominem ad vitam ſempiternam : in quo ille eſt graviſſime a viris doctis reprehenſus ; in primis ab ejus interprete Barbeiracio. Nam quum ratio naturalis, cujus lumine diſciplina hæc conficitur, doceat etiam, ut ego quidem opinor, animos cum corporibus non interire (*a*), non debet ea diſciplina ita præſentem vitam ſpectare, ut alterius obliviſcatur; quia hominis vita non intra breve hujus ævi ſpatium ab-

(a) *Scio eſſe, qui id a ſola revelatione ſubdoceri exiſtimant. Ego ſententiam non muto: præſertim cum generis humani ſit hæc perſuaſio. Atque hinc eſt ut omnes Ethnici Poetæ ac philoſophi non hic tantum pro male factis homines puniri doceant, ſed & in altera vita, in primis Homerus utroque poe[illegible]ate, & noſter Virgilius. Præclare Euripides in Helena v. 1020.*

Και γαρ τισις τωνδ' εςι τοις τε ενερ[illegible]
Και τοις ανωθεν πασιν ανθρωποις. Ὁ νυς[illegible]
Των κατθανοντων, ζῇ μεν ȣ, γνωμην δ' εχει
Αθανατον εις αθανατον αιθερ' εμπεσων.
Pœnæ enim manent & eos, qui ſub terra conditi ſunt,
Omnes, & qui hic deſuper ſunt homines. Animi enim
Defunctorum haud ii quidem hanc vitam habent, quam nos,
ſed ſenſum tamen retinent
Immortalem, cum immortali ætheri juncti ſunt.

Hæc igitur utcumque ratio ac philoſophia novit : ſed longe abfuit ut & plene noſceret, & eo animo faceret, quo oportuit, & in eum regeret finem, iiſque ex cauſis ac motivis, ex quibus opus fuit. In hoc ergo & manca, & falſa, & ſæpe fœda. Præſtitit totum hoc theologia. Hujus muneris eſt hujuſcemodi rationem perficere. At aliud eſt, nihil de altera vita illam aut vidiſſe aut docuiſſe, aliud non plene.

absolvitur, sed sempiternitatem spectat. Quare ut nobis fas non est illam dividere, ita eas vitæ rationes inire debemus, quæ ab illa æterna non sejungantur: est enim hæc, quam in tellure agimus, vitæ initium, non vita: nec aliter consideranda, si sapimus. Theologia igitur moralis, & naturalis Jurisprudentia non fine discrepant, ut Pufendorffius putat, sed principiis; quæ illa a divina revelatione haurit, hæc a ratione naturali. Quin ne Auctore quidem: idem enim utriusque dictator, Deus. Quid quod *Evangelica*, *Mosaica*, & *naturæ lex*, una eademque κατ' ȣσιαν sunt? non enim substantia differunt, sed modis (*a*).

§. IV. Veniamus jam ad principia scientiæ moralis, ut ille vocat. Principium illud, *ingenia hominum ejusmodi esse a* NATURA, *ut nisi metu potentiæ alicujus communis coerceantur, fore ut sibi invicem diffidant, & sese mutuo metuant, & ut propriis viribus singuli sibi cavere quum jure possint, tum* NECESSARIO *velint*, utcumque *actu* verum & consentaneum cum iis quæ sequuntur; nihilominus si ab intima natura, ac naturæ πρωτοις hauritur ab illo, omnem disciplinam moralem frustraneam reddit. Pluribus id ostendit Kumberlandus (*b*): nos paucis. Principio nego *hoc*, quod Hobbius dicit, *primum hominum ingenium* esse, ut alii aliis diffidant (*c*). Metus, diffidentia, odium, sunt affectus reflexi; neque ejusmodi esse primi in natura animali possunt (*d*). Longa fraudum malorumque experientia indigent ut excitentur, ac nutriantur. Pri-

(a) *Cathechismus Rom. Part. III. cap. 1. art. 3.* Hanc igitur divinam lucem (*legem videlicet naturalem*) pene jam pravis moribus & diuturna perversitate obscuratam, cum Deus MOYSI legem dedit, EAM POTIUS ILLUSTRIOREM REDDIDISSE, QUAM NOVAM TULISSE docendum est . . . . Certissimum enim est, non propterea his præceptis parendum esse, quod per Moysem data sunt, SED QUOD OMNIUM ANIMIS INGENITA, & per Christum Dominum nostrum EXPLICATA sunt & CONFIRMATA. *Una ergo sunt* κατ' ȣσιαν *naturæ lex*, *Mosaica*, *Evangelica*, *diversimode licet promulgatæ*, *aliaque alia explanata copiosius*.

(b) *Cap. 1. de Legibus Naturæ. Vide* l'Esprit des Loix *lib. 1. cap. 2.*

(c) *Vide Tull. V. de Finib.*

(d) *S. Th. 1. p. q. xx. art. 1. in c.*

mus ergo naturæ humanæ ſtatus eſt amor ſimilium. Cautio, & metus, & diffidentia, ſecundus. Tum nego, neceſſario nos a natura rapi, ut tales ſimus. Enimvero ſi natura ipſa ita comparati ſimus, ut alii alios metuamus; præterea ut neceſſario ad nos omnia trahere cupiamus; natura ipſa noſtra cum legibus ipſis Hobbeſianis pugnat, quarum ſumma eſt, *oportere & in commune conſulere;* quod ſine reciproca confidentia fieri nequit: neque reciproca eſſe fiducia, ubi talis revocat natura. Quocirca leges illæ, quas deinceps tanto ſtudio evolutat, non magis hominem formare ad ſocietatem poſſunt, quam animantia ſuapte natura ſibi infeſta, lupum & agnum. Jam ſi id eſt, inutilis tota illa tractatio Hobbio videri debuit: nec fas erat Philoſophum contra animi ſenſa id ſuſcipere emendandum, quod nequit eſſe niſi pravum, atque ita hominibus parum acutis imponere velle. Tum violenta & contra naturam omnis eſt humana ſocietas; quod tantum abeſt ut ſit verum, ut nihil magis cum natura omnibuſque hominis propenſionibus pugnet, quam ſolitudo: quippe qua etiam belluæ natura arcentur.

§. V. Ac vero non hanc eſſe ex origine ſua hominum naturam, quam ille depingit, id perſpicuum facit, quod hujuſmodi ingenium in iis hominibus, qui aut non ſunt educatione & commercio depravati, aut nondum a libidine affectuum correpti, nullum deprehendatur. Certe integræ gentes, quo a depravatarum commercio ſunt remotiores, eo ſimplicius atque ex naturæ uſu vivere reperiuntur. Minus apud eas cognita vitia, plus virtutis, ideſt plus ejus ſimplicitatis, quæ a natura eſt. Vulgatum eſt illud Juſtini hiſtorici, plurimiſque aliis exemplis confirmari poteſt, in primis Groëlandorum (*a*) & Cafrorum, plus profuiſſe Scythis ad honeſte vivendum vitiorum ignorationem, quam Græcis cognitionem virtutis (*b*). Confirmat hoc ipſum Pufendorffius exemplo infantium, in quibus natura inte-

(a) *Vide* Anderſon Hiſtoire naturelle de l' Islande &c. & Kolbi, Deſcription des Huttentots.

(b) *Lib. II. cap.* 2. Juſtitia gentis ingeniis culta, non legibus.

tegrior eſt, quique ad mutuam caritatem ab illa videntur facti; quippe qui etiam tum, cum ignoti ignotis conveniunt, in mutuos ſtatim amplexus, & alia amicitiæ ſigna ruunt. Diſtinguendum igitur Philoſopho erat inter ea, quæ naturæ ſunt inſita, & prima, ac directa, & ea quæ reflexa ſunt, & tempore adveniunt. Nam uſu vitæ, educatione, abuſu mentis, phantaſiæ, ſenſuum, ideſt pravis judiciis, impetu affectuum, commercio malorum, plurima paullatim creſcentibus nobis adſciſcit natura noſtra, atque inſito ingenio admiſcet, quæ minus acutis ingenita & prima videri deinceps poſſint: ex quibus nemo prudens naturam humanam æſtimaverit. Alioquin colligere poſſimus ita a natura nos eſſe comparatos, ut Bacchanalibus inſaniamus, ut faciem pingamus, ut mimos agamus, quod bona hominum pars in his toti aut verſentur, aut occupentur. Hæc fiunt, ſed non ex primis naturæ. Quid ſi quis dicat, quum aſpexerit ſphæram ruvidam, ſphæræ naturam & eſſentiam in hoc eſſe poſitam, ut ſit ruvida? Quod ſi liceret in primas naturæ noſtræ & inſitas qualitates introſpicere, ſi adventitia ſecernere, hominemque, non qualis eſſe deprehenditur, ſed qualis primum genitus eſt, contemplari, aut vehementer fallor, aut aliud ejus ingenium reperiremus, quam quod Hobbius eſſe arbitretur (a). Præſertim quum ſimile non ſit vero, hominem ad ſocietatem, ut infinita demonſtrant, a Deo genitum, iis fuiſſe inſtructum propenſionibus, quibus ab omni ſocietate non poſſit non abhorrere. Quod ſi quis ſibi perſuadeat, nihil dubito eundem perſuadere ſibi poſſe, ſapientem Architectum lapides rotundos, atque a ſe mutuo maxima vi diſſilientes, ad fornicem comparaſſe. Quid quod quæ ſunt animantium generi alicui eſſentialia, ea & omnibus ejus generis individuis communia ſunt, & ſemper, & ubique? quod nunc in hoc hominum ingenio, quod Hobbius prædicat, non obtinet; id quod demonſtrat, non naturale eſſe, ſed adſcititium. Platoni totum hominum genus

 vel-

(a) *Vide Ariſtotelem in Ethicis, ac primo Politices libro. Juſtinum loc. ſup. citato.*

velut equitatus quidam esse videbatur. In eo corpora equos referunt, mentes equites. Is ut equitatus esset equitibus utilis, necesse erat, ut viribus ac virium vectibus quibusdam instructi essent equi: sed moderatio equitum esse debet. Corpora nisi & vita, & viribus, quæ vitam comitantur, in primis affectibus, essent prædita, ne agi quidem possent, nec ullius essent imperantibus mentibus usus: sed mentium officium est ita ea moderari, ut ne terminos nostræ felicitati præfixos excurrant. Id regimen ex informata ratione petendum. Informatur autem ratio notionibus virtutum: virtutes regulæ efficiunt: regulas rerum relationes cum fine, quod alibi dicetur copiosius.

§. VI. Accedit eodem, quod si naturam humanam acute introspiciamus, duo in ea in primis, ut indicavimus, affectuum genera inter se diversa reperiemus: quorum alterum affectus continet naturæ *primarios ac directos*: alterum *posteriores & reflexos*. Affectus *primarios* ac *directos* voco eos, qui adversus bona nos agitant: *secundarios & reflexos*, qui ex opinione mali nascuntur; sunt enim illi suapte natura priores, quam hi, quos opinio mali excitat. Nam quum natura nostra non ipsa sibi sufficiens procreetur, primi in ea motus sunt ii, quibus in ea fertur c. quæ sibi consentanea sunt; nec ut aliter procrearetur, quum minime sibi sufficiens procreanda erat, fieri potuit. Sed quum plura sint, quæ eam destruere possunt, aut infelicitare; necesse fuit, ut ea tam flexilis generaretur, ut deflectere ab iis posset: hi igitur motus secundi in ea esse debuere. Nec vero hoc nostro ingenio comminiscimur, sed perpetuo experiri licet, si attente nos, ac res nostras consideraverimus. Infans flammæ veluti per jocum manum admovet, nec ab ea revocat, nisi expertus. Homo homini sese, ac sua credit, nisi fallaciis doctus sit diffidere. Primus ergo motus hominis adversus homines amoris est, ac fiduciæ; hic directus est: metus ac diffidentia reflexus est; non igitur primus. Quis enimvero oderit, nisi malum sit expertus, quod odit? Itaque ingenium hominis ex directis motibus erat æstimandum, non ex reflexis.

§. VII.

§. VII. Nec vero magis acute Postulata constituit. Nam quod ait, naturalem homini esse cupiditatem *omnium* rerum usum ad se trahendi, id & ambiguum est, & non video probari, nisi exemplis naturæ commercio vitæ civilis, & affectibus depravatæ. Omnia enim ad se trahere nec naturæ hominis animali, nec rationali necessarium est: ex quo satis aperte intelligo, tantam cupiditatem non a natura esse, sed a libidine; hanc ab usu: *quippe*, ut ait Justinus, *ibidem divitiarum cupido est, ubi & usus*: natura nullum animal, nisi ad necessaria rapit. Natura animalis iis contenta est, quæ sibi sufficiunt, ut in omni animantium genere videre licet: ea vero nec omnia sunt, nec multa. Agnovere id veteres omnes, qui *naturæ pauca sufficere* magna approbatione dixerunt. Agnoscunt hodieque quicumque earum nationum mores prope inspexere, qui sine vitæ hujus nostræ tumultu ad naturæ præscriptum vivunt, quæque nondum nostrarum gentium commercio depravatæ sunt. Jam nec rationalis naturæ est hujusmodi cupiditas, si non ex civitatum libidine, sed ex naturæ statu censenda est; talis enim rationalis natura cupiditates ex naturæ animalis indigentia, atque ex utriusque vitæ fine dimetiri debet, nisi luxu insanire cœpit. Nunc autem & naturæ animali, ut dixi, sufficiunt pauca; & cum utroque vitæ fine superflua concupiscere pugnat: nam & præsentem tranquillitatem plurimum turbat inutilium ac superfluorum cura, & ad plenam felicitatem impeditiores nos reddit. Præclare Horatius:

. . . . . . Ille potens sui,
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse, vixi . . . . . . (*a*)

§. VIII. Alterum Postulatum, quod *rationis naturalis* ait esse, in iis quoque locum habet, non qui ex recta ratione vivunt, sed ex voluptate sensuum & rationis libidine, quibus ut nihil optabilius vita, ita nihil formidabilius morte violenta. Contra ii, qui ex virtute, idest ex recta ratione vitam instituunt, cri-

 men

(a) *Lib.* 3. *Ode* 26.

men magis timent & vitium, quam mortem, quæ non poteſt eſſe ſummum naturæ malum, niſi Epicuri de grege porcis, quorum tota vita ſenſus eſt: illis vero non raro maximum eſt naturæ bonum, non ſingulorum tantum, ſed totius ſocietatis, cui moriendo prodeſſe pulcherrimum profecto eſt. Infinitos pene vetus recenſque hiſtoria ſuppeditat, qui illuſtrem pro Religione, patria, libertate, amicis, mortem ſubiere. Egregie idem Horatius totum hoc virtutis ingenium depinxit (*a*).

Juſtum & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida; neque auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ:
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur Orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Sed & præclare tota hæc res a Cicerone eſt explicata, quum in primis libris *de Finibus*, tum ex inſtituto in primo Diſputationum Tuſculanarum, ut idcirco non egeat oratione noſtra. Nec vero ego negare velim ingenitum hominibus vitæ ſenſum, ac maximum mortis metum; ſtulte enim Stoicus videri nolo. Sed quum, ut dixi, tota hæc res, non naturæ tantum ſenſu ac impetu regenda ſit, ſed recta ratione; nego inde ea conſectaria confici poſſe, ad quæ hoc poſtulatum in Hobbii ſyſtemate ſpectat.

§. IX. Pergit porro Hobbius, atque ex amore noſtri neceſſario concludere ſibi videtur, naturæ humanæ Auctorem velle, ut nos conſervemus (egregium id quidem & verum), adeoque inter leges naturæ primarias eſſe, *ut quiſque vitam & membra ſua, quantum poteſt, tueatur*. Et hæc quoque recte, ſi illud *quantum poteſt* non de *potentia phyſica*, ſed *de morali* accipiatur, ut hæc ſit ſententia, debere nos, aut potius poſſe, tueri tantum, ac quatenus ut nos tueamur ſu-

pre-

(a) *Lib.* 3. *Ode* 3.

prema lex vult, non quatenus possumus, & quantum ex privatis utilitatibus cupimus. Nam quum præstantissima illa Dei lex æque velit, ut ceteri omnes conserventur, & quidem civitas magis, quam civis; si me tueri nequeo, nisi civitatis, aut magnæ hominum partis internecione, tueri non possum, nec debeo, nisi dicere Hobbius velit, legem illam naturæ humanæ gubernatricem plus singulos spectare, quam communitatem. Itaque non rite ex illo principio conficit, posse nos quæcumque, & erga quoscumque moliri, ex quo porro nullum est scelus, quod homines velut jure committere nolint. Fingamus sapientem Agricultorem mille lætissimi agri plantis hoc dedisse jus, ut singulæ quantum possunt se conservent & tueantur, non tu illum vehementissime indignaturum putes, ubi pirus, quo se servet, ac saginet, reliquas omnes excindere, aut radicitus extirpare aggrediatur? Singuli homines non sui modo, sed aliorum etii gratia progignuntur; singulis ergo non sui tantum, sed ceterorum quoque amor & cura præcipitur. Ita ergo se quilibet conservare debet, ut simul conservet alios: ita amare, ut non reliquos omnes oderit. Ac si alterutrum optandum sit, unus ne, an tota communitas intereat, non potest postremum hoc eligere, quin toti rerum naturæ adversetur, quæ partes totius ergo, non totum partis unius efficit. Quæ si cuiquam cum naturæ sensu pugnare videantur, is sit certus, se non rectam rationem consulere, sed intemperantissimum sui amorem. Quare ego veteres Romulidas feris comparare soleo, qui ut se, idest hominum omni vitæ aura indignorum manipulum, conservarent, augerentque, toti Italiæ bellum indixere, suique juris esse crediderunt ceteras gentes funditus excindere. *Tantæne molis erat Romanam condere gentem?* Quis non execrabiles Cyrum, Alexandrum, Cæsarem, Gengiskanum, habeat, qui tot gentes, velut pecudes, suæ cupiditati immolarunt? In quos qui encomia scripserunt, mihi illi pecudibus stupidiores fuisse videntur. Heroës ii inter homines habendi, qui populis beandis, non evertendis, nati sunt. *Deus est mortali juvare mortalem, & hæc*

ad æternam gloriam via, præclare inquit Plinius (*a*).

§. X. Minus quoque accurate cetera ſtruit, quæ ſequuntur, ut concludat, ſtatum hominum naturalem eſſe ſtatum belli mutui (*b*). Nimirum aut non intelligit, aut ignorare ſimulat, jus eſſe quidem homini cuilibet in bona telluris, ſed minime illud in omnia & ſingula. Jus enim eſt in ea, quæ vitæ conſervandæ ſunt neceſſaria: hæc vero non ſunt omnia & ſingula. Ut ſi Imperator centum millia aureorum exercitui largienda donet, ſingulis militibus jus quidem in illos eſt; jus autem non cuilibet in omnes & ſingulos, ut ſi valeat, jure alios excludat. Itaque tota hominis argumentatio ſophiſtica eſt & captioſa: quippe terminos habet concluſio univerſaliores, quam qui in præmiſſis poſiti ſunt, ut dialectici loqui amant. Poſitum eſt, jus eſſe cuilibet ad vitam conſervandam; idcirco ad omnia, quæ vitæ conſervandæ ſunt neceſſaria: quum autem hæc non ſint omnia & ſingula, ſed pau-

(a) *Lib. I. cap. 7.*

(b) *Gentes ferme omnes a naturæ ſtatu, ſeu a libertate naturali ad civilem paullatim veniſſe, qui eorum attente hiſtoriam legerit, aperte intelliget. Naturalem autem hunc ſtatum inter immaniter adultos homines ac ferinæ vitæ ſuetos, eſſe belli ſtatum non ego dubito: nam & ſunt ſinguli nimium ſui ſtudioſi ac amatores; & moribus invidi alterius evaſere bonorum, & percupidi habendi alieni, & adeo in vindicationem proni, ut plerique veteres ſcriptores vindicationem juris naturæ & gentium appellaverint, quorum loca copioſe, ut ſolet, congeſſit Grotius lib.2. cap.20. Intelligo nec primum id eſſe, nec inſitum humanæ naturæ ingenium, ac ſi rationem ſectari homines voluiſſent, alium eſſe debuiſſe naturalem ſtatum; ſed vicinarum gentium injuriis & prava educatione factum eſt, ut a natura ſimul & ratione deſciſcentes ferinam prope omnes agitaverint vitam. Quæcumque nationes extra imperium civile repertæ ſunt, aut ubi imperii vis paullulum elanguit, velut in ſecunda Italiæ barbarie, privatas injurias omnes privatis viribus ulciſci compertæ ſunt: Quumque injuriæ hujuſmodi nequeant inter plures non eſſe frequentes, frequens prope bellum & mutuum. Tales nunc etiam ſunt major pars Americanorum ſeptentrionalium, Afrorum, Inſulanorum Aſiæ plerorumque. Ipſas Europæ nunc cultiſſimas nationes ab eodem ſtatu proveniſſe idipſum in primis demonſtrat, quod non ſolum olim, verum in altera quoque Europæ barbarie vindicationem injuriarum haberent privatam, qua fiebat, ut in mutuas cædes continenter raperentur. Germani mi-*

paucissima, quibus vita est contenta; non rite infert, jus esse cuilibet in omnia, velut individua, ut nihil sit, quod excipiatur. Ex quo porro pessime conficit, homines natura ipsa super eodem velut individuo concertare, atque in mutuo bello non tam esse, quam nasci. Quæ quum sint, caput ipsum totius systematis Hobbesiani contaminatum est. Quum vero in eo capite tota Hobbesiana machina inædificata sit, ne stare quidem illa potest.

§. XI. Sed sunt, inquit aliquis, Hobbesianæ illæ leges & perspicuæ, & veræ, & proculdubio divinæ; quod esse non possent, nisi principium, ex quo illæ derivantur, perspicuum esset & verum. Nempe sunt: id ego quoque ajo. At non illæ tamen ex Hobbesiano principio consequuntur, verum ex convenientia cum natura rationali, mundique ordine, qua de re paullo post dicetur. Veræ sunt scilicet Hobbesianæ conclusiones (licet non omnes) συμβεβηκοτως per accidens (nam ita disputant Dialectici) non ex principiorum vi,

mirabantur, quum Romæ juris docendi formam conspicerent, injurias Romanos finire judiciis, quæ ipsi armis vindicabant (Vell. Paterc. lib. 2. cap. 224.). Sed & eadem singularia certamina vagæ Latii gentes habuere antiquitus: habuere Græcæ. Utriusque Gentis Poetæ, qui Heroicam historiam conscripsere, id satis indicant. Quin in ipsis constitutis Imperiis, nisi summa res ab uno, aut Senatu regatur, perpetuum futurum & mutuum bellum demonstrarunt Resp. populares. Intestina rerum Græciæ publicarum bella narrat historia Græca: Reip. Rom. bella Romani scriptores copiose. Narrat reliquæ Italiæ fata historia Rerump. Florentinæ, Pisanæ, Lucensis, Genuensis, Venetæ, Mediolanensis, aliarumque. Tum quum plures reguli Italiam & Galliam obtinerent, perpetuo bello dilacerabant. Nec certe aliunde legum civilium sanciendarum facta necessitas. Democritus apud Stob. serm. 38. Non prohibuissent leges suo quemque arbitrio vivere, nisi alter alterum offensum iisset. *Lucret. lib.V. v.* 1147.

Acrius ex ira quod enim se quisque parabat
Ulcisci, quam nunc concessum est legibus æquis,
Hanc ob rem est homines pertæsum colere ævum.

Constat ergo naturalem statum cum iis, quæ adscivere homines vitiis, ac perversa, qua sunt corrupti, educatione, mutui esse belli; nec in eo reprehendam Hobbium, si eum statum non ex insitis naturæ sumat, nec ex ratione, & jure in omnia, sed ex socialis educationis pravitate.

vi, ac poteſtate: ut ſi concludam hominem eſſe mortalem, quia oculis præditus eſt, poteſt illud eſſe verum, licet non hujus virtute. Quamquam ne omnes quidem Hobbeſianas leges legitimas omnique ſuſpicione Epicureiſmi carentes dixerim. Nam, ut exempli loco ſit, conditio illa in prima lege poſita, *quærendam eſſe pacem, quod ejus habendæ ſpes ſit*, mihi eluſoria videtur, ſi cum illa diffidentiæ plena natura humana conferatur: quæ enim ſpes habendæ pacis cum iis, qui natura, ac jure ad bellum incitantur? Quin perpetuis bellis & diſcordiis aditum aperire poteſt, addito, quod ille docet, in his rebus, quæ ad vitam pertinent, in ſtatu naturæ quemlibet eſſe ſui judicem, neminem alterius. Itaque & alia figenda erant principia; & explicandum quæ eſſe debeat illa ſpes, quæ pacem ſuaderi poſſit, aut ſi ea ceciderimus, ad bellum impellere. Non enim hoc ex arbitrio, minus ex noſtra libidine definiendum. Sed non ego Hobbeſianum librum cribrandum ſuſcepi: principia tantum in examen voco: ea falſa eſſe ajo. Id mihi videor perſpicue demonſtraſſe.

CAPUT VII.

Enarratur & refellitur ſyſtema Spinozæ.

§. I. Mirum videri alicui poteſt Hobbium, & Spinozam, infenſiſſimos humanæ libertatis hoſtes, de jure & legibus naturæ diſſerere, quaſi legibus moralibus locus eſſe ullus poſſit, ſublata electione. Sed qui attente rem expenderit, is intelliget profecto, eam ab illis ſuper naturæ legibus doctrinam vulgatam fuiſſe, qua eæ funditus evertantur; quapropter deſinet mirari. Et Hobbius quidem non aperte, ſed callide, dum leges naturæ adſtruere videri vult, penitus ſubſtulit, ut ſuperius demonſtratum eſt: at Spinoza audacius, ut ſolet. Exſtat inter ejus opera poſthuma liber imperfectus, qui inſcribitur *Politicus*, in quo ille juris, & legis naturalis indolem, atque fundamenta, tum originem & conſtitutionem ſocietatum,

&

& imperiorum Civilium explicare adgreditur, ac iis quidem consentanee, quæ cum in Tractatu Theologico Politico, tum in Ethica docuerat. Rem igitur universam hunc in modum exorditur.

§. II. *Nulla res* (inquit cap. II. §. 2.) *per se exsistere, & conservari potest*, sed exsistit, & conservatur Dei potentia: idest, ut is interpretatur, potentia cujuscumque rei, quæ in natura est, nihil aliud est, nisi ipsa Dei potentia, qua res omnes exsistunt, & conservantur: qua potentes sunt.

§. III. Jam habet Deus in omnia absolutum jus, quod, inquit, ipsa est Dei potentia: quandoquidem nihil potest Deus physice, quod & moraliter nequeat. Qua in re ille Hobbio consentit, qui jus Dei in homines e potentia irresistibili derivat. Est veterum Græcorum *το κρατειν παντοκρατωρια*, *plene imperare*, & *παντοκρατωρ omnipotens*, *& late imperans*. Ex eo vero concludit, singulas res, quæ sunt in natura, tantum divini juris inde haurire, quantum habent potentiæ divinæ: quod nimirum quælibet naturæ res divina potentia potens est (*a*); ac quatenus potens physice, eo moraliter.

§. IV. Itaque hoc vocabulum *Jus naturale* totam significat Dei potentiam, quæ est in natura, quæque est ipsa natura rerum omnium, ut sæpe ex eo audivimus. Quocirca dicuntur homines jure naturæ, & jure suo quidpiam agere, quum ex legibus suæ naturæ, idest ex legibus suæ potentiæ, agunt. Nihil ergo quod possunt homines naturæ vi non jure agunt (*b*). *Jus* ergo & *vim*, natura adversa, stulte miscet.

§. V. Ex quo sequitur, inquit, ut stulte sibi persuadeant Philosophi, jus naturale esse aut præcipiens, aut vetans: nam quum jus cujuslibet definiatur ejus naturali potentia; jus vetans aut ea vetat, quæ possumus physice, aut ad quæ potentia nostra non pertingit. Primum est contra jus; alterum inutile (*c*).

§. VI.

(a) *Ibid.* §. III.
(b) *Ibid.* §. IV.
(c) *Ibid.* §. VIII.

§. VI. Quid autem ſibi volunt illa vocabula *ſui*, aut *alterius juris* eſſe? nempe, inquit, quum de corpore dicuntur, is ſui juris eſt, qui tanta pollet naturæ potentia, ut ceteris reſiſtere valeat, atque agere ex ſua potentia, non ex alterius: is vero alterius juris, cujus potentia minor eſt potentia illius, cui proinde concedere neceſſe ſit (*a*). Quum autem ad mentem ea transferuntur vocabula, *juris ſui* dicitur, qui ſua ratione libere utitur, & vivit, quique a nullo alio callide decipitur; atque hi ſapientes, qui, ut Stoici quoque docebant, ſoli ſunt liberi; is vero alterius juris, cujus ratio exigua eſt, quique idcirco ex alterius vivit ratione, aut qui callide decipitur, quales ſunt inſipientes (*b*) & ſtulti, quos & Ariſtoteles *natura ſervos* vocat.

§. VII. Ex his principiis portentoſa, ſed iis conſentanea, derivat corollaria, quorum unum, aut alterum referemus. 1. Pactorum omnium, & conventionum fidem, qua una ſocietas & vita humana continetur, penitus evertit. *Qui*, inquit, *quidpiam alicui promittit, is naturali ſua agendi potentia, ac propterea jure minime ſe ſpoliat, ut in illum conſerat; adeoque ſi poſſit promiſſis reſiſtere, jure ſuo reſiſtit, nec eſt, quod de rupta fide, qui minus poteſt, queratur: quum queri non poſſumus, jure naturæ alios agere.* Atque in hoc iterum Hobbio conſentit, qui non aperte quidem, ſed ſua item calliditate pactorum fidem enervat, dum ob metum, ne altera pars deſiliat a pacto, neminem ſtare promiſſis jure naturæ debere, ſcribit (de Cive cap. II. §. XI.). Nempe hoc illud eſt de Achille,

Jura negat ſibi nata: nil non arrogat armis.

Tum illa barbara Gallorum vox, *omnia ſunt virorum fortium*. At non ea generis humani, quo ορκια, ut vocat Euripides in Medea, Themis colitur, Διὸς τέκνον, *Jovis filia*, ac ſanctiſſima perhibetur.

§. VIII. Nec minus portentoſum & horridum eſt hoc alterum. Quum tantum ſit uniuſcujuſque *Jus*, *quan-*

(a) *Ibid.* §. IX.
(b) *Ibid.* §. XI.

quanta potentia naturalis; *nec potentia æqualis in omnibus*, *ne jus quidem æquale*. *Qui minimam habet potentiam*, *is minimum habet jus: propterea ab eo*, *cujus major eſt potentia*, *abſumi jure poſſe, timeat neceſſe eſt*. *Timeat quoque neceſſe eſt omnes eos*, *qui æqualem habent potentiam*. Quocirca ſtatuit *in ſtatu naturali ſingulos a ſingulis timere debere*, adeoque ſtatum hunc naturalem eſſe *ſtatum mutui timoris*, *ac mutuæ inimicitiæ*, in quo & Hobbio conſentit, licet ex aliis principiis ratiocinetur (*a*).

§. IX. Progreditur inde ad originem & conſtitutionem Civitatis. *Quo plures*, inquit, *homines in eundem finem ſociantur*, unione ſingulorum, major eorum evadit potentia, atque idcirco majus jus naturale. Quum ſtatus hominum naturalis ſit ſtatus inimicitiæ (*b*), prorſus neceſſarium eſt, ut plures ſimul in eundem finem conveniant, ut collatis potentiis, vitam, & bonis ſuis conſulant. Quum convenerint, tum jus omnium, ideſt omnium conjuncta potentia, imperium civile dicitur, & is, in quem ſingulorum jus confertur, Imperator. Hic autem quum ſingulis ſit potentior, ob unionem ſingularum potentiarum in uno, ſinguli ei obedire tenentur, ejuſque propterea voluntates ſunt leges civiles. Is vero, cui reſiſti nequit, & omnia impune facere poteſt, & omni jure, atque legibus exſolutus eſt. Paria ſcripſerat Hobbius: nam cap. IV. §. XII. & XIV. de cive bina illa diſerte ponit, & *quidquid fecerit Princeps*

(a) *Videre hic licet Judæi hominis ingenium*, *ferox*, *ac truculentum*, *perpetuiſque ærumnis*, *ac dura ſervitute aſperatum*. *Nam ego*, *ut hic dicam*, *cum occaſio incitat*, *nullam gentem hiſce noſtris Judæorum vagantibus manipulis nec adrogantiorem*, *nec generi humano infeſtiorem novi*, *cujus iras & hic noſter expertus erat*. *Vetuſtis Dei favoribus*, *generiſque antiquitate adeo ſuperbiunt*, *ut toti telluri indignentur*, *ſe*, *regendis reliquis natos*, *ſervire oportere: ſuntque iis nobilibus ſimiles*, *qui antiquorum imaginibus diſtincti*, *tametſi & illuvie ac paupertate obruantur*, *nullaque nec ingenii nec animi dote ſuos referant majores*; *jactant nihilominus ſeſe*, *elataque cervice incedunt*, *ceteroſque omnes mortales tanquam fungos*, *aut* τῆς γῆς λοχεύματα *telluris filios deſpicatui habent*: *nec animadvertunt quam ſit perridiculum ſuperbiæ ac mendicitatis temperamentum*.

(b) §. VIII.

ceps impune esse, & eundem legibus civitatis non teneri. Quis nunc non videat, non hominum ab his jurisprudentiam ac jura tradi, sed belluarum? His enim, ut ait Hesiodus, est hæc a Jove posita lex, ut aliæ alias vorent.

§. X. Hæc nunc perpendenda sunt tanto adcuratius, quanto quædam sunt, quæ in corruptis ævi moribus veri speciem ementiuntur. Tribus fundamentis inædificatum est stultum hoc systema sibique pugnans. I. Dei potentiam & Dei jus idem omnino esse. II. Et eandem rem esse potentiam Dei & creaturarum. III. Nec in Deo esse ullam, nec in homine libertatem: Quæ tria profanus homo in primis duabus Ethicæ, ut diximus, partibus demonstrare adgreditur. Tria maxima absurda. Nam principio etsi Dei potentia, voluntas, ratio, una eademque res sint; ea tamen res talis natura sua est, ut, nisi extra omnes ideas humanas philosophari velimus, voluntatis divinæ norma non sit ipsa voluntas, sed divina ratio, seu intelligentia, qua justi & honesti æternæ & immutabiles notiones continentur; potentiæ vero voluntas moderatrix: voluntatis potentia quasi administra, ut sæpe dictum est. Supremum ergo jus, & dominium Dei in res omnes voluntate quidem & potentia exercetur, sed non ipsa divina potentia, quasi sine ratione constituitur: nascitur enim partim ex æterna Dei ratione, prima mundani ordinis procreatrice: partim ex eo, quod ex nihilo cuncta Deus creavit; quo fit, ut, quæcumque sunt, ab eo sint, & conserventur, ac ita, ut ne si velit quidem Deus, possit a se abdicare jus hoc, & dominium, quod *essentialiter* connexum est cum origine rerum a divina natura. Non recte igitur divinam potentiam cum divino jure in omnia perturbat Spinoza (*a*).

§. XI.

(a) *Vetus illud dictatum*
Sic jubeo: sic volo: stat pro ratione voluntas, *si το volo velut ab omni ratione excisum accipiatur, nequit Deo attribui, nisi impie: Deus enim non est, qui non ex summa ratione ac bonitate cuncta moderatur. S. Basilius adposite hom. in principium Proverb.* hoc, *ait*, Rex a tyranno differt, ut hic nihil, nisi suam utilitatem spectet: ille subditorum se commodo præstet totum.

§. XI. Deinde quum principium voluntatum, & operationum naturæ divinæ sit eadem illa æterna Dei intelligentia, exsecutrix vero divina potentia, quæ est velut instrumentum intelligentiæ; nec potentia divina ulli alteri causæ subsit; profecto Deus, & in mundi creatione, & in gubernatione liberrimus est. Quid enim? A potentiori cogitur ne causa? Ne ipse quidem Spinoza id dixerit, nec quivis alius, qui qualemcumque Dei informationem habet. A rebus ne externis? At pugnat cum veritate, naturam perfectissimam & potentissimam, ipsamque per se exsistentem ab ulla externa causa cogi necessario. A sua tandem natura? Scio hoc contendere Spinozam. Sed quis non videat quam sit ridiculum asserere, seipsam naturam ullam, quæ pura sit ratio, posse cogere? Quam vero ineptissimum naturam sibi sufficientissimam perfecteque beatam? Se ipse igitur Deus determinat, plena ratione; summaque bonitate ac naturæ quadam fecunditate commovetur. Quod si quis iis verbis notionem necessitatis tribuat, is ludere videtur: libertatis enim hæc est apud omnes, ipsum quoque Spinozam, notio, ac definitio, ut quis ipse se suapte ratione determinet, nec ab aliena vi determinetur. Constat igitur Deo absolutissima libertas. Sua vero ratione & libertate homines agere, clarissime est a nobis demonstratum in secunda parte. Quamquam id tam esse debet perspicuum, quam nos esse: utrumque enim non ratiocinio, sed sensu animi constat. Quis igitur minime liber? qui nunquam se ratione sua agere sibi conscius est; cum quibus ego non disputo: hominum est hæc philosophia, non belluarum. Primum igitur atque ultimum systematis Spinozistici fundamentum ruinosum est.

§. XII. Secundum superest disterminandum, quod quoniam est illi præcipuum, copiosius a nobis efficietur. Principio utemur argumento ad hominem, ut vocant. In Ethica (a) hic homo statuit Dei omnipotentiam *actu ab æterno fuisse*, & *in æternum eadem in actualitate mansuram*, idest quidquid divina omnipoten-

ten-

(a) *Part. I. cap.* 18.

tentia fieri possibile est, uno actu ab æterno factum esse. Ex quo etiam consequitur, divinam omnipotentiam, quæ sit tota in actu, & indivisibilis, ubicumque est, totam esse; atque inde, ubicumque est, infinitam esse. Quum vero apertissimum sit, singulorum naturæ entium potentiam finitam esse; conficitur perspicue, naturæ potentiam non esse ipsam essentialem Dei potentiam, sed potius divinæ potentiæ effectum. Præterea omnipotentia Dei tota in actu est, ut Spinoza fatetur; ergo ubicumque est, tota est in actu & individua: simplex est enim Deus, ac impartibilis. Non est autem singulis in entibus tota in actu; quum homines, ex. gr. non totis semper suis viribus agant, sed plerumque parte virium; ergo singulorum entium potentia non est ipsa divina potentia, ac necessaria & tota in actu. Tandem ex applicatione infinitæ individuæque potentiæ, sequetur effectus infinitus, non secus atque ex multiplicatione numeri infiniti per finitum, factum exsistit infinitum: at id falsissimum est, ut inductione probari potest; verum igitur esse non potest singulorum entium naturæ potentiam eandem esse divinam omnipotentiam. Hoc igitur Spinozæ dogma locum habere ullum nequit, nisi in ea philosophia, qua decernitur, Deum nec simplicem, nec mentem esse, ac universi procreatricem, sed stupidam brutamque materiam, cujus vis nec uno loco coarctatur, nec aliter infinita esse potest, nisi quia nequit esse major. Quod si quis tuetur, haud ego prohibuerim hujusmodi esse divinitatis particulam, brutam ipsam & stupidam.

§. XIII. Quid igitur, dicet quispiam? Non participat Deus creaturis singulis suam potentiam, eamque conservat? Participat enimvero: sed ita, ut potentiæ & vires singulorum entium sint effectus potentiæ divinæ, non potentia ipsa. Non alia prorsus ratione, atque vires motrices, quas homines machinis communicant, non ipsæ sunt hominum vires, sed virium humanarum effectus.

§. XIV. At enim: Deus Spinozæ nihil est aliud nisi natura, seu ignea mundi vis, ac mechanice agens;

ne-

necessario ergo agit, ac tota semper. Eadem in nobis est, aut ejus particula: & hæc ergo necessaria. Hæc monstra sæpe destruximus, ut necessarium non sit hic retractare. Do interim; nec tamen is conficiet tam in actu esse & necessariam singulorum hominum potentiam, atque naturæ; siquidem constat me non semper totis viribus agere; sed eas ratione, aut affectu moderari, prout mea interesse sentio. Doceat me Spinoza, nunquam me parte virium agere: nunquam ratione. Quod tum, puto, docebit, quum me non esse, dum sum, doceat: nam ego medici egere eos existimo, qui non tam perspicue sentiant se libero uti arbitrio, quam se esse: ut enim cujusque exsistentia non demonstratione conficitur, sed intimo sui sensu; ita cogitandi agendique libertas.

§. XV. Quanquam etiamsi vel maxime tantisper demus, potentias singularum rerum ipsam esse Dei potentiam per universam naturam diffusam; non inde sequetur, jus creaturarum naturale, atque potentias naturales unum idemque esse; quoniam superius demonstratum est, falsum esse principium, unde hoc consectarium deducit Spinoza, potentiam nempe Dei ejusque jus in omnia unam eamdemque rem esse. Undique igitur istiuscemodi dogma corruit.

§. XVI. Quoniam ergo constat, ut in rebus aliis, ita in hominibus suas esse vires, quibus operantur, quæstio de jure naturæ huc redit, an quantum physice, tantum jure possint, seu an ex voluntate Dei sequatur, ut quantum homines physice possunt, tantum possint moraliter? Ea vero controversia ex mundi lege, & fine humanæ vitæ dirimenda est. Vires agendi homini datas, ut propositum ei finem persequeretur, nullus dubitat: eum ergo in finem vires eas intendat lex mundi jubet. At quoniam cum iis viribus libertas agendi conjuncta est, ut idcirco non solum parte virium, & quidem plurimis modis, agere possit, sed etiam modis infinitis super infinitis propemodum vitæ objectis; atque ob eos varios agendi modos possit a proposito fine deviare, & consequenter a voluntate Dei; sequitur non quantum, & quomodo physi-

ce poteſt, jure etiam, ideſt moraliter poſſe; ſed jure tunc operari, quum viribus naturæ ſuæ utitur aptate convenienterque ad propoſitum ſibi finem: contra jus vero, ſi in agendo ita libertate abutatur, ut a fine deſciſcat. In hoc igitur poſita eſt divina lex naturalis, ut nimirum oſtendat homini, quæ ad finem illum ducant, eaque præcipiat, & obligatione ſanctionis eo libertatem flectat: quæ vero devia, eaque vetet, & minis pœnarum abſterreat ab iis faciendis: quæ tandem *adiaphora*, ideſt indifferentia, ea permittat, ut poſſit in his homo integra potentia naturali uti. Itaque jus naturæ non potentia eſt phyſica, ſed moralis phyſicæ moderatrix: facultas ſcilicet agendi, prout lex docet; eſt igitur frænum potentiæ phyſicæ.

§. XVII. Atque hunc in modum convulſis Spinoziſtici ædificii fundamentis, cetera quoque corruant neceſſe eſt, ut non ſit opus inde conſectaria longius refellere. Hoc omittendum non eſt, Spinozam, dum de jure & ſocietate hominum ad diſſerendum aggreditur, ita aggredi videri, ut nullum inter homines & bruta diſcrimen ponere videatur, ſuamque Rempublicam, ut dixi jam, beſtiis magis aptare, quam ſublimi huic & rationali animantium generi. In illis enim totis viribus agitur, quæ vires ſuas ratione moderari nequeunt: homo ut alia natura eſt præditus, ac in alium finem genitus, ita aliter vivat oportet. Quid autem cauſæ eſſe dicimus, ut dum jus naturæ ex natura humana derivare ſtudemus, rationem, quaſi ad eam non pertineat, omittamus? Nam inter eas proprietates, quibus humana conſtat natura, prima eſt ac præcipua ratio, qua brutæ animantes carent: ea ergo appetitus, impetuſque naturæ regere oportet. At nemo niſi ex regula probe reget: regula prima, æterna, conſtans lex eſt naturæ. *Jus* ergo *&* *vis* ſuapte natura oppoſita ſunt.

CA-

CAPUT VIII.

Grotii doctrina super principiis juris naturæ expenditur.

§.I. POstquam superius impedimenta e medio disjecimus, ostendimusque, ut Dei providentia, ita æterna immutabilique lege mundum gubernari; ac ei cum res aliæ omnes, tum mentes, hominesque in primis subjici; superest ut in *legem* ipsam *fundamentalem*, & principium totius juris naturæ COGNOSCITIVUM, ut vocant, inquiramus. Nam principium *naturalium obligationum* esse non posse nisi Dei imperium, id constare debet inter omnes: id vero non æque constat, quibus ex principiis rationis humanæ id a nobis imperium cognosci possit, ac, quatenus pateat, prospici. Quum lex naturæ sit hominum generi communis; hæc principia e communi hominum ratione depromi debent. Variant autem super ea re gravissimi doctissimique Auctores, ii maxime, qui velut signiferi hujus disciplinæ habentur. Nos præcipuorum sententias in medium proferemus, lectoribusque optionem faciemus. Nam etsi in aliam atque aliam doctrinam sæpe propendeamus; agnoscimus tamen, nullam earum, quas enarraturi sumus, sententiarum esse, ex qua commodissime officia hominum derivari nequeant. A Grotio exordiemur, tanquam ab hujus disciplinæ facile principe. Hugo igitur Grotius, cujus eximia sunt in rempublicam litterariam merita, primus omnium in justum corpus prima legis naturalis scita retulit, editis libris tribus de *jure belli & pacis*, in quo opere omnem ingenii conatum effudit. Propositum ei fuit jus illud explicare, *quod inter populos plures, aut populorum Rectores intercedit, sive ab ipsa natura profectum; sive divinis constitutum legibus; sive moribus & pacto tacito introductum*, ut is in Prolegomenis loquitur. Quod a natura proficiscitur, *naturale* est: quod divinis legibus constitutum est, *positivum* appellatur: quod moribus & pacto tacito est introductum, id *jus gentium* vocat Grotius.

 §.II.

§. II. In primis, ut dixi, distinguit vir doctus jus naturæ a jure gentium, eaque hoc discriminat, ut illud sit, quod ex natura ipsa humana, & ratione profluit naturali: hoc ex consensu aut omnium, aut plerarumque Civitatum (a). Primi illius juris matrem esse ipsam humanam naturam docet: *ea enim nos*, inquit, *etiamsi nulla re indigeremus, ad societatem mutuam appetendam ferret* (b). *Inter ea*, pergit, *quæ homini sunt propria, est appetitus societatis, idest communitatis, non qualiscumque, sed tranquillæ, & pro sui intellectus modo ordinatæ cum his, qui sui sunt generis* (c). *Hæc autem societatis custodia humano intellectui conveniens fons est ejus juris, quod proprie tali nomine appellatur* (d). *Quumque ut talia principia in nobis exsisterent Deus voluit, tale jus merito Deo adscribi potest* (e). Quæ Grotii doctrina, si recte accipio, huc redit: proprietates naturæ humanæ naturales, idest illi congenitæ ac insitæ, ad Deum naturæ totius auctorem, & conservatorem referri debent: inter proprietates autem hominum ingenitas est appetitus societatis tranquillæ & pacatæ: hic igitur appetitus a Dei voluntate est. Voluntate Dei rapimur in societatem tranquillam & pacatam, quum ut tales nasceremur is fecit; vult ergo Deus, ut societatem hanc sancte custodiamus, atque quocumque possimus modo foveamus, vetat vero quolibet modo subvertere. Quod autem ille vult, velle & nos debemus. Ita hæc societatis ingenio humano consentaneæ universi juris fons est. Nam quod ille alterum statuit, *judicium recte conformatum*, illud nisi ad primum hoc referatur, inutile est, quousque non demonstretur, qua regula judicium conformandum sit. Id enimvero hoc in loco quærimus, quænam illa sit norma, qua judicium, quod ad vitam sapienter transigendam pertinet, informatum, rectum sit, sibique constans.

§. III. Alterum Grotii principium juris naturæ cogno-

(a) *In Prolegomenis* §. XVI. & XVII.
(b) *Ibid.* §. XVI. (c) *Ibid.* §. VI.
(d) *Ibid.* §. VIII. (e) *Ibid.* §. XII.

gnoſcitivum eſt conſenſus Gentium cultiorum : *nam ubi multi diverſis temporibus, ac locis, idem pro certo affirmant, id ad cauſam univerſalem referri debet; quæ in noſtris quæſtionibus alia eſſe non poteſt, quam aut recta illatio ex naturæ principiis procedens; aut communis aliquis conſenſus : illa jus naturæ indicat : hic jus gentium* (*a*). Enimvero phænomeni univerſalis, ideſt temporum, & locorum omnium, cauſa item univerſalis eſſe debet; quum oporteat, ut tantundem in cauſa ſit rationis ſufficientis, quantum eſt in effectu. Quum autem aut nationes omnes, aut pleræque idem pro juſto aut injuſto habent, phænomenon eſt univerſale; non poteſt ergo a cauſa peculiari proficiſci, ſed ab univerſali; ejus vero cauſa univerſalis eſſe alia non poteſt, niſi aut rei ipſius evidentia, Naturæ fonte manans, ſeu communia rationis humanæ ſcita ac ſenſa; aut populorum in idem conſenſus item a communi natura expreſſus : quarum cauſarum prior *jus naturæ*, altera *jus gentium*, ita Grotio dictum, demonſtrat.

§. IV. Plura ſunt huic Grotii doctrinæ a viris doctis objecta, quæ paucis complexus eſt Heineccius in *Elementis juris naturæ & gentium lib.* 1. *cap.* 3. Principio adverſus primum Grotianum juris naturalis fontem opponit, officia erga Deum, & nos ipſos pleraque locum eſſe habitura, etiamſi homo ſolus, extraque omnem ſocietatem humanam in hoc terrarum orbe viveret; ex quo conficit, illud adæquatum juris, legiſque naturæ principium non eſſe (*b*). Opponit præterea principium non eſſe evidens : nam incertum eſt, utrum homines ſocietatem ament, quia utilem experti ſunt, an quia ad

(a) I*bid.* §. *XI. Addere poterat, aut internus quidam naturæ ſenſus juſti & injuſti, honeſti ac turpis, quo omnes homines, cum adoleverе, percelluntur. Conſcientiam vocant, rationalem nempe.*

(b) *Loco cit.* §. 75. *Illud gravius veriuſque, quod jura, & naturæ leges anteriora ſint ſocietate : nam & ſub lege naturæ naſcimur, quæ ad totum pertingit univerſum : & noſtris præditi juribus procreamur, cumque iis in civitatem immigramus. Ut igitur hæc omni ſunt civitate anteriora, ita ex aliis videntur principiis eruenda, atque æſtimanda. Cui id reſponderi poteſt, licere a poſterioribus, quæ priora in natura ſunt, inveſtigare ac dijudicare.*

ad eam a natura rapiuntur. Sane in societate appetenda quilibet rei suæ consulit: non igitur constat illud, quod Grotius cum veteribus pronunciat, homines nullius etiam rei indigos ad societatem appetendam agi. Accedit quod hominum adversus homines odia & iræ contrarium videntur probare. Ad rem, inquit, Libanius declamatione IX.: *Nonne mite quiddam animal verborum tenus est homo? sed rebus ipsis agreste, & effræne. Nam quænam Leonum adversus Leones expeditio? Quod bellum inter ejusdem generis belluas? Quod apud illos est perjurium? Quæ pactorum violatio? Quæ perfidia tanta, & avaritia? Quod apud illos aurum? Qui pecuniarum amor? Quas comessationes, & crapulas noverunt?* Jupiter apud Statium Theb. I. 214.

Terrarum delicta, nec exsuperabile diris
Ingenium mortale queror . . . .
. . . . Tædet sævire corusco
Fulmine. Jam pridem Cyclopum operosa satiscunt
Brachia, & Æoliis desunt incudibus ignes.

§. V. Duo potissimum adversus alterum opposuere. I. Quod evidens non sit: II. Quod minime verum. Nam nec possibile est sententias veterum nationum, aut omnium, aut plerarumque super officiis hominum noscere; nec facile recentium. Illud, quia plerarumque nationum memoria funditus intercidit; nec nisi in Græcorum, & Latinorum historia extat, neque vero illa omnium temporum, atque locorum. Hoc vero, quoniam quædam sunt nationes inaccessæ; aliæ quarum non facile mores, & instituta sciveris. Præterea hæc omnia a viatorum fide habemus, quæ in pluribus suspecta esse debet, seu quod scire non potuerint, quæ narrant: seu quod insita quadam levitate mentiantur; seu quod decepti decipiunt. Quod si ex sensu Græcorum, & Latinorum de opinione omnium gentium judicare velimus, quod Grotius efficit, sophismatis genus admittemus, quod Dialectici Scholastici vocant *a secundum quid ad simpliciter*. His accedit, quod quædam sint, quæ jus naturæ ex Grotii ipsius sententia vetat, quæ apud plures nationes usitata reperias, cujusmodi fuere & *poliandria*, idest unius fœmi-

næ

næ cum pluribus viris nuptiæ ſimultaneæ, & nuptiæ parentum cum liberis; & permiſſa ſtupra; & furta; & privata ultio; & plurium Deorum cultus; aliaque; quorum exempla luculentiſſima protulit Puſendorffius.

§. VI. Hæc illi. Non puto tamen hæc tanti eſſe, ut propterea aut minus veram, aut minus ſibi conſtantem Grotii doctrinam cenſere debeamus, præſertim ſi paucis additamentis illuſtretur. Primum illud argumentum, quod verbis Heineccii propoſuimus, Grotii ſyſtema non ferit. Neque enim Grotio conſtitutum erat, niſi de eo jure dicere, ex quo officia inter populos liberos, atque eorum Rectores proficiſcuntur: nec ille Theologiam naturalem, & moralem, aut Ethicam monaſticam, ideſt quæ pertinet ad mores hominis ſolitarii, conformandos, ſpectabat. Nemo ergo ab illo exigere debuit tale juris naturalis principium, ex quo officia quoque adverſus Deum & noſmetipſos explicarentur. Quod qui fecere, ii Grotii propoſitum non videntur intellexiſſe. Eſt ergo Grotiani ſyſtematis principium illud ad omne jus, quod inter homines, & homines intercedit, expediendum, adæquatum. Quid, quod & ad officia erga nos ipſos & Deum pertinet? Nam qui ex naturæ lege cuſtodiendam & amandam ſocietatem intelligit, is & ſe, qui ſocietatis pars una eſt, cuſtodire & amare oportere; & Deum totius hominum ſocietatis ſupremum imperatorem toto obſequio colere, facile intelligere poteſt: ſunt enim illa inter ſe copulata & connexa, ut a ſe ſejungi nequeant.

§. VII. Nec longa judiciorum ſerie indiget, ut conſtituatur; quum quiſque per ſe ipſum ſentire poſſit, hominem nec extra ſocietatem naſci, nec educari poſſe vitalem: ex quo vel idiotæ concludere queant, non poſſe Deum non præcipere ſanctiſſime ſocietatem colendam, qui velit homines eſſe & conſervari. Uno ergo ſyllogiſmo tota ea demonſtratio abſolvitur. Nec brevior eſt Heineccii ipſius ratiocinatio, qua nititur probare, hominem ad amorem generis humani obligari, quem ille amorem principium eſſe contendit juris naturalis cognoſcitivum, evidens, verum, & adæquatum.

tum. Quanquam quid, quæso, est aliud societas, nisi mutuus amor? Ut ne hoc intellexisse videatur Halensis doctor, non re, sed verbis a Grotio dissentire.

§. VIII. Quæ vero adversus ingenitum sensum & appetitum societatis opponi solent, partim quidem sunt vera, sed partim falsa. Falsum est, homines non esse natura sua sociales, cum ne animantia quidem bruta sint ulla insociabilia: sed verum est societatem mutuæ utilitatis causa iniri. Homines nullius etiam rei indigos societatem appetere, quod ex Cicerone aliisque veteribus acceptum repetit Grotius, id equidem inficior: socialitas enim hominum ex conscientia imbecillitatis nascitur. Sed non idcirco minus verum est, socialitatem esse impetum naturæ omnibus communem: nam communis est propriæ imbecillitatis, & ἀναυταρκείας, ut ita dicam, *insufficientiæ*, sensus. Appetitum societatis anteriorem esse ad omne vitæ humanæ commercium, tam est per se perspicuum, quam est, conscientiam imbecillitatis nostræ omnem societatem prævertere. Idipsum comprobatur ex amore infantium inter se mutuo, ex amore naturali & necessario parentum in liberos; qui amor adeo omnem societatis experientiam præcedit, ut sit etiam in brutis illis, quæ hoc rationali societatis amore non admodum tanguntur; qua super re præclara quædam scribit Tullius in I. de Officiis. Videri potest ut totum hoc argumentum pertractat Pufendorffius de jure Naturæ & Gentium lib. II. cap. 1. §. 4. Quæ reponunt ex perversis, atque corruptis hominum moribus, nullius sunt momenti adversus Grotianum systema. Principium enim legum naturalium, quemadmodum superius observatum est, non est depromendum a qualitatibus, & vitiis naturæ humanæ adventitiis, nec a sceleribus, quæ tota humana refugit natura, sed a proprietatibus insitis, & essentialibus. Tametsi quum illam Libanii declamationem contemplamur, intelligimus profecto illas omnes adversus genus humanum machinationes ex amore cœtus & societatis, perverso licet, nasci. Hoc paradoxon videtur parum cogitantibus; sed tam est verum, quam nihil horum fieri sine

phi-

philautia: nec esse in homine posse philautiam sine *philia*, *amicitia*, reliquarum rerum ulla.

§. IX. Quod attinet ad alterum Grotii principium, qui eum oppugnant, ejus mentem plane assequuti non videntur (*a*). Principio Grotius in subsidium tantum & confirmationem argumentis secundi illius generis utitur: ceteroquin fatetur, fontem hujus juris esse *societatis ingenio humano convenientis custodiam*. Deinde non ignorabat, ægre cognosci ab hominibus posse nationum omnium super variis vitæ humanæ officiis sententias: sed recte tamen opinabatur, sicubi eæ sciantur, magnum inde argumentum desumi posse, esse aliquid natura justum, aut injustum. Laudat ille quidem Græcos tantum, & Latinos Auctores, quod ii dumtaxat ex veterum memoria supersint. Ceterum quum constet, Græcos atque Latinos cultiores fuisse reliquis nationibus, merito his in rebus eorum judicium instar omnium haberi potest, aut ceteris omnibus præferri (*b*). Quod spectat ad exemplum Idololatriæ, in eo quod est caput, unum esse supremum Deum, cui nullus alius sit par, gentes omnes consenserunt, quod plurimis demonstratur a Cudwortho in Systemate intellectuali cap. 4. Reliqua superstitio ad rem eam, de qua agimus, minime pertinet, nec idonea exempla suppeditat. Ut nec idonea illa sunt ex flagitiis quarumdam gen-

(a) *Nihil refert rescire omnium gentium sententias: sed hoc in historia humana est certissimum, nullam esse gentem hodie cognitam, quæ ullis civilibus sanctionibus coerceatur, cujum legum summa, si superstitionem demas, non in ceteris cum lege Decalogi ferme consentiat. Ejusmodi legum ubique prima est Dei, aut Deorum cultus: altera, jurisjurandi fides: tum amor ac reverentia in parentes ac patriam: postremo, vetita homicidia, injuriæ, furta, damna, calumniæ, proditiones: vetita adulterium, raptus, incestus. Hæc vel apud Huttentottos capitalia sunt crimina: sunt apud Canadenses, Tartaros, Mexicanos, Peruanos; ne quid dicam de cultis gentibus. Id constat ex omnibus viatoribus, nec esse potest ignotum, nisi iis, qui nihil externarum rerum noverunt.*

(b) *Quid si postponi? quo enim cultiores, eo minus communis ac ingenitæ habent naturæ, quam poliendo aliam fecere. Sed barbari neglectu, feroque more fecere belluinam.* Απορον χοριx, *quod ego a doctioribus, rerumque humanarum peritioribus disputari velim.*

gentium depromta: hæc enim flagitia communis hominum ratio improbat, etiam inter eos, in quibus quandoque committuntur (*a*). Sunt facinora *sine more*, ut eleganter vocat Jupiter apud Statium I. Theb. v. 238.

§. X. Quæ quum sint, intelligamus, præter eas, in quas ipsi coivimus, Civitates, esse aliam totius generis humani communem, in qua omnes nascuntur, non quam pactis conficiunt; cujusque omnes natura, non voluntate, sunt cives: & hanc Civitatem esse homini conservando necessariam, non secus atque oculo totum corpus. Itaque quum Deus velit homines esse, & conservari; velle quoque, ut hæc humani generis mutua societas custodiatur, & quoad scimus ac possumus foveatur. Præclare Alexander Macedo totam tellurem *Civitatem suam* appellabat, exercitum vero, cui præerat, *ejus Civitatis arcem* (*b*). Qua ex re sequitur I. Hominem omnem operam dare debere, ut se dignum hujus Civitatis civem reddat. Inde arcessenda virtutis excolendæ naturalis obligatio. II. Nihil facere jure posse adversus hanc societatem. Quare injusta bella, seditiones, homicidia, furta, rapinæ, injuriæ, damna, impietas, ac cetera crimina, sunt prohibita naturaliter. III. Nihil moliri posse contra se suamque perfectionem sine injuria totius civitatis, cujus is est civis. Suicidium ergo & hoc quoque nomine vetitum. IV. Obligari ad ea omnia agenda, sine quibus hæc societas stare nequit. Hinc lex humanitatis, ac beneficentiæ officia, quæ in parte sunt justitiæ, exoriuntur. V. Par esse (nam id est boni civis) omnia ea efficere, quæ societatem istam facere possint beatiorem. Inde est heroicus amor, eæque virtutes, quæ illum comitantur. VI. Deum supremum hujus civitatis Princi-

(a) *Quidam Tartari uxorum quæstum ut facerent, quando nihil aliud iis suppeteret, quo viverent, rogabant Genghiskanum, summum illum Tartarorum, totiusque Orientis principem, qui ex veteri more adulterium severe vetaverat. Ille invitus indulsit, ita tamen, ut infames haberi vellet. Historia generalis Anglorum tom.* XVII. *edit. Gall.*

(b) *Plutarchus in Alexandro. Sed* το suam *demtum vellem.*

cipem tota mente atque animo colere oportere. Quare ἀθεότης, & ἀσέβεια, *atheismus*, & omnis *impietas* hac etiam ex causa cum natura pugnat.

CAPUT IX.

Systema Pufendorffii enarratur.

§. I. SAmuel Pufendorffius lib. II. de jure naturæ & gentium cap. 1. ut huic tractationi viam faciat, omnium primum ad demonstrandum aggreditur, hominis naturæ non congruere, ut vivat exlex (*a*). I. homo præditus est libertate, qua ad sui, aliorumque perniciem abuti potest, nisi legibus regatur. II. quum sit animal ceteris sanctius, mentisque capacius altæ, ac cognationem quandam cum Deo habeat, requirebat profecto ipsius dignitas, & præstantia, qua ceteris animantibus eminet, ut certam ad normam ipsius actiones exigerentur; quippe citra quam ordo, decor, & pulchritudo intelligi nequit (§. 5.). III. quum major sit ingeniorum humanorum pravitas, quam brutorum; quia illa venter ferme solummodo, & venus sollicitant, quæ ubi placaveris, pacata sunt omnia; hominem vero affectuum, & cupiditatum brutis ignotorum colluvies immensa subagitet, nec ad certum tempus, ut in illis, sed perpetuo: is, nisi lege regatur, qualis futura est hominum vita? Luporum, puto, Leonum, Canum inter se decertantium turbam videremus, imo infestius quid; quum nullum sit animans, quod homini plusquam homo nocere possit, & velit (§. 6.). IV. Accedit quod in homine longe major sit ingeniorum diversitas, & varietas, quam in ullo genere brutorum: siquidem, ut præclare Horatius lib. II. sat. 1. *Quot capitum vivunt, totidem studiorum millia*. Quæ nisi lege composueris, ut in Musica, ubi plures & diversæ sint voces, fœdus & inamœnus sonus feriat aures necesse est; ita hic summa vitæ huma-

(a) *Sed ne concipi quidem potest, ut & rationalis sit, ac in mundo, & exlex: est enim ratio lex quædam insita.*

manæ confusio proveniat (§. 7.). Tandem ceteris omnibus animantibus imbecillius animal homo est; cui nisi cura & lege subventum fuisset, is etiam omnium fuisset miserrimus (§. 8.). Ex quibus consequitur, divinæ fuisse providentiæ, naturalem hominis libertatem intra certos cancellos, latis per naturam ipsam legibus, continere (*a*).

§. II. Quibus demonstratis, cap. II. in statum hominis naturalem inquirit. Status hominis naturalis is dicitur, *in quo homo per ipsam nativitatem constitutus concipitur, prout abstracta intelliguntur inventa, atque instituta humana, aut homini divinitus suggesta, quibus aliam veluti faciem induit vita humana* (*b*). Is status tum intelligetur clarius, cum fingentur homines e tellure

(a) *Hæc videri possunt superflua; nam pugnat hominem ordinati mundi esse partem, rationalem, liberum, & omnibus interea exsolutum legibus. Itaque Deus, etiamsi velit, tantum monstrum efficere non potest;* αφρων enim esse *nequit. Constat igitur, non potuisse a Deo hominem exlegem creari: nam ne corpora quidem extra leges omnes esse possunt in mundo arte divina ordinato. Quid hac tanta loquacitate molitur Pufendorffius? Probare nempe, quod si homo ordinati mundi pars est, nulla probatione indiget. Illud expediendum erat, quæ sit hac lex, quod, si Wolfio credimus, non expedivit Lundinensis Doctor.*

(b) *Ibid. Hominem, qualem nostris in civitatibus reperimus, haud esse eum, quem sola efficeret, fingeretque natura, neminem ego latere existimo. In hunc enim nostrum hominem commoliendum tria adlaborant, natura, experientia, educatio: in illum, quem Pufendorffius quærit, natura ferme sola, eaque experientiæ pars, quæ item naturalis est tota. Natura animantis hujus partes explicantur justumque accipiunt incrementum, ac cum istoc incremento animi corporisque vires roborantur. Accedit mox cum illa cognitio, quam sensus deferunt, indeque natæ naturaliter animi considerationes; tum artuum exercitatio. At domus & civitas iis eum habitibus induunt, quos frustra a natura petiveris; itaque omnino alium efficiunt, quam quem sola natura fingeret. Licet id cognoscere si Samojedas, aut Lappones cum nostris Italis conferamus; quanquam ne in illis quidem sola adlaboravit natura. Porro educatio quum sit triplex, domestica, civilis, ecclesiastica; singulæ aliquid de suo addunt, quo illum informem naturæ hominem, crudumque laterem perpoliant, ac seu lambendo, seu premendo, seu flectendo hisce nostris moribus accommodent. Utinam docte, præclare, ac e re nostra semper.*

Iure velut fungi nati, quod & veteres Ægyptii (a) & Epicurei docuere (b). In eo naturali ſtatu nunquam univerſum genus humanum ſimul & ſemel exſtitit, quum ſciamus primos mortalium a Deo creatos, ſitosque in ſocietate conjugali, & qui inde nati ſunt, ſub paterno imperio natos, & commoda vitæ a Deo doctos: ſed veteres Auctores (ut & nonnulli recentes) nullum dubio locum relinquunt, quin ſequentibus temporibus plurimi mortales a veteri vita deſciſcentes in ſtatum pene naturalem abierint (c). Tum adverſus Spinozam, & Hobbium differit, oſtenditque ſtatum hunc naturalem non eſſe belli, & inimicitiæ ſtatum, ſed pacis (d): repetendum nempe eſſe hunc hominis ſtatum non ab impetu, & inclinationibus animæ ſenſitivæ, quaſi nulla eſſet in homine ratio, ſed a ratione, quæ præcipua hominis pars eſt, quæque habet in ceteras facultates regimen (e): quæ ratio tantum abeſt, ut ſtatum illum præſeferat, ut amorem potius & pacem ſuadeat (ibid. §. 9.) Quod confirmari poteſt exemplo puerorum, earumque nationum, quæ a veteri vitæ ſimplicitate, quæ multum habet pueritiæ, nondum diſceſſerunt, neque eorum commercio depravatæ ſunt, qui rapere omnia, & avare imperitare ſolent (f). Qua de re ſuperius dictum eſt.

§. III. Interim nihil eo ſtatu miſerius eſſe demonſtrat. *Finge* (inquit lib. I. de Officio Hom. & Civ. cap. III. §. 3.) *hominem citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam & culturam ad robuſtam ætatem proventum, cui nihil ſit ſcientiæ, niſi quod ex proprio in-*

(a) *Diodorus Sicul. lib. 2.*

(b) *Lucretius lib. 5.*

(c) *Thucidides, Ariſtoteles ſæpe, Cicero, Horatius &c.* Pene *addidi: nam ſine familiis nemo mortalium vitalis eſt. Cum tamen illæ familiæ ſparſæ vivunt, agreſtes ſunt, ac belluinæ. Vide apud Dampier vitam moreſque Auſtralium hominum.*

(d) *Ob conſcientiam nempe imbecillitatis timide hominibus viventibus. Vide Groelandiam Anderſoni.*

(e) *At hujuſmodi mortales, quos fingit, ſenſu plurimum, ratione nihil ferme pollent. Vide quæ de Magellanicis retulit Anſon.*

(f) *Kolbi Deſcriptio Promontorii Bonæ ſpei.*

ingenio velut ultro pullulavit, eundemque ab omni aliorum hominum ope atque consortio in solitudine destitutum: sane vix miserabilius animal deprehendetur: elingue nimirum ac nudum; cui nihil aliud relictum, quam herbas radicesque vellere, aut sponte natos fructus legere (a): sitim fonte, flumine, aut lacuna obvia levare: repellendis aeris injuriis antra subire, aut musco, gramineve corpus utcumque tegere: tempus tædiosissimum per otium exigere (b): ad quemvis strepitum, aut alterius animantis occursum exhorrescere (c): denique, fame, frigore, aut per feras bestias perire (d).

§. IV. Quæ quum sint, ut genuinum fundamentum legis naturalis intelligatur, docet ipsam hominis naturam conditionemque, & inclinationes accurate contemplandas (*e*). His vero pensitatis facile patescere, quæ Cicero de Finibus lib. III. de omni animante scribit, ea quoque in homine locum habere, *simul nempe atque natum est animal, ipsum sibi conciliatur, & commendatur ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda: alienatur vero ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videntur afferre*. Ex quibus duobus, miseria nempe hominum in statu naturali degentium, & amore sui, fundamentum hujus scientiæ eruit. *Est scilicet homo animal sui conservandi studiosissimum, per se egenum, sine sui similium auxilio conservari ineptum, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum: idem tamen sæpe malitiosum, petulans, & facile irritabile, atque ad noxam inserendam promtum, & validum*. Ejusmodi igitur animal ut salvum sit, bonisque fruatur, quæ in ipsius conditionem cadunt, necessarium est, ut sit SOCIABILE, idest ut conjungi cum suis similibus velit, & adversus illos ita se gerat, ut ne isti ansam accipiant

(a) *Andersoni Groelandia. Maupertuisii Laponia.*
(b) *Groelandi quum otiantur frequenter suspirant. Anderson.*
(c) *Veluti lepores. Dampier.*
(d) *Plerique sine ignis usu reperti etiam in gelidis regionibus Alibi dictum. Toto Septentrione carent lignis.*
(e) *De jure naturæ, & gentium lib. II. cap. 3. §. XIV.*

piant eum lædendi, ſed potius rationem habeant ejuſdem commoda ſervandi, & promovendi.

§. V. His poſitis (pergit ille de Offic. homin. & Civis lib. II. cap. III. §. IX.) apparet fundamentalem legem naturalem eſſe hanc, *cuilibet homini quantum in ſe eſt colendam eſſe & ſervandam* SOCIALITATEM. Socialitatis autem nomine earum virtutum complexum intelligit, quibus homines ita conformantur, ut in unum harmonicum corpus jungi quum velint, tum poſſint. Nam quemadmodum ut ex pluribus lapidibus fornix ſtruatur, non quævis lapidum figuræ aptæ ſunt, ſed eæ tantum, quibus ſinguli ſingulis copulari poſſint, & teneri conjuncti; ita non quivis animorum habitus & formæ aptæ illæ ſunt ad ſocietatem ineundam & arcte continendam, ſed eæ tantum, quibus facile alii cum aliis coëunt. Totum id ſocialitas eſt. Ex quo conſequitur, ut quoniam qui vult finem, vult etiam media, ſine quibus finis obtineri nequit; omnia, quæ ad hanc ſocialitatem ineundam & conſervandam neceſſario, & in univerſum faciunt, jure naturali ſint præcepta: quæ eandem turbant, aut abrumpunt, vetita intelligantur. Reliqua autem præcepta ſunt velut ſubſumtiones ſub hac generali lege comprehenſæ, quarum evidentiam lumen illud naturale hominibus inſitum inſinuat. Ut autem probet ea præcepta vim legis propriæ dictæ habere, pergit eodem loco oſtendere a Deo illa manare. Nam quum non poſſit Deus non velle, ut homines iis viribus, quas ſibi præ brutis peculiares eſſe ſentiunt, ad naturæ ſuæ incolumitatem utantur; neque id obtineri queat, niſi ſervatis iis legibus, quæ ſocialitatem colendam dictant; inde concludit, intelligi ab omnibus, obligari homines ad eas leges ſervandas.

§. VI. Quivis nunc ipſe per ſe intellexerit, ſocialitatem tribus præcipue contineri, *juſtitia*, *humanitate*, *pietate*. Ac primum ſocialitatis leges poſcunt, ut & neminem ullo pacto lædamus; & jus cuique ſuum tribuamus integrum. Nam qui lædit, aut jus negat, vel intercipit, lædit profecto ſocietatem, quam homo cum homine habere oportere natura dictat. Deinde

qui

qui nulla alios benevolentia excipit, nihil juvare paratus est, neque, ut ait ille, *consolando*, neque *consilio*, neque *re*, inhumanus est, nec societate aliorum dignus. Sunt scilicet quædam non *injusta quidem*, si rigorem juris spectes, sed *inhonesta* tamen: Δικαια μεν, inquit ille apud Euripidem: καλως δ' ου, quæ alios ab aliis sejungant. Quanquam, ut præclare ait Cicero, & hæc quoque in parte sunt justitiæ illius, quæ non in civilibus legibus, sed naturalibus constituta est. Postremo impietas divinique cultus negligentia communem summi parentis ac Regis metum abigit ab animo; quo habitu qui præditi sunt, difficulter cum aliis sancte uniri, ac sociati vivere sciunt aut possunt.

§. VII. Quæ adversus Pufendorffium objecta sunt ad duo capita referri possunt. I. Non esse id principium evidens, ut etiam idiotæ inde officia derivare possint. II. Nec esse adæquatum; quum officia hominis erga seipsum, & Deum, ægre ex illo deduxeris. Parum autem utrumque adcurate. III. Quod exculti homines faciunt, quum ex artis principiis consequentia vitam spectantia deducunt, id idiotæ velut habitu quodam naturæ efficiunt: vim nempe præceptorum naturalium sentiunt, etsi principia ipsa disciplinæ non intelligant. Quo modo Mathematicus & idiota quidquam cum proportione efficere possunt, quanquam posterior proportionis regulas ignoret. Ita Zabaglia ille noster mechanices vim & usum tenere potuit, non solum totius ignarus mechanices, sed etiam litterarum omnium rudis. Natura ipsa quivis sentit, hominem solum & imbecilliorem esse, quam ut bene beateque esse possit; & *in adjutorium mutuum generatum esse* (a).

ut

(a) *Cur si ita est, dicet aliquis, nemo hominum est qui non se pluris facit, quam alios, quique aliis non omni modo invideat, atque insidietur? perbellum hoc Angeli Politiani e, istolium in invidum epist. lib. 7. epist. 23.* Invides omnibus omnia, præter invidiam: sed & hanc invides tuo compari: qui magis invidus etiam, quam tu. Sic invidiam tibi non invidet, quam tu illi tamen invides. *Atque hæc est generis ferme totius humani natura. Ego magnam hujus fœditatis partem a prava educatione deduxerim: ea factum est, ut non satis ex natura bona partiti simus. Inde & invidia excita, & accensa cupiditas, & obortæ insidiæ, ac fallaciæ, & cetera ejus generis crimina Groelandis ignota.*

ut loquitur Seneca lib. I. de Ira cap. V. Sed non omnes intelligunt hujusmodi societatis primas, & altas rationes. Quod non efficit, ut minus sint illæ veræ: nihil enim pronunciandum est falsum, quod ejus rationes idiotæ non intelligunt: hisce enim in rebus regula veritatis est rerum natura, non hominum imaginationes. Si ad stultorum captum dijudicanda est veritas, non video quid superesse potest veri in scientiis sublimioribus.

§. VIII. Quod spectat ad alterum, officia hominis adversus seipsum ex illo principio recte derivantur, si observaverimus socialitatem ita demum posse coli, si quis ita sit formatus, ut sciat queatque facile cum aliis concorditer vivere, iisque esse utilis. Sic vero formari nequit, nisi in omnibus officiis, quæ sibi debet, instructus sit, & compositus: nisi animi corporisque vires ad regulam exegerit ac informaverit. Officia vero adversus Deum præclare ex eodem principio deduxeris, si animadvertas, Deum esse hominum omnium & parentem & principem summum, quocum omnium perfectissima & intima societas ac amicitia excolenda est. Quanquam si concedamus, quædam esse adversus nos ipsos officia, quæ non facile ex illo principio derivare possimus, ut nec officia adversus Deum, non idcirco minus perfectum erit Pufendorffianum opus; quum ille juris naturæ, quo gentes continentur, præcepta explicare voluerit, non Ethicam, nec Theologiam tradere. Quum itaque totum opus fini Auctoris respondeat, perfectum omnino censendum est. Scio Wolfium contendere, neque a Grotio, neque a Pufendorffio principia hujus naturæ juris ita esse demonstrata, ut extra omnem dubitationem posita sint. Sed & scio principium *socialitatis* ita esse suapte natura perspicuum, ut demonstratione non egeat: tam enim intimius persentitur, quam conscientia, ut dixi, imbecillitatis. Utinam sancte servare doceremur, sancteque institueremur!

CAPUT X.

De principiis legis naturalis ex Cumberlandi mente.

§. I. QUo tempore Pufendorffius Lundini in Svecia, qua in urbe docebat, Corpus *juris naturæ & gentium* vulgavit, ideſt anno 1672.; eodem prorſus anno Richardus Cumberlandus Anglus edidit Londini *Diſquiſitionem philoſophicam de legibus naturæ, in qua etiam Elementa Philoſophiæ Hobbianæ refutantur*. Eo libro ſummopere delectatus eſt Pufendorffius ipſe, uſuſque paſſim in ſequentibus operis ſui editionibus. Natus eſt Cumberlandus anno 1632. humili prorſus loco. Litteris operam dedit primum Londini, mox Cantabrigiæ, verſatuſque eſt accuratiſſime in Philoſophicis præcipue, & Mathematicis diſciplinis. Studiis attritus extinctus eſt paralyſi anno 1719. ætatis ſuæ 87. Opus de Legibus naturæ novem continetur capitibus, ordineque geometrico compoſitum eſt. Barbeiracius edidit Gallice anno 1744., qua lingua legendum Auctor fuerim: habet enim latinum opus dictionem incomtam, atque aſperam, plurimiſque in locis Delio natatore indiget.

§. II. Cumberlandus igitur legem naturæ *fundamentalem* ex creaturarum rationalium fine repetendam cenſet. Is igitur ſyſtema omnium ſpirituum, ſeu creaturarum rationalium, mente excogitavit, atque comprehendit, velut unam urbem ac civitatem: deinde ex fine hujus ſyſtematis legem naturæ primam, ac ceterarum fontem perquirit. Ut omittamus quæ ad totum ſyſtema intellectuale animorum pertinent, quæque neſcio quem Platoniſmum ſapiunt, quo ejus ævi philoſophi plurimum oblectabantur, ad hominum propria properemus. Finis hominis heic agentis ex ipſius natura intelligitur eſſe qualiſcumque, cujus capax eſt, beatitudo. Beatitudo autem, quæ homini in terris degenti contingere poteſt, in duobus poſita eſt, ut cor-

pus

corpus ſine dolore, & animus ſine ægritudine ſit (*a*): ergo his duobus totus præſentis hominum vitæ finis abſolvitur.

§. III. Jam is finis, quo natura ipſa noſtra, velimus nolimus, neceſſario contendit, non poteſt eſſe nobis propoſitus, niſi ab auctore generis noſtri, ideſt Deo: quæ enim naturalia ſunt, ea Deum habent auctorem (*b*). Jam vero quum exploratum ſit, qui vult finem, velle media, præſertim ſi cauſa ſit ſapientiſſima; dubitare non poſſumus, quin Deus velit adhiberi ab homine ea omnia media, quæ eum finem ſpectant, vetetque contraria. Quumque Deus ſit ſummus hominum Imperator, eſt hæc ejus voluntas, qua præcipiat, qua vetet, ſuprema creaturarum rationalium lex. Quæ autem natura vetat, aut præcipit? Is codex diſcendus.

§. IV. Ut autem ejus codicis præcipuum fundamentum cognoſcatur, inquirendum in id eſt, quo ſervato, finis ille obtinetur; neglecto, longe ab eo aberratur. Nam quum ad noſtram felicitatem efficiendam ordinatæ ſint leges naturæ, id certe eorum omnium erit fundamentum, quo poſito felicitas noſtra obtinetur; ablato, amittitur. Id autem ſequente ratiocinio detegit. Ponamus omnes creaturas rationales mutuà ſeſe benevolentia, quoad intelligunt, & poſſunt, complecti, atque commune totius ſyſtematis bonum in omnibus ſpectare; ea ab iis habebitur felicitas, qua majorem nullam ipſæ ſibi præſtare poſſunt; nam nulla earum alteri quidquam mali faciet, & omnem, qua pollet, opem alteri feret. Ex. gr. ſi ea hypotheſis ad homines tantum reſtringatur, carebit vita humana iis malis, quæ homini ſunt ab homine, quæ numero, & intenſitate omnium ſunt maxima; & e contrario

(a) *Devexarunt quidam hanc naturalis felicitatis definitionem, velut Epicuream. Imperite: nam felicitatem cum cauſa felicitatis efficiente turbaverunt, quas res oportet eſſe ſecretas. Felicitas in conſcientia voluptatis poſita eſt: quæ cauſa id efficiat, inveſtigandum eſt philoſopho perdiligenter. Sola eam vera virtute duce obtineri poſſe in III. parte demonſtravimus.*

(b) *Auguſt. in Joan.* Quod audis, homo, Deus fecit: quod audis, peccator, ipſe homo fecit. *Tract. XII.*

fruetur omnibus iis bonis, quibus præstantiora a nullis aliis naturæ caussis sperare potest. Ergo dubitare non possumus, quin si omnia hujus systematis intellectualis membra mutua se benevolentia complectantur, eam hic felicitatem habitura sint, cujus ipsa sunt capacia. Ponamus item hæc membra sese mutuo lacessere, in mutuo esse bello & inimicitia; nihil miserius eorum vita excogitari poterit. Demonstrant id bella nationum civilia, eaque Europæ tempora, in quibus nihil erat ulla in parte quieti, nihil sancti, nihil cujusque. Ex quibus conficit Cumberlandus, mutuam hanc benevolentiam primum esse fundamentum felicitatis vitæ humanæ, atque idcirco primum quoque fundamentum legum omnium naturalium, quæ hanc felicitatem spectant. Ita ratiocinatur Cap. I. laudati operis §. IV.

§. V. Neque vero aut arbitraria est ea hypothesis, aut obscura & ignota mortalibus. Nam nulla evidentior demonstratio proferri potest, qua ostendatur caussam aliquam esse veram, nisi hæc, quod ea causa posita, effectus reapse sequatur; ablata, auferatur. Quum autem ea benevolentia & communis boni generis humani cura posita, alteque infixa humanis pectoribus, singulorum nascatur felicitas; ablata, amittatur; est ea causa vera & certa. Quinimmo quum non alia ratione finis ille obtineri possit, uti per se perspicuum est; est quoque causa necessaria. Ita ratiocinatur eodem in cap. §. VII. Quomodo regula solvendi geometrici alicujus problematis, quod uno modo solvi potest, vera quidem est, si ea adhibita problematis solutio efficiatur: & necessaria, quando nulla ejus solvendi alia superest via: Deinde nemo est, qui non intelligat, totum hominum genus esse corpus unum, quod nec sanum esse potest, nisi membra integra sint & sana; nec rite functiones suas peragere, nisi membra omnia harmonice conspirent in eundem finem. Nemo est, quem latere possit, bonum totius hujus corporis in membra defluere, nec proinde membra tranquilla esse posse, ubi totum a se ipsum dissidet. Experientia quoque omnes docet, nec solitarios

ho-

homines commode vivere posse, imo ne vivere quidem: nec in societate sine mutua hac benevolentia & boni communis reciproca cura ac præsidio (*a*).

§. VI. Ex ea doctrina potissima legum naturalium capita facile quivis derivaverit. Paucis id præstat Auctor noster §. XXIV. ejusdem capitis. Principio quum servari totum nequeat concisis partibus; inde sequitur Lex illa, quæ est totius Justitiæ humanæ fundamentum, & qua sublata, nullo modo vita hominum consistere potest, *neminem innocentem læseris; si feceris, in integrum restitue*. Læditur autem quisque, quum quod suum est quocumque modo aut turbatur, aut corrumpitur, aut deterius efficitur. Suum cujusque appellatur quodcumque bonum, seu ingenitum, seu adquisitum rite, aut ad mentem, aut ad corpus, aut ad fortunam pertineat: ex omnibus enim his bonis exsistit illud, quod *suum* cujusque dici solet. Egregie hæc explicat Henricus Koëklerus in dissertatione prolusoria ad Elementa juris naturalis. Innocentem autem dixi: nam quum læsio alicujus publici boni ergo fit, quod contingit, quum puniuntur, qui alicui crimini obnoxii sunt, quod crimen in damnum societatis vergat, seu ut ad meliorem frugem convertantur, seu ut aliis exemplo sint, ne similiter peccent, proprie lædi non dicuntur, sed vindicari delicta (*b*). Posterior legis pars ex priore consequitur: nam qui læsit, nec damnum reparare studet, is lædere continuat; quod natura vetat,

 §. VII.

(a) *At enim, civitates velut omnium pravorum facinorum, immanitatis, injuriarum, ac nefandorum flagitiorum architectrices & scatebras sunt qui traducunt*. Rousseau Emilie, ac Du contract social. *Cui primum respondeo, esse quidem in societate mala, quæ tamen multis bonis compensantur: in naturæ statu vix esse, quod bonum dicas: nam illa, quæ dicitur libertas, mere est precaria, si cuiquam licet impune auferre; aut si est ulla, belluarum est: hominis alia sit vera libertas necesse est, ut alia natura. Tum, ea flagitia invaluisse cum, ut ait in Jugurtha Sallustius*, cœpit nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere.

(b) *Quin utinam & expeditæ essent in reos pœnæ, & pro malefactis duræ*. το γαρ πανουργον ουκ αν ην πολυ, haud *enim* tot essent scelera, *ut cogitate ait ille apud Sophoclem, Elect. v.* 1540.

§. VII. Deinde ut publica felicitas obtineatur, non sufficit abstinere ab inferenda injuria: nam vita humana non suis tantum bonis contenta esse potest, sed communicatione indiget aliorum. Itaque majori cum indigentia nascimur, quam ut ei ipsi per nos satisfacere possimus; quod non sine ratione fit. Ergo lex illa fundamentalis Cumberlandi nos etiam docet, ut quocumque modo possumus, seu consilio, seu viribus, seu opibus nostris, in commune consulamus, idest, ut ceterorum bona pro virili promoveamus, & quæcumque nobis fieri ab aliis volumus, id aliis & nos faciamus. Dici non potest quantopere humanæ vitæ mutua tranquillitas hac caritate corroboretur, quantumque in nos ex nostra erga alios beneficentia bonum redundet. Nam quemadmodum quum corporis membra alia aliis serviunt, singula bene valideque se habent; ita quum homines alii aliis, quoad sciunt, & possunt, opitulantur, nemini quidquam deest, quo esse, & vivere possit beatus (a). Vide Tull. Lib. I. de Legibus.

§. VIII. Præterea, qui bonum commune in omnibus suis actionibus spectat, is ita se componat oportet, ut præcipuis publici boni caussis efficientibus, aut publicis rectoribus, in primis Deo, principibus, aliisque Imperatoribus supremis, ac ministris, placeat; quod fit obsequio, atque amore erga illos. Accedit quod

(a) *Itaque Christus dominus noster* Dei & proximi amore *totam legem contineri voluit. Sed id & philosophorum præclariores intellexere. Lex fuit Pythagoræ*, omnes homines mutua caritate complectendos, *ut docuit Jamblicus in vita Pythagoræ. Seneca epist.* 95. Omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem mutuum indidit, & sociabiles fecit . . . . . Iste versus & in pectore & in ore sit,

Homo sum, humani nihil a me alienum puto. *Lucanus lib. II. v.* 380.

. . . hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam,
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

Vide ut hæc copiose edisserit Huetius in Alnetanis lib. III. cap. 17.

quod Deus supremus ille omnium Imperator nos impense amat; id quod ostendunt innumera & continua ejus in nos beneficia, animi, corporis, rerumque externarum: ergo monstro simile est eum non reamare, à cujus amore tanta in nos bona conferuntur. Hinc deduci possunt in Cumberlandi systemate officia omnia, quæ Deo debemus, quæ duobus continentur, OBSEQUIO, & AMORE. Neque enim est aliud pietas, nisi Deum amare, ejusque voluntati esse obsequentissimum: quicumque enim Deum amat, ac veretur, cetera quoque ei officia, quum interna, tum externa libentissime præstat. Quid quod ille amor necessarius est ad nos rite amandos? Difficile namque est se mutuo fratres amare, qui communem patrem non ament. Itaque amor & reverentia erga Deum efficit, ut nos veluti ex communi patre prognatos, ac propterea fratres, diligamus, amemus, atque alii aliis utiles & benefici esse studeamus. Ceterum hanc partem Philosophiæ Moralis paucis attingit Cumberlandus, velut qui aliud spectabat. Propositum enim illi erat leges societatis regendæ explicare, & Hobbesianam oppugnare Philosophiam; non vero omnia religionis ac legis naturalis dogmata tradere.

§. IX. Tandem ex eodem principio sequitur, ut quilibet sibi conservando, perficiendo, ornando, quoad fieri potest salvo communi bono, studeat: cura enim totius consistere nequit sine cura singularum partium. Et quomodo, si oculi cogitent, intelligant profecto nec se esse, & vivere posse, ubi totum corpus intercidit; nec rursum corpus absolutum esse, ac perfectum sine oculis, ac proinde oportere duplicem in se curam suscipere, totius & partis, ita tamen, ut altera alteri non adversetur: eodem modo singuli homines, & toti generi humano conservando, atque perficiendo studere debent, certi, quod partes tranquillæ esse nequeant, ubi totum perturbetur; & sibi, quum nec quietum, nec perfectum totum esse possit sine singulorum perfectione, & quiete (a). Ea autem cura triplex

(a) *Vide Sen. laudata ep. 95.* Societas nostra lapidum fornicatio-

plex habet objectum, *animum*, *corpus*, *& externa corporis bona*: nam ab iis tota nostri tranquillitas pendet. Animus virtute instruendus est: corpus robore: bona paranda nec plura, nec pauciora, quam pro viatico satis sint. Virtus patientia: robur exercitatione & temperantia: bona honestis artibus comparantur. Supersedeo nunc ab iis enarrandis, quæ vir doctus ea super re edisserit plurima. Merentur ea apud Auctorem ipsum legi. Nam etsi nonnihil habet Cumberlandiani operis lectio laboris, ob arctissimam & pene geometricam ratiocinationum seriem; utilitas tamen qualemcumque eum laborem non compensat modo, sed longe vincit.

CAPUT XI.

De Heineccii systemate super principiis legis naturalis.

§. I. PLurima Cumberlando ac Coccejo debet Heineccius quod ad hanc rem spectat, etsi vix ullam ille Cumberlandi mentionem habet. Hic igitur Auctor in I. Libro Elementorum Juris Naturalis & Gentium cap. III. profligatis, ut putat, aliorum opinionibus (*a*), §. tandem 77. ut quid sibi rem omnem accurate expendenti in mentem venerit, perspicue ostendat, alte repetit. Principio reputat, Deum tanquam ens infinitæ sapientiæ & bonitatis nihil aliud velle, quam ut homines, quos condidit, vere felices sint, ac beatissimi (*b*). Quum enim ipse tanquam ens per-

tioni simillima est; quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.

(a) *Ut Othmanorum scilicet in morem, trucidatis fratribus, solus imperitaret.*

(b) *Hic ne etiam? Sunt qui id negant: est enim hæc vita militia: in illa cælesti Republica pax ac felicitas futura. Sed haud dubito quin & hic eam velit felicitatem, cujus capaces sumus. Sen. eod. loco.* Quæ causa est Diis benefaciendi? natura. Errat, si quis putat illos nocere velle. Non possunt. Nec accipere injuriam queunt, nec facere. LÆDERE ENIM LÆDIQUE CONJUNCTUM EST.... Ceterum castigant quosdam & coercent, & irrogant pœnas, & aliquando specie boni puniunt.

perfectissimum nulla re indigeat; homines, qui soli ex rebus creatis nobis consuetudine notis felicitatis capaces sunt, non sui ipsius felicitatis causa condidit, sed ut eos veræ felicitatis participes redderet (a). Vult ergo, ut homines libertate sua ita utantur, ut eam felicitatem semper præ oculis habeant. Est autem Dei voluntas fons juris universi, ac justitiæ; ergo lex & jus naturæ in hoc totum tendit, ut actiones hominis liberæ ad veram felicitatem regantur.

§. II. Jam vero felicitas in fruitione boni, malique privatione consistit; ergo lege naturæ eo intendit supremum Numen, ut vero bono perfruamur, malumque evitemus (b). Quandoquidem autem bono perfrui non possumus, nisi per amorem (c); inde porro infert, Deum lege naturæ nos obligare ad amorem (earum nempe rerum, sine quibus beati esse nequimus); eumque amorem, & principium juris naturæ, & ejusdem veluti compendium esse (ibid. §. 79.). Quod mox confirmat scripturarum sacrarum auctoritate attestationeque. Nam Christus Servator noster aperte docuit; ex amore Dei super omnia, & proximi sicut nostri, universam legem pendere (d). Paullus vero caritatem vocavit *summam legis*, &, *legis impletionem* (e) &, *finem præcepti* (f).

§. III. Porro amor ei est appetitio boni conjuncta cum voluptate ex ejus perfectione & felicitate, quem amamus, percepta: odium vero aversatio mali conjuncta cum voluptate hausta ex ejus infelicitate, quem odio habemus. *Itaque*, inquit, *ex ejus rei, quam amamus, præstantia & felicitate voluptatem capimus, eamque rem, quantum in nobis est, amplificare & conservare connitimur. Quod contra odio prosequimur id infelicissimum potius, quam felix ac beatum esse cupimus* (§.

(a) *Seu hic, seu alibi, ajunt.*

(b) *Ajo.*

(c) *Perfrui utique, quum adest, an etiam adipisci, quum non adest?*

(d) *Matth.* 12. *v.* 37.

(e) *Ad Romanos* 13. *v.* 9. 10.

(f) 1. *ad Titum cap.* 1. *v.* 5.

(§. 80.). Ex quo consequitur, amantem nihil ægre velle facere ei, quem amat; nam id est odisse; sed velle potius omnia in eum bona, quoad potest, conferre.

§. IV. Objecta autem, quæ amari a nobis possunt, ac debent, ut simus beati, tria omnino sunt, *Deus*, *Nosmetipsi*, *Alii*: nam sine horum amore infelices simus necesse est. Deus amore *devotionis* amandus: nos amore *amicitiæ*: alii item *amicitiæ amore*, ut æquales. Qui itidem amor vel est *justitiæ*, vel *humanitatis*, ac *beneficentiæ*. Amor devotionis, seu obedientiæ, est amor entis præstantioris, perfectiorisque, cujus præstantia ac felicitate ita delectemur, ut illud omni veneratione atque obsequio prosequendum censeamus. Amor justitiæ est is amoris amicitiæ gradus, quo quem amamus nullo modo lædere parati sumus. Amor vero benevolentiæ is amoris amicitiæ gradus, quo quem amamus, quocumque modo possumus juvare studemus.

§. V. Quibus definitis, tum progreditur ad propositiones fundamentales legum naturæ & naturalium officiorum expediendas. Ac primum Deus est ens perfectissimum, & e quo toti pendemus; ergo lex naturæ jubet omnibus animi viribus colendum, eique perfectissimum, ac intimum in primis cultum præstandum (§. 91.). Quo ex axiomate omnia, quæ Deo debentur, officia late deducit eodem libro cap. V. Deinde nostrorum ipsorum amor non potest aliter esse comparatus, quam ut ad perfectionem & felicitatem nostram consequendam, & pro virili conservandam, & amplificandam obligemur, dummodo id facere possimus salvo amore, quem Deo & aliis debemus. Itaque axioma, quo officia omnia erga nos continentur, est, *Homo nihil eorum, quæ ad suam perfectionem, & felicitatem adsequendam, conservandam, amplificandam pertinent, prætermittere tenetur, dum id sine amoris Dei, & proximi violatione fieri potest* (a). Ex eo vero principio officia erga nos ipsos pluribus prosequitur eodem lib. cap. VI.

§. VI. Tandem quandoquidem homines nobis natura

(a) *Ibid.* §. 93.

ra æquales sunt ; illa vero naturæ æqualitas æqualia etiam amoris officia exigit : consequens est, ut alterius felicitate non minus, quam nostra delectari oporteat, ac proinde ita alios amare, ut nos ipsos. Unde tertium exsistit axioma, quo officia omnia erga alios continentur, *Homo hominem non minus quam se ipsum tenetur amare, nec alteri, quod sibi fieri non vult, facere ; contra illi facere omnia, quæ sibi ab altero fieri cupit*. Quæ autem hujusmodi sint officia, fuse explicat novem sequentibus ejusdem libri capitibus.

§. VII. Quilibet nunc ipse per sese facillime intelligit, Cumberlandi, & Heineccii systemata super legibus naturæ unum idemque omnino esse : uterque enim *amorem* hominibus natura ipsa præceptum docet ; eumque esse principium *cognoscitivum* jurium & officiorum naturalium. Uterque præterea demonstrat, nos ad amorem obligari ex nostri *fine*, idest *felicitate*. Paullo latius eam doctrinam deducit Heineccius, atque altius repetit : concinniorem tractationem, ac faciliorem adornat, quod in Cumberlando desideratur. Accedit id quoque discriminis, quod Cumberlandus systema nescio quod spirituum animo concipit, cujus partes omnes, *velut magni corporis membra*, benevolentia mutua inter se connecti vult : tum in Platonicorum quasdam notiones, ut illa ferebat ætas, propendit : quæ ambo haud admodum curat Heineccius.

§. VIII. Interim viri docti dum giganteo more veteres hujus disciplinæ Auctores perditum eunt, ut soli regnent, vim quæstionis non satis dilucide explicuisse videntur, in primis Heineccius. Itaque iis primum opponunt, non hic quæri tantum, quid nostra utilitas, quæ recta ratione gubernatur, exigat in vita hac ducenda : nemo enim negaverit exigere nostri beatitudinem, eamque consistere non posse sine communis boni communi cura : nam ipse id Hobbius, quem illi oppugnant, docet, qui idcirco de jure omnium in omnia demtum aliquid vult, quod eo jure, dum nihil in commune consulitur, & singuli pereunt. Sed non statim sequitur id, quod recta ratio e re nostra esse docet, *lege æterna & naturali præcipi*, contrarium vetari : non illa

illa enim mundum propter nos; ſed nos propter mundum ſalvos eſſe vult. Tum ex ſolo amore voluntaria ſequi ajunt officia, quæ extorquere tanquam ex jure non liceat. At hominis ea natura eſt, ut non voluntariis contenta eſſe poſſit officiis: exigit enim & ea, quæ vel ab invitis præſtentur (a): *jure cogente* regendus eſt. Nam ita, ajunt, comparati ſumus, ut propter philautiam, ſeu noſtri ipſorum amorem, *mali* plerique omnes ipſa natura ſponte ſimus: *boni* vero non niſi vi & fræno. Deinde quum uterque conetur probare, exſtare voluntatem Dei, qua benevolentia, aut amor præcipitur, adeoque lege naturæ nos ad benevolentiam, & amorem obligari; ab utroque exquirunt, cadere ne ſemper ſub lege poſſit amor, aut odium, non quatenus præſtationes ſunt, aut denegationes officiorum, quod nemo negaverit; ſed quatenus animi appetitus atque affectus? Si ſibi conſentanei eſſe volunt, negabunt; quum diſerte fateantur, lege morali ſolas actiones humanas, ideſt liberas, non etiam mechanicas & neceſſarias regi poſſe; affectuſque omnes ſæpe eſſe neceſſarias naturæ humanæ commotiones, *quæ apprehenſas formas ſequuntur*, ut ajunt Scholæ; quas ratio quidem & voluntas gubernare poſſunt, non autem excitare, aut excitatas cohibere, niſi bonorum, aut malorum formis, ac repræſentatione; ſub lege ergo aut præcipiente, aut vetante cadere ipſi per ſeſe, ac *immediate* non poſſe videntur.

§. IX. Sed quoniam pulcherrimum hoc veriſſimumque ſyſtema, ac homine dignum fovendum omnino eſt, & quoad in nobis eſt, promovendum, conabimur paullo clarius principium iſtud *benevolentiæ* & *amoris* expedire, atque confirmare, ac a ſuperioribus objectionibus vindicare. Renatus Carteſius part. I. epiſtolar. epiſt. XXXV., quæ data eſt ad Canutum Reginæ Sveciæ Adminiſtrum, præclare diſtinguit inter amorem pure *intellectualem*, ſive *rationalem*, atque eum amorem, qui naturæ animalis commotio eſt. *Prior*, inquit, *non*

mihi

(a) *Vide Koeklerum in exercitationibus de jure naturæ differt, proluſoria.*

mihi videtur aliud esse, quam quod ubi anima nostra bonum aliquod sive præsens, sive absens, percipit, quod sibi conveniens esse judicat, se cum illo voluntate conjungit, hoc est se ipsam cum bono: hoc considerat veluti totum aliquod, cujus illud est pars una, ipsa vero pars altera. Deinde si præsens est, hoc est si illud possidet, aut denique cum ipso conjuncta est, non solum voluntate, sed etiam realiter, & de facto eo modo, quo ipsi convenit conjungi; motus voluntatis ejus, qui eam cognitionem comitatur, qua scit hoc esse sibi bonum, est ejus lætitia. Si vero absens sit, motus voluntatis ejus, qui eam cognitionem comitatur, qua scit se illo privari, est ejus tristitia. Motus autem ille, qui cognitionem istam comitatur, qua scit adquisitionem ejus fore sibi bonum, est ejus desiderium. Omnesque hi voluntatis motus, in quibus consistit amor, lætitia, desiderium, quatenus sunt rationales cogitationes, non vero quatenus passiones, possunt in anima nostra, quamvis corpore nudata, locum habere. Hæc ille (*a*). Inde vero Cumberlandiano systemati lumen & vis addenda est.

§. X. Scilicet lex naturæ, quod sæpius a nobis dictum est, quæ Dei æterna ratione, & voluntate constat, non alia ratione homini est necessaria, nisi ut contendenti illi ad beatitudinem, cujus appetitus est ei naturaliter insitus, brevitas rationis, affectuum turba, & voluntatis inconstantia non obsint. Appetit quidem homo beatitudinem suam naturaliter; neque ut eam amet lege ulla, præter insitam, indiget, quippe ad quam necessario rapitur: sed, ut recte amet, id nisi illa accedat summa ratio, non habet a natura, cujus ratio brevis est, & depravationi obnoxia. Ergo, ut rite, atque recte amet, præcipit lex naturæ: recte autem amat quum intelligit, quæ sint vera media, quibus illa obtinetur, atque ad ea media motus suos voluntarios dirigit, ac voluntariis appetitus sensitivi motus

(a) *Eadem docuere, aliis licet vocibus, Scholæ. Duos illæ homini appetitus tribuunt*, rationalem, *quem* voluntatem *vocant*, & sensitivum; *duo igitur genera affectuum. Vide S. Thom. 1. p. q. 80.*

tus regit: ea ergo media ut lex naturæ explicet necesse est. Sunt autem ea media amor Dei, amor nostri, amor aliorum, & quidem *amor rationalis*, qui in animæ superiori parte dominetur, ac ejus naturæ, quæ a Cartesio explicata est. Hic amor sub lege ista cadere potest, quæ tum præcipit, quum docet vera bona, atque, ut ad ea feramur, sanctionem adjungit. Ad triplicem igitur amorem illum lex naturæ nos obligat. Quumque postquam eum amorem docuerit, idest ostenderit ex eo tantum nobis felicitatem provenire posse, cujus nobis naturaliter sensum appetitumque indidit; nisi amemus, cognitione, & voluntate nostra abutamur; jure crimini nobis verti poterit ejus amoris violatio, & ob eam violationem juste plecti possumus. Quare hujusmodi amor & *cogentis juris* principium esse potest. Atque ad hunc modum prius objectum refellitur.

§. XI. Opponunt deinde, in hoc systemate omnes naturæ leges ex utilitate nostra derivari. Scilicet eo totum spectat, ut nos felicitatem nostram adipiscamur. Omnia autem ad utilitatem nostram conferre, periculi, & perturbationis humanæ vitæ plenum est (*a*). Sed huic objectioni non est necesse, ut pluribus respondeamus, quando constat, utilitatem nostram veram non esse, ubi aut publicam utilitatem prodimus, aut de obsequio in Deum supremum nostri legislatorem quidquam imminuimus. Quod quoniam per se perspicuum est, demonstratione nulla indiget. Non igitur Cumberlandi, & Heineccii systemate leges naturæ omnes ex privata nostri utilitate derivantur, sed ex communi: nec privatam spectant, sed publicam. Hanc communem utilitatem lex naturæ præcipit; ea honestas est; honesta igitur est utilitas privata, quæ ex publica est, eique conjuncta. Id ne Cato quidem inficias iverit, qui, ut ait Lucanus

. . . Urbi pater est, ubique maritus
Justitiæ cultor, rigidi servator honesti.

§. XII. Quæret autem hoc in loco quispiam, quomodo

(*a*) *Vide Tull. de off. lib. II.*

modo ex ſuperiori ſyſtemate in ſingulis vitæ humanæ actionibus intelligi poterit, quæ ſint juſta aut injuſta, honeſta aut turpia? Nempe facili negotio. Nam quum aliquid agendum occurrit, tum conſultabimus I. neceſſarium ne ſit ad amorem erga Deum conſervandum, an ei adverſetur, an neutrum? Nam ſi neceſſarium eſſe deprehendetur, agendum eſt: ſi contrarium, omittendum: ſi neutrum, dum ne amori noſtri aut aliorum adverſetur, permiſſum intelligemus. II. Neceſſarium id ſit ad rectum noſtri amorem, contrarium, neutrum? Primum imperatur faciendum: alterum ne fiat vetatur: tertium permittitur, modo ne Dei, & aliorum amori ſit adverſum. III. Neceſſarium item ſit ad amorem erga proximum, contrarium, an neutrum? Primum præcipitur: alterum ſi amori juſtitiæ adverſetur, vetatur ut injuſtum: ſi beneficentiæ, & humanitati, prohibetur ut turpe: ſi neutrum, dum ne Dei aut noſtri amori rationali officiat, permiſſum eſt. Sed hæc latius diducere eorum eſt, qui de officiis diſſerunt.

CAPUT XII.

Superius ſyſtema nova ratione adornatur, ac inde notiones primæ & genericæ legis naturæ moralis iterum exponuntur.

§. I. PAucis ego nunc ſuperiora confirmabo, atque natura ipſa ejus amoris ac benevolentiæ doctrinam expromam, quo conſtet non fictitia hæc eſſe & precaria, ſed toto ab univerſo tradi, nobiſque eſſe adeo conjuncta, ut neceſſe eſt ſimus infelices, ubi minus aut noverimus, aut excoluerimus. Conferam autem rem omnem in hæc theoremata, latius, ſi vita ſuppetat, olim diducturus in Ethicis.

§. II. *Prop.* 1. Homines natura æquales naſcuntur omnes. Eſt id inter perſpicua, ſi naturam humanam in infantibus, in quibus tota & ſola ineſt, contemplari velimus. Nam quod in adultis eſt diſcriminis, ab educatione, arte, & vitæ commercio totum eſt: naturæ enim conſtitutio, veluti corporis machinatio ac vires,

res,

res, tum vires, appetitus, & propensiones animi, ac si quid est aliud, quod a natura proficiscitur, in omnibus infantibus eadem deprehenduntur; nisi quod discriminis tum quod ad corporis temperiem aut habitum formamque exteriorem, cum ad animi ingeniique vim ac solertiam, climata faciunt; quod tale non est, ut idcirco ad plures species homines pertinere, in quo magni quidam Philosophi ineptiverunt, affirmare possimus. Hujus ergo rei testem do totam generis humani historiam: nationum enim omnium infantes, utcumque habitu corporis aut temperamento discriminati, omnes easdem habent insitas propensiones, eorumdemque capaces affectuum, iisdem mentis aut corporis habitibus apti. Promtius quidem alii, alii tardius: nemo tamen non omnino (a).

§. III. *Prop.* 2. Homines ad mutuam societatem a natura generantur. Argumento est, principio, quod omnes imbecilles nascantur, & suæ imbecillitatis conscii; cupidi tamen exsistendi. Deinde quod instrumentis societati aptissimis generentur omnes præditi & non modo ad loquendum apti, quod profecto esse nequit, nisi societatis ergo, ut acute vidit Aristoteles (b); sed etiam iis affectibus obnoxii, qui nisi in societate hominis

(a) *Diversæ animantium species secum non coeunt, nec coeundo generant. Buffon. At homines omnes cum omnibus sese propagant. Nam quod retulere quidam, steriles esse Europæorum ac Lybicarum nigricantium nuptias, in fabellis habeo.*

(b) *Bruta non loqui, quia sine societate educuntur, existimat l'Ametrie: physicus nempe, næ magnus. Nos docuisset, qui instituendi canes, aut equi, ut loquantur. Loqui autem dico & articulatim, & ut homines. Quid jam vero illud, gregatim, ac quatuor pedibus ire, nisi duobus ingredi assuescant? Velim scire, quæ tandem agrestis gens reperta quadrupes? Ac si omnes bipedes, qui primus cunctos mortales duobus potius, quam quatuor pedibus, incedere docuit? Sed illa graviora, qui manus, ac brachia non ad ambulandum, sed ad agendum instructa? Qui centrum gravitatis eo locatum, ut ne si velint quidem adulti homines quatuor pedibus conari possint, quin capitibus deorsum ruant? Nam qui ad id aggrediuntur, genibus se sustineant necesse est. Quis est eiuscemodi philosophorum furor, ut invita natura nos belluas esse impetrent? Me haud piget hominem esse natum. Quos piget, nemo volo invideat.*

minis cum homine locum habere nequeunt ullum, qualis amor, gloria, misericordia, ceteri. Sed hoc ipsum infantium item natura, quæ nondum nec adultis affectibus, nec pravis moribus, falsisque opinionibus est depravata, aperte declarat. Statim enim infantes, ubi alii aliis ignoti conveniunt, primum in mutuam admirationem rapiuntur; tum in complexum ruunt; ac tandem socialem vitam instituunt; id quod esse nequit, nisi a natura, quæ homini hominem, similem simili, conciliet. Quod si objecto infantibus præmio individuo animis dissociantur, ac in partes diversas distrahuntur, id non inde est, quod integrum singuli obtinere velint, sed quod æquam partem, quam ubi singulis tribueris, pacati statim sunt & amici. Quod demonstrat ita singulos se suaque amare, ut æqualem aliis curam amoremque non invideant, obstaturi alioquin majori, quæ sibi nocere possit. Ita sibi natura cavere, ut securitatis conscii, nemini unquam insidientur.

§. IV. *Prop.* 3. Homines sunt natura cupidi vitæ, bonorum, gloriæ. Constat id ex communi sensu. Id autem sic ut procrearentur necessarium erat: nam quum sint natura imbecilli, suæque imbecillitatis conscii, nisi naturam haberent cupidam earum rerum, quibus bene esse possunt, vitales non essent; quia sine cupiditate nulla re tangerentur, nec quoquam moverentur, nec agerent quidquam, nec pericula vitarent, non magis, quam statuæ (*a*).

§. V. *Prop.*4. *Socialitas*, & *cupiditas* sunt duæ leges insitæ ac physicæ corporum politicorum, quarum illa centripeta est, hæc centrifuga. Nam leges physicas naturæ humanæ voco eas propensiones, quæ omnibus hominibus sunt communes, omnique tempore eos agitant, quæque rationem omnem, & consilium antevertunt. Huiusmodi autem sunt *socialitas*, & *cupiditas*: nam & in omnibus insunt hominibus, & semper; & ita cum natura ipsa humana commixtæ ac concretæ sunt, ut usum omnem rationis & consilii prævertant.

 Porro

(a) *Quin etiam illa apud Gelli ostrea, pigritia sibi beata, cauta tamen cupidaque voris est*. Gelli Circe.

Porro ſocialitas, quoniam homines alios cum aliis conciliat, ut una eſſe velint & poſſint, lex eſt *centripeta corporum politicorum*: ea enim civitates parit. Sed quia ſine cupiditate homines nulla actione eſsent præditi, nec magis moverentur, quam ſtipites; vocari cupiditas poteſt vis *centrifuga* Civitatum; ea enim efficit, ut induſtrii ſint, & commodorum acerrimi perquiſitores. Ea artes & diſciplinas progenuit, ea alit.

§. VI. *Prop.* 5. Civitas naturalis eſt hominum inter ſeſe coëuntium, vita & bonis fruendi cauſa, multitudo. Ad Civitatem ergo pertinent quicumque & ſociales ſunt; & imbecillitatis ſuæ conſcientia perſentiſcunt, ſibi vitam in tuto non eſſe, niſi in ſocietate aliorum hominum; & qui ejus ſocietatis natura ſunt percupidi. Non igitur ſolis pactis initur ſocietas, ac civitas naturalis conſtituitur, ſed natura, & facto (*a*). Certe etiam in privatis civitatibus infantes & ſocii ſunt, & cives, utcumque pactorum ignari.

§. VII. *Prop.* 6. Totum ergo genus humanum unum eſt veluti corpus, cujus ſinguli homines membra ſunt: una civitas, cujus ſinguli ſunt cives, Deus vero imperator ſupremus. Nam & ad mutuam ſocietatem facti ſunt; & in eundem finem deſtinati; & communium vitæ humanæ utilitatum gnari; & ſimilibus propenſionibus, viribus, habitudinibus inſtructi; ita tandem comparati, ut alii ab aliis ſegreges vitam agere nequeant, niſi miſeram, ſibique nocere plurimum poſſint; conjuncti vero poſſint ſibi prodeſſe plurimum, ac eſſe, quoad natura humana patitur, beati. Itaque natura ipſa & facto unam civitatem naturalem conſtituunt. Nam quo ego altero argumento conficiam, plures lapides ad eundem fornicem ſpectare, aut plura membra ad idem corpus, niſi quia video, iis ea eſſe figuris deformata, ut & in unum coire poſſint; & natura ſua poſcant ita copulari; & ſeparata inutilia, conjuncta tandem aliquid ſint?

§. VIII.

(a) *Aberrant a natura Hobbius & Rouſſeau, qui civitates pactis tantum conventis deberi arbitrantur: eſt & plurima naturæ pars, quod acute vidit Ariſtoteles.*

§. VIII. *Prop.* 7. Tota hæc civitas cum ad communem, tum ad ſingulorum felicitatem conſtituta eſt. Nam & hanc felicitatem ſinguli natura ipſa & neceſſario appetunt: & conferre ad eam plurimum poſſunt, ubi in mutuam opem & vitam conſpiraverint. Quare falluntur profecto ii, qui in mutuo bello homines naſci putant, ideſt in mutuam perniciem a natura armari: id enim ſi eſſet in mutuam ſocietatem homines non generarentur, quæ in communi omnium cum omnibus bello eſſe nulla poteſt. Bellum igitur, quod ajunt, eſt exceſſus vis centrifugæ ſupra centripetam; ac propterea non naturæ eſt, ſed libidinis: accedit enim uſu vitæ ac educatione (*a*).

§. IX. *Prop.* 8. Finis hujus civitatis obtineri nequit, niſi temperatione duarum illarum virium, *ſocialitatis*, & *cupiditatis*. Scilicet perſpicuum eſt ubi altera alteram vincit, totam civitatem funditus perdi. Nam ſi cupiditas vicerit, diſſolvetur defectu vis centripetæ, velut olim Roma: ſi ſocialitas cupiditatem oppreſſerit, ut in nimio luxu, ac defluente voluptate, marceſcet defectu actionis, opprimeturque a cupidiori, ut XIII. ſæculo Sinenſium imperium; olim Aſſyrium, aliaque. Temperatio igitur utriuſque illius vis civitatem efficit beatam.

§. X. *Prop.* 9. Hæc ita eſſe a Deo conſtituta, dubitare non poſſumus: nam leges, quibus ſyſtema mundanum compactum eſt & regitur, a Deo ſunt, ut ex ſuperioribus conſtat. Itaque huic ordini & nos conſentaneam vitam agere debemus, ne ſupremo Dei imperio adverſemur, fruſtraque nitendo nihil aliud, niſi cala-

I 2

(a) *Si quis quærat, cur Baniani, Indiæ veteres incolæ, pacifici ſint, & a bello, non cum hominibus modo, ſed cum belluis ipſis abhorreant, atque abſtineant? Cur in America Penſilvani? Quid aliud reſpondeam non habeo, niſi quod ita educati ac ſueti ſint. Cur autem nequeant reliqui? In eadem America ſeptentrionali pacifici ſunt Iſlinenſes, ac belli refugientes: truces & inhumani Chirokenſes. Ab aſſuefactione item. Romani magni fuere bellatores, quia Marte geniti; quod ego ſic accipio, ut ab initio bello coaluerint, creverintque. Non natura igitur bellatores ſumus, ſed educatione.*

lamitatem & miseriam nobis consciscamus. Nam quid aliud agit, qui naturæ adversatur? Hoc ergo summi Imperatoris imperium lubenter agnoscere debemus, eique læti parere. Et quanquam ad id ipsum nostra quoque natura & utilitate rapimur; confert tamen plurimum ad id incitari reverentia Principis ipsius, qui cogere queat: quandoquidem fieri non potest, ut qui civitatis alicujus Principem nec reveretur, nec amat, communia civitatis jura servet.

§. XI. *Prop.* 10. Ea dictamina rectæ rationis, quibus illa temperatio (prop.8.) fit & conservatur, sunt leges naturæ morales. Nam lex naturæ moralis est dictamen rectæ rationis, quo homines ad felicitatem reguntur, cum imperio supremi naturæ legislatoris Dei, ut late superius explicuimus: dictamina autem rectæ rationis, quibus temperatio virium illarum fit, & servatur, ad humanam felicitatem tendunt (ex prop.8.); quumque eæ vires a Deo sint (9) & a Deo nobis felicitas pro fine sit proposita; dubitare non possumus, quin cum imperio Dei nobis a communi ratione promulgentur; ergo sunt leges naturæ morales.

§. XII. *Prop.* 11. Recta ratio nobis dictat, ut præstemus Deo primam & maximam amicitiam, sed eam, quæ præstanda est supremo omnium domino, benefactori liberalissimo, providentissimo gubernatori, patri amantissimo. Nam Deus & supremus dominus telluris Civitatis est, & benefactor, & gubernator, & pater. Quare quum ab eo tantum simus quidquid sumus, ejus tantum vi conservemur, ab eo hanc naturæ civitatem habeamus; ab eo beatitatem speremus; nihil prius neque majus habere possumus, quod amemus, &, quatenus scimus & possumus, colamus. Enimvero cui alteri is esse poterit amicus, qui Deo non sit? Nam nemo alius est, in quo plures & majores sint rationes, quamobrem cum eo perfectam amicitiam habeamus, & pervigilantissime custodiamus. Naturæ igitur ordini & rerum rationibus adversatur, idest naturæ legi, qui Dei amicitiæ & cultui quidquam aliud anteponit (*a*). §. XIII.

(a) *Pudet me, cum recogito, fuisse Casuistas, quorum vel Ethnicos*

§. XIII. *Prop.* 12. Quilibet homo ſtudere debet, ut ſit dignus ſui amicitia, & ſibi amicus omnino eſſe debet. Nam quilibet homo ad beatitudinem a natura gignitur; ergo quilibet a natura ipſa incitatur & ut ſit, & ut bene beateque ſit, quæ ſunt duæ primæ ac maximæ naturæ humanæ propenſiones ingenitæ & communes. Ut autem ſit, ac bene beateque ſit, in id ſe comparare perpetuo debet, ut ſe conſervet, ac excolendo perficiat. Perficit autem ſe quiſque iis habitibus, quibus privata, publicaque vita tranquilla & beata efficitur. Quum autem eæ ſint virtutes; virtute ſe perficere ac beatum facere homo poteſt. Id quum efficit, amicus ſibi eſt: niſi efficiat, ne dignus quidem ſua amicitia eſſe poteſt, quæ eſſe nequit, niſi inter bonos. Itaque ſic vivere quiſque debet, ut nihil in ſe admittat, quod vereatur amico facere; nihil omittat, quod amicitia poſcit. Diſtinguendum igitur eſt inter hanc, de qua loquimur, amicitiam, & amorem, quo omnes naturaliter ſe amant. Eſt enim amor ille naturæ *ορμη, impetus;* hæc vero amicitia rationis & electionis. Illo rapimur in naturam conſervandam; hæc in virum bonum efficiendum. Quocirca quanquam nemo eſt, qui odiſſe ſe poteſt; plures tamen ſunt, qui nec ſibi

thnicos jure puderet. Pythagoras, Plato, ac Pythagorici, Platonicique juniores, neminem fore beatum tradunt, inculcantque ſæpe, niſi perpetuo Deum ac divina, puraque mente meditetur: illi, chriſtiani ſcilicet, haud ita fuere ſcrupuloſi, ac quaſi Deus quietum longeque a nobis ævum vivere velit, ne ſæpius exturbemus præcipiunt: nam qui ſemel in anno ut accederemus docuere, fuere illi ſeveriſſimi. Quid illis faciemus Epicureis, qui ſemel in vita ſufficere tradidere? Finis hominis, inquit Porphyrius lib. 1. περι αποχης εμψυχων *eſt perpetua contemplatio* τȣ οντος *(quo nomine Deum appellant Platonici)* & το ζην κατα νȣν, & vivere ſecundum Mentem (*illam ſcilicet ſempiternam, quo mundus continetur) ad eamque omnia referre. Quin quo ad illam* αιωνιον ουσιαν æternam eſſentiam *nobis pateat aditus, danda, inquit, nobis eſt opera, ut impura omnia ac polluta, quæ a corpore, vitæque hujus commercio contraximus, eluamus, nudæque mentes ad nudam mentem accedamus. Quoties vero? perpetuo. Nos ſemel in vita? Oh ſcelus! Vereor ut intellexerint* το *divinum verbum*, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. *Qui nempe hodie? Quotidie: quotidie ergo rogandus.*

ſunt amici, nec ea amicitia digni: quandoquidem qui ſi ſic ut ſecum, ita cum aliis vivant, jure illis inimiciſſimi eſſe videantur. Hinc ego omnia hominis adverſus ſeipſum officia deduco. Quumque hanc amicitiam natura ipſa præcipiat, ut demonſtravi; ea quoque omnia officia præcipit, quæ inde conſequuntur.

§. XIV. *Prop.* 13. Ex vi naturæ omnes homines mutuam ſibi debent amicitiam. Primum amicitia inter æquales natura eſt conſtituta: omnes autem homines æquales naſcuntur (prop. 1.); ergo in naturali alii erga alios amicitia; quam adulti non delere, nec fœdare, ſed fovere debent, ſi ſecundum naturam vivere volunt. Deinde omnes homines in mutuam ſocietatem generantur (prop. 2.), quæ ſine mutua amicitia vera eſſe nequit. Tum ſibi debent amicitiam; ergo ſibi debent, ut ſint viri boni; inter bonos vero natura ipſa communis amicitia eſt. Tandem in mutuam felicitatem conſpirare debent, quæ ſine mutua amicitia obtineri nequit. Ac vero fac omnes ſibi mutuo eſſe amicos, erunt omnes viri boni, omneſque beati: nam quæ vitam humanam miſere miſeram faciunt, ea ſunt mala, quæ aut noſtra nobis ignorantia, vel malitia procreat, aut alii aliis inimiciſſime inferimus. Quæ a natura ſunt, nec mala ſunt, ſi ex fine æſtimentur, ut ego alias demonſtravi, & quam pauciſſima ſunt. Pone item omnes ſibi mutuo eſſe inimicos & infeſtos, quid vita humana turpius ac miſerius? Quocirca ſi ipſa rerum natura noſtri felicitatem exigere videtur, & eam appetimus omnes; eaque habetur, ubi omnes omnibus amici ſunt; diſterminatur, ubi alii aliis mutuo ſunt infeſti; hæc erit verum præſentis vitæ tranquillitatis adipiſcendæ medium, illudque propterea natura ipſa præceptum.

§. XV. *Prop.* 14. Amor Dei reprimit eam cupiditatem, quæ ſocialitatem deſtruit, ac propterea eſt temperationis primarum corporum civilium virium lex moralis. Nam amor Dei: 1. efficit, ut ceteros homines ſincerius amemus, velut ex eodem patre progenitos, atque idcirco noſtros fratres; ergo promovet ſocialitatem; ex quo fit, ut ea cupiditas, quæ naturæ civita-

tem

tem dissolvit, frænetur. 2. Amor Dei figit animo longe nobilius & præstantius objectum nostræ cupiditatis, quam sunt ea, quæ tellus nobis præstare potest; ergo cupiditatem terrestrium hujusmodi bonorum minuit, idest eo adducit, ut non plura cupiamus, quam quæ huic vitæ commode transigendæ sunt necessaria. Quum autem ea rationis rectæ dictamina, quæ temperiem societatis & cupiditatis efficiunt, sint leges naturæ morales (prop. 10.); sequitur amorem Dei esse legem naturæ moralem.

Corollarium. Ex quo sequitur, ut sit & religio. Nam tota religio Dei amore continetur. Evangelium igitur cum natura consentit.

§. XVI. *Prop.* 15. Amor aliorum temperat eam cupiditatem, quæ societati adversatur: quapropter est lex naturæ moralis. Scilicet qui alios amat, is nolit ita esse cupidus, ut omnia ad se trahat: sunt enim inter se opposita; ergo is amor cupiditatem societati noxiam temperat. Itaque est lex naturæ moralis (propos. 10.).

§. XVII. *Prop.* 16. Amor Dei cum odio aliorum destruit societatem; nec verus est amor; ac proinde contra legem naturæ. Ac prima pars est per se perspicua: nam si omnes homines sese mutuo oderint, sese quoque mutuo aut fugient, aut destruere conabuntur; nulla ergo erit societas. Amor ergo Dei cum odio aliorum destruit societatem.

Altera pars. Amor societatis ex Dei voluntate est (prop. 13.); ergo odium contra Dei voluntatem. Porro amor Dei contra Dei voluntatem non est verus amor; ergo amor Dei cum odio aliorum non est verus amor.

Tertia tandem per se patet: nam hic amor cum odio aliorum est contra dictamina rectæ rationis; ergo contra legem naturæ (prop. 10.)

Scholion. Lege Muhammedana præcipitur ita amare Deum, ut alios propter amorem Dei odio habeant, ac disterminent; cum natura ergo & Deo pugnat. Lege Christi & inimicos diligere debemus; ex quo ejus præcellentia ac divinitas patet (*a*).

I 4 §. XVIII.

(a) *Itaque oratio christiani est*, Pater noster &c. *Quorum vero pater?*

§. XVIII. *Prop.*17. Amor Dei cum odio noſtri nec verus eſt amor, & ſocietatem deſtruit, ac contra legem naturæ eſt. D. pr. pars. Dictamen rectæ rationis eſt, ut nobis amici ſimus (prop. 12.); ergo ex voluntate Dei eſt: nos ergo odiſſe contra Dei voluntatem. Jam amor Dei contra Dei voluntatem non eſt verus amor; amor ergo Dei cum odio noſtri non eſt verus amor.

Secunda pars. Nequit alterum amare, qui ſibi odio eſt; ergo inimicitia adverſus nos deſtruit ſocialitatem, ac propterea ſocietatem.

Tertia pars. Amicitia Dei cum inimicitia noſtri eſt contra ea dictamina rectæ rationis, quæ ad temperiem virium primitivarum corporis politici pertinent (ex 1. & 2. parte); ergo contra naturæ legem.

Scholion. Odium noſtri cum dico, non *relative* dico, ſed *abſolute*. *Relative* enim oportet nos odiſſe, ut Deum rite amemus; ideſt omnia ea nobis denegare, quæ cum Dei amicitia, & obſequio pugnant.

§. XIX. *Prop.* 18. Amor aliorum cum odio noſtri, nec poſſibilis eſt, & ſocietatem deſtruit.

D. 1. p. Quia ſocietatem nemo amat niſi conſcientia imbecillitatis; ergo ob amorem ſui. Hoc amore homo ſpoliari nequit, ut nequit privari conſcientia imbecillitatis; poſſibilis ergo non eſt.

Secunda pars. Si omnes homines ſeſe oderint, nemo alterum amabit (ex pr. parte); ergo odium noſtri ſocietatem evertit.

§. XX. *Prop.* 19. Lex naturæ eſt, ut tres illæ amicitiæ minime ſeparentur. Lex naturæ eſt dictamen rationis rectæ, quo vires naturæ humanæ primitivæ ita temperantur, ut ad felicitatem hominem perducant (propoſ. 10.): tale autem eſt vinculum trium illarum amicitiarum (ex ſuper.): eſt igitur naturæ lex.

Scholion. Si quis attente animo ſuo cogitet, is intelliget & ſejungi non poſſe eas, quas dixi, amicitias, & ſe-

pater? Pater omnium, *inquit Apoſtolus. Fratres ergo ſumus omnes. Qui igitur odia nationum tuentur, qua poſſunt fronte Deum patrem omnium interpellare? Licet odiſſe vitia, non homines.*

& sejunctas intercidere omnes. Nam fieri non potest, ut quis sibi sit amicus, qui nec Deum sui parentem, ac totius mundi gubernatorem amet, nec societatem, sine qua non solum miser sit necesse est, sed ne sit quidem: nec Deum amare potest, aut societatem quicumque sibi odio est, quique se diris devovit. Ex quo & illud sequitur, ut sejunctæ illæ amicitiæ non solum algeant, sed convellantur stirpitus. Vir ergo bonus, virtutis ac felicitatis suæ amans ita secum apud animum suum reputabit, se nec bonum esse posse, nec porro felicem, nisi sancte tres illas amicitias custodierit.

§. XXI. Ac officia hominum ab his principiis, quæ suapte natura clara sunt, derivari facile possunt. Sed illud animadvertendum est, quæ actiones humanæ lege naturæ reguntur, non omnes eodem modo regi. Nam sunt quas *απλως abscisse* ac *simpliciter* lex naturæ præcipit, aut prohibet: sunt quas *προς τὶ relative* tantum: sunt item quas suadet, aut dissuadet: tandem quas permittit. Alteri injuriam facere præcise & absolute prohibet, ut nullo casu liceat. Nuptias inter fratres & sorores *relative* tantum, ut supervenire causæ possint, quibus liceant, veluti si ad fratrem & sororem genus humanum referatur totum, ut quum homines esse cœpere. E duobus bonis melius eligere suadet non præcipit. Nuptias adulto humano genere singulis non præcipit, sed permittit. Hæc Philosophus accurate perpendere debet, ut scilicet quæ sint hominum jura, quæ ex lege naturæ proficiscuntur, ac quoto gradu honestatis vel turpitudinis actio sit, discernere possit.

§. XXII. Illud difficile definitu videtur, quæ regulæ servandæ sint, ut id dignoscatur. Ego ad sequentes hic conferam.

I. Quæ cum amicitia Deo, nobis, aliis debita e diametro pugnant, *abscisse* lege naturæ vetantur. Nam eam amicitiam absolute naturæ lex præcipit. Ita impietas, Dei negligentia, suicidium, mutilatio, sanitatis oppressio voluntaria, homicidium, adulterium, calumnia, furtum, convicium &c.

II. Quæ talia sunt, ut sine iis amicitia illa consistere

ſtere nequeat, lex naturæ præcipit abſolute. Ut crebra ad Deum oratio: ſui ſtudium: humanitas ac beneficentia in eos, qui indigent. Ratio eſt eadem.

III. Quæ hanc amicitiam intenſiorem & perfectiorem efficere apta ſunt, ſed omiſſa non dirimunt, lex naturæ ſuadet; nam ſine illis legis naturalis finis obtineri poteſt. Talis eſt perfectio virtutis heroicæ. Huc pertinent conſilia evangelica.

IV. Ea, quæ talia ſunt, ut ſi adſint, amicitiam quidem illam non dirimunt, ſed non ſinunt eſſe plenam & perfectam, lex naturæ diſſuadet. Ejuſmodi eſt urbanitas. Ex eadem ratione.

V. Ea, quæ ſeu omittantur, ſeu fiant, amicitiæ illi nec derogatur quidquam, nec additur, permittit naturali libertati. Nam ea ſunt extra finem legis.

VI. Quæ generatim conſiderata amicitiam iſtam lædere comparata ſunt, ſed in quibuſdam circumſtantiis poſita malignitatem illam deponunt, *relative* vetat. Ita neminem nec percutias, nec increpes, nec ægritudine afficias oportet; niſi emendare ex officio debeas.

VII. Quæ ad amicitiam ſervandam generatim quidem ſunt neceſſaria, ſed quorum in tempore, aut loco, neceſſitas ceſſat, *relative* præcipit. Itaque non dabo non indigenti, ſi vel enixe petat: ac ſi dari vult, pretio dare poſſum.

CAPUT XIII.

Wollaſtoni & Ashley Syckes de lege Naturæ dogma exponitur.

§. I. Inter eos, ac quidem primos, qui noſtro hoc ſæculo ad legem naturæ explicandam profundo ingenii conatu ſunt aggreſſi, facile ego collocaverim Wollaſtonum Anglum philoſophum. Hic in eo opere, quod haud dudum adverſus Atheos & Deiſtas ſcripſit (a), penitiſſime legis naturalis indolem, atque uſum & vim expedivit. Wollaſtoni doctrinam paucis complexus

(a) *Ebauche de la Religion naturelle.*

plexus est Aslhey Syckes (*a*) Anglus item, ac nonnullis additamentis illustravit. Utriusque igitur nos cogitata una exponemus. Juvabit profecto omni ex parte justitiæ atque honestatis fontes penitus inspectare. Ac Syckes alia quidem ratione exorditur, quam qua ego referam; quippe qui a regula ipsa humanarum actionum initium facit, mox humanam libertatem, atque exsistentiam supremi Numinis demonstrat, quo eam legem plene doceat. Sed ego lectoris utilitati consulam, dum inde ejus systema enarrare suscipio, quod ille postremam ejus partem facit, facturus primam, si docendi methodo scripsisset. Ita & intelligetur facilius, & cohærebit arctius.

§. II. Hominem inter agentia libera esse connumerandum iis argumentis demonstrat Syckes, quibus nulla possunt esse evidentiora. Est enim is indifferens ad ad varios habitus: nihil exploratius esse potest inter homines: nam & nullis habitibus informati nascimur: & paullatim plures ac diversos ipsi per nos induimus: & oblitteramus alios, alios adsciscimus, totique in diem, quum volumus, mutamur. Persentiscit quisque intimitus, se natum aptum cum variis animum disciplinis informando, tum etiam pluribus ac diversis habitibus moralibus, vitiorum, aut virtutum, ac postremo habitibus corporis, contrahendis. Totum hoc, quidquid sumus, quod ad hujuscemodi modificationes pertinet, sumus, quia volumus; nec volumus, nisi quia & intelligimus, quod volumus, & quod intelligimus ac volumus, possumus. Præterea his habitibus & viribus ita utimur quandoque parte virium agamus majori, vel minori, quandoque totis. Est igitur cum ratione nostra conjunctissima agendi, atque nos pluribus & diversis modis, prout placitum fuerit, determinandi potentia. Hæc libertas est. Itaque in iis rebus, in quibus nec ratio est, nec libertas, nulla quoque hujusmodi inest indifferentia, sed necessario eodemque modo semper agunt. Id quod demonstrat potentiam nos habere ad

(a) *Examen des Fondemens, & de la connexion de la Religion naturelle & revelée.*

ad plura & diverſa nos flectendi (*a*).

§. III. Porro qui tali libertate eſt prædittus, ut & plura ac diverſa intelligere poſſit, & in varias partes ſeſe proclinare, is niſi ex regula certa & immutabili actiones ſuas componat, neceſſe eſt, ut perpetuo aberret ab eo fine, quo natura ipſa pergit, ac tota adeo vita perturbetur. Inquiramus ergo, ſit, necne, ulla hujuſmodi in natura certa ac conſtans regula, qua homines actiones ſuas rite conformare poſſint, debeantque, & ex qua degere, ut ſint, & ut, quoad per humanam naturam licet, beati ſint. Nulla in terris gens eſt tam moribus efferata, in qua juſti & injuſti, boni & mali moralis non inſit naturalis aliquis ſenſus, non ſecus atque voluptatis & doloris: tum aliquæ ejus boni & mali notiones; ac poſtremo vocabula, quibus eæ exprimi ſolent, jactarique continenter, accuſando, aut defendendo. Inter omnes gentes, etiam barbaras, laudari quædam actiones ſolent ut juſtæ & bonæ, quædam aliæ vituperari velut aut impiæ, aut iniquæ, aut flagitioſæ: ſunt ſui ubique heroës, virtutis ſtudioſi, boni: ſunt ſceleſti, improbi: itaque pœnæ ubique & præmia. Unde autem id proficiſci dicemus, niſi ex inſita omnibus hominibus juſti & injuſti, boni & mali regula? Inſitam autem dico, quod ſtatim, ac quis adolevit, atque uti ratione cœpit, nullo alio magiſtro, niſi ipſa rerum natura, hujuſmodi regula informetur. Eſt certe hoc argumentum apodicticon. Niſi enim omnibus certa quædam ac conſtans regula animo eſſet informata, ad quam, velut ad amuſſim, eas actiones referrent, quas laudant ac vituperant, bonas aut malas prædicant, quid illi hujuſcemodi vocibus ſignificare vellent? Velle autem aliquid dicere, non vero inania vocabula effutire, inde ego conjicio neceſſario, quod ad hujuſmodi vocabula commoventur, atque affectibus agi-

(a) *Cap. I. Quin nihil majori cum voluptate facimus. Euripides in Oreſte v.* 334. μεταβολη παντων γλυκυ, nihil varietate ſuavius. *Hominis hæc Horatio noſtro natura ep.* 1. *lib.* 1.

Quod petit, ſpernit: repetit, quod nuper omiſit:
Æſtuat, & vitæ diſconvenit ordine toto:
Diruti, ædificat, mutat quadrata rotundis.

agitantur; id quod in illis minime contingere solet, qui voces sine mente projiciunt. Agitari animus nequit, nisi notionibus boni aut mali, quod per se est perspicuum. Insidet ergo atque infixa est hominum ratione utentium mentibus boni ac mali, honesti & turpis, justi & injusti notio ac regula; etsi non in omnibus peræque clare ac distincte, nec in omnibus æque expedita & promta, sed in singulis pro cujusque cultura, exercitio, vitæ commercio (*a*). Inde sensus ille naturalis boni & mali, justi & injusti exsistit.

§. IV. Constat igitur omnes homines regula quadam uti, in eamque oculos figere, non solum dum de aliorum actionibus judicant, verum etiam quum ipsi agunt aliquid, aut omittunt. Hanc regulam omnes consectantur, aut saltem sequi se arbitrantur. Ac quod aberrent ab ea plerumque, id non fit, quia nullam habent, sed quia aut affectibus perturbati, aut pravis educationis habitibus occupati, aut rerum ignorantia impediti, totam ejus extensionem & usum non semper pervident, nec semper ita instructi sunt, ut in singulis actionibus adhibere illam sciant. Id quod contingit etiam in ceteris artibus ferme omnibus, quarum nullus tam peritus unquam fuerit, ut ei non incidant sæpe casus, in quibus aut hæreat animi dubius, aut etiam, quasi trementibus artubus, ab artis regula aberret. Hoc multo etiam difficilius est in morum ac vitæ civilis arte, ob multiplicem & pene infinitam rerum atque actionum copiam, & varietatem. Sed hæc ipsa rerum prope infinita multitudo & varietas, respectuumque multiplicitas, ac propterea diversitas actionum pro locis, temporibus, personis, quin tamen quicquam sensui cuidam hominum communi derogetur, satis demonstrat id, quod diximus, hærere hominum animis certam quamdam ac constantem vitæ, morumque normam. Nam in tanta hac varietate nemo ullus reperitur, qui dum agit quidpiam, aut de aliorum actionibus judicat, id quod efficiunt quotidie omnes, non regulam aliquam consectetur. Ejus rei homines item omnes

(a) *Cap. I.*

omnes do testes : omnes enim judiciorum, aut actionum suarum ex illa regula rationes proferunt. Ipsi sceleratissimi mortalium si crucientur, ut scelerum suorum causas & rationes ceferant, ex illa norma afferre conantur : ut etiam quum in usu errant, demonstrent se aliquam habere, ex qua velint judicari. Quocirca non id inquirendum est, insit ne in hominibus justi & honesti regula, quum id omnes perpetuo præseferant; sed illud potius, quæ hæc sit, quam vim habeat, & a quo : quod hunc in modum expedire conatur Syckes..

§. V. Rerum hæc universitas, cujus exigua homines sunt pars, ita constructa est ac temperata, ut & singulæ naturæ res cum singulis uno exemplari junctæ ac copulatæ sint; & homines inter sese & cum mundo toto; ut adeo nos cum singulis ferme rebus, quæ nos circumambiunt, respectum aliquem ac concatenationem habeamus naturalem & immutabilem. Hujusmodi connexibus, quas rerum naturæ poscunt, ac quibus consentanee structa sunt omnia, ut ex parvis membris animantis corpus, mundanus ordo, ejusque pulchritudo contineŕur. Iis & constans est, & perpulcher, & magnificus. Turbari ergo eæ nequeunt, quin ordo iste turbetur : ut nemo juncturas partium corporis perturbaverit, quin totum perdat. Ac quemadmodum totius universi ordo, pulchritudo, & æquabilitas ex conservatione ac constantia hujusmodi relationum pendet; ita ordo, æqualitas, ac ipsa denique vitæ humanæ tranquillitas & beatitudo ab iis respectibus tota est, quos cum rebus, quæ nos ambiunt, antecedunt, consequuntur, comitantur, habemus. Qui hujusmodi relationes & circumspicit acute, & sartas tectas servat, & nulla in parte aut violat, aut præterit, is omnium hominum beatissimus est : minus beatus, qui aut ignorat quandoque, aut negligit, aut videns prudens violat : ut miserrimus, qui, contra quam natura fert, perpetuo iis adversatur, velut qui cum adverso mundo colluctatur; aut qui pro veris hominum aut inter sese, aut cum aliis rebus, relationibus, falsas ipse comminiscitur, iisque velut veris obtemperat, homo non naturæ, sed imaginarius ac phantasticus. Rerum

has

has relationes *veritatem realem* appellant Wollastonus & Syckes. Hanc veritatem, ajunt, quilibet, qui nec sensibus, nec ratione sit destitutus, ipse per se animadvertere, & intelligere potest. Sunt enim res, cum quibus hos habemus connexus, in propatulo omnibus expositæ: natura quoque ipsa earum relationum nos admonet: nam & nos inde affectibus concitat, & tranquillitatem, atque ingentes voluptates in iis procreat, qui secundum naturam vivunt; & perturbationem, ac dolores vehementissimos in iis, qui cum natura pugnare instituunt. Ergo & ex rerum ipsarum contemplatione, & ex usu atque commercio vitæ hoc in nobis ingeneratur decretum, *oportere rerum naturam sequi*, idest, ut Philosophi isti loquuntur, *veritatem realem*. Quomodo primas æternasque Picturæ regulas ab illis rerum proportionibus hauriunt pictores, quas natura sequuta est. Eas qui probe imitantur egregii sunt summique: qui descifcunt, artis imperiti sunt habendi. In natura igitur atque mundo tota eorum est ars. Itidem in natura atque universo prima vitæ ars, a qua philosophi expromant necesse est.

§. VI. Hæc igitur illa regula est, quam omnes homines a natura ipsa naturaliter discunt, ac sensu quodam communi sentiunt, quamque sequi profitentur. Inde bonos aut malos prædicant, quoscumque prædicant. Ea regula informata ratio leges civiles populis dictavit. Quid enim aliud sunt civiles leges, quam peculiares regulæ, quibus homines instituuntur, ut ex norma naturæ vivant, seu ut rerum relationes, quas natura posuit, idest *veritatem realem*, sectentur? Nempe ut doceantur, quid singulorum expetat natura, tum clima, situs, viciniæ, ut sint, & bene sint: quid singuli a singulis: quid principes a subditis, subditi a principibus: quid cives ab exteris: quid parentes a liberis, liberi a parentibus: quid denique in omni hominum genere ac statu. Porro quid homines a rebus aliis, quæ in tellure gignuntur, aut sunt; quid a rerum omnium opifice ac imperatore Deo, ab his Deus. Plures fuere olim, antequam leges illæ describerentur, [illegible]res quoque hodie sunt nationes, quibus non alia

vitæ

vitæ ac morum lex. Nec eas memoro tantum, quæ nullo imperio civili continentur, ſed earum quoque multas, quæ a principibus reguntur, ut omnes ferme Americanæ, pleræque Africanæ & Aſianæ, quod ſæpe obſervatum viatoribus (*a*). *Veritas* igitur *realis naturalis*, ideſt rerum ordo, illa eſt, ac inſita omnibus, vitæ & morum regula prima ac ſuprema.

§. VII. Sed hæc regula eſt ne etiam lex? Legis partes duæ, *decretum*, & *obligatio*. Neque enim decreta, ſi obligatio deſit, vim ac naturam legis obtinebunt; id quod in theoreticis Philoſophorum dogmatibus, quorum nulla ſit alia vis ad nos permovendos, quam ratio, aut privata auctoritas, ſeu, quod perinde eſt, obligandos, obſervare poſſumus. Ac natura quidem, ut demonſtratum eſt, decreta vitæ, & morum in omnibus ingenerat, dum & rerum connexus naturales ipſo vitæ ſenſu docet, & ſingulos ita inſtituit, ut ex iis quam ſciant, tum poſſint vivere. Sed an etiam extimulat? An ſingulos ita agitat, ut ex iis vivere, ac agere oportere ſentiant? Indit ne ſingulis ad hanc veritatem conſectandam calcaria? Obligat tandem? Obligat profecto. Nam ita ſinguli homines natura ipſa comparati ſunt, ut naturam ducem ſectantes bene ſint & beate; ei reluctantes miſere. Decreta igitur hujuſmodi, quæ ex rerum relationibus natura in nobis imprimit, cum potentiſſimis motivis ad agendum vel ceſſandum ſunt conjuncta. Quem enim non moveat voluptas aut dolor, beatitudo, aut miſeria? Quæ ſi cum obſervantia, aut violatione eorum decretorum ſunt connexa, procul dubio intimam habent obligationem. Stimulos atque calcaria, quibus nos impellunt, ſecum ipſa deferunt. Sectatoribus tranquillitatem, & beatitudinem non oſtendunt modo, ſed revera præſtant: perduellibus miſeriam. Accedit quod neſcio quæ alia vis, quam diſtincte intelligere & explicare nequeamus, ſingulis intrinſeca, quam conſcientiam vocaverunt majores, hæc decreta comitatur ac ſa-

(a) *Vide Recueil des voyages, qui ont ſervi aux etabliſſement & aux progres de la compagnie des Indes Orientales.*

ſacra & veneranda ſingulis efficit. Ita profecto eſt. Rerum natura non ſolum quemque hominum docet juſtum & injuſtum, honeſtum, & turpe, ſed ita etiam afficit, ut honeſti, & juſti notiones mirifice nos delectent: injuſti vero & turpis turbent & infelicitent. Eſt ergo hæc vitæ & morum regula *obligatoria*. Eam obligationem qui minime ſentit, is ratione & ſenſu humano careat neceſſe eſt.

§. VIII. Sed hæc, quæ intrinſeca eſt obligatio, minime ea ad perfectam legem conſtituendam ſatis eſſe poteſt. Tangitur quidem ea obligatione, & permovetur natura humana; ſed poſtquam experimenta nos docuerunt, plures eſſe, qui aut hanc obligationem non ſemper animadvertunt; aut vehementibus affectibus perciti ei reluctantur; aut pravis habitibus corrupti ab ea tranſverſum aguntur: niſi vehementioribus ſtimulis agamur, parum profecto momenti, aut ſaltem non tantum, quantum neceſſe eſt, ad nos plene determinandos, habebit hæc ſanctio. Itaque tum perfectior erit, & vehementior, quum accedent extrinſecus graves etiam minæ, aut ingentia præmia. Nemo enim dubitabit, quin ſi ſupremus quidam totius naturæ imperator ad hanc regulam ſectandam nos aut pœnis propoſitis impellat, aut præmiis illiciat ingentibus, plena ſit & perfecta hujuſmodi obligatio. In id igitur modo inquirit Syckes (*a*), ſit ne ullus ſupremus totius naturæ opifex atque imperator, qui hæc decreta ſanciverit. Paucis ille hanc rem totam abſolvit: nam quoniam rerum generationes & ſeries ſunt plures, eæque neque ex nihilo eſſe poſſunt, neque ſine prima; eſt profecto prima rerum omnium cauſa, eaque intelligentiſſima, potentiſſima, libera. Hic Deus eſt: hic ſummus naturæ & optimus imperator. Eum nemo eſt, qui aut ignoret, quando certum eſt facilius repertum iri nationem ſine ſole, quam ſine Deo, & religione, quod Plutarchus eleganter dixit; aut poſſit ignorare, qui oculos habeat & rationem. Quoniam ergo conſtat inter omnes, & Deum eſſe, & ab eo na-

(a) *Cap. III.*

turæ ordinem constitutum ; quis ignorare queat, hanc esse supremi hujus imperatoris voluntatem, ut hic naturæ ordo, seu, quod tantundem est, hæc *veritas realis* integra servetur? Qui enim procreavit, servatque immobiliter, nisi & a nobis servari velit? Qui nos ei ordini innexuit? Qui reluctantes natura infelicitat, beat obtemperantes? Constat ergo id velle. Ac si constat, ne in dubium quidem vocari potest, hujus voluntatis transgressores pœnis divinis esse obnoxios. Cur tam sceleftos haberet impunitos? Dei igitur idea, ejusque supremi imperii cum veritate illa reali connexa vim procul dubio habebit maximam ad homines sui officii commonendos. Erit hæc extrinseca obligatio, eaque plena & perfecta, quam ii possunt ignorare, qui una ignorent, aut Deum esse, aut universitatis curam gerere, aut positi rerum ordinis, qui ex æterna & immutabili ejus ratione proficiscitur, acerrimum esse custodem. Veritas igitur realis utraque illa obligatione corroborata perfecta lex est. Et naturalis quidem lex est, quia ab ipsa rerum natura in singulis hominibus imprimitur: & divina, quia a Deo naturæ ordo est, & servatur: & æterna, quia secundum æternam Dei rationem ac voluntatem.

§. IX. Interim quoniam nimio plus ampla rerum natura est, quam ut plene queat a mente humana comprehendi; hominesque ipsi finiti, & facile possint a peculiaribus quibusdam rebus trahi, iisque mancipari; nihil contingere facilius potest, acciditque sæpius, quam ut homines aut hujusmodi legem non, ut par est, præ oculis habeant; aut ut totam ejus extensionem non pervideant; aut ut peculiaribus objectis rapti ejus desertores fiant. Quare factum est, ut Deus eamdem hanc legem nova via ac ratione promulgaverit, diduxerit latius, novis motivis, novaque vi instruxerit, quo omnibus modis humanæ felicitati consuleret; vim interea naturæ, & libertati nostræ nullam inferret. Est hæc via *revelationis*, de qua Auctor deinceps ex instituto disserit. Ejus vim & utilitatem explicat: exsistentiam demonstrat: sed necessitatem elevat, in quo mirum est virum cetera perspicacissimum non vidisse,

ſe cum tota ratione pugnare. Sic enim ille exiſtimat, revelationem eſſe quidem utilem, atque maximas ex ea, & plures commoditates in genus humanum derivari: minime tamen neceſſariam, quod lex illa atque religio naturæ ſit ſufficiens. In quo nec humani intellectus vires, nec potentiam naturæ humanæ ſatis perpendit, nec ipſe ſecum eſt concors. Quis enim non videt, quam vaga ſit & incerta *veritas* illa *realis*, quamque ad homines maxima ex parte aut educatione ſtupidos, aut affectibus concitatos regendos inutilis? Nihil ne illum ejuſcemodi rerum populorum agreſtium hiſtoriæ docuerant? Nihil fœdi perverſique tot gentium mores? Quanquam cum utilem dicit revelationem præternaturalem, neceſſe eſt neceſſariam dicat: ſic enim decerno, nihil a Deo fieri, quod quoquo modo non ſit neceſſarium. Vetus ergo proverbium, nec naturam quidquam moliri ſuperflui ac ſupervacanei, nec Deum naturæ totius auctorem moderatoremque, in iis refero, quæ per ſe cuiquam perſpicua eſſe debent. Aut igitur ei negandum erat & hac altera via ac ratione Deum legem hominibus tuliſſe: aut ſi illud negari non potuit, fatendum erat, neceſſarium fuiſſe ουρανοθεν *cælitus* Deum nos inſtituere, agereque ανωθεν, *ſuperne*. Sed non eſt opus hoc in loco repetere, [a] quæ ſunt a nobis alias copioſe demonſtrata. Admonuiſſe tantum Lectores, ne quis hujus viri doctrina tranſverſum agatur, hoc in loco ſatis exiſtimavi (*a*).

(a) *Mihi hoc ineptum perridiculumque eſſe videtur, ut theiſtæ noſtri legem naturæ minime ſervandis civitatibus ſufficientem eſſe dicant, ac profiteantur, poſcantque, ut civili imperio ſanciatur iterum, vindiceturque, atque bardis hominibus, capitulatim ſaltem, explicetur; iidem negent id præclaro utilique conſilio a Deo* ανωθεν *fieri, aut ejus nos rei opus habere ullum. Qui igitur ſapientes Legislatores, ac Philoſophos beandis Rebuſp. neceſſarios eſſe dicas, neges, ſi a Deo docti atque inſtructi veniant? Nec vero ignoro qua re id fiat. Scilicet tota divina hierarchia prægravat. Cui metui atque odio ſi quidem ipſi præivimus, cauſaſque odio atque ira dignas prætulimus, haud ego negabo, jure eſſe capitales: ſi vero cinædorum pravi & ſceleſti mores, ac lubido infrænatæ vitæ, videant, quæſo, quid moliuntur. Quid poteſt eſſe in vita tutum Civitatum everſis ordinibus?*

CAPUT XIV.

Christiani Wolfii atque Henrici Koehleri de principio legum naturalium uno & adæquato doctrina exhibetur.

§. I. ME quoque pœnitet his in rebus, quæ ad hominum mores efformandos pertinent, quæque omnibus in medio esse positæ debent, nimis esse & longum & metaphysicum. Sed quoniam suscepimus magnorum virorum super legibus naturæ sententias recitare, efficere non potuimus, ut Christianum Wolfium prætermitteremus, cujus tam gravia sunt in Philosophiam merita; ut ut ille nimius est in iis omnibus, quæ quoquo modo attingit, non subtilis modo, sed minutus, & prolixus. Sed nos studebimus minus esse fastidiosos, minusque ænigmaticos, quam hujus sectæ alumni esse solent: sic enim habeo, plura esse in Leibnitiana & Wolfiana Philosophia penitus vulgaria, quæ quoniam novis inconditisque vocabulis ab Auctoribus suis sunt involuta magis, quam explicata, nova minus attentis videri possunt. Sed & habent Philosophi isti id præ reliquis proprium, ut humanas omnes notiones, etiam eas, quas communis probavit sensus, quæque suapte natura claræ sunt & distinctæ, evolvant, & minutatim secent, ut ad simplicissimas videlicet ac primas adducant; quod nec necessarium semper est, & plurimam rebus quandoque obscuritatem offundit. Henricus Koehlerus in opere de *jure naturæ in primis cogente*, quod edidit Francfurti ad Mœnum anno 1738. Wolfii doctrinam, quam ille octo tomis in quarto explicuit, in parvum systema retulit, sed iisdem ambagibus intricatam. Inde nos hæc more nostro extricata paullo & exasciata dabimus: non enim scholæ doctorem adornamus, sed ad probitatem, eamque simplicem, lectorem instruimus. Ad hoc, virtutis præcepta non dixerim, quæ nequeat unusquisque mortalium ipse ex se suoque animo facile expromere; ut metaphysico doctore sit ei opus.

§. II.

§. II. Quoniam eas naturæ leges perquirimus, quibus convenienter hominem vivere oportet, qui velit beate vivere; hominis ipsius naturam omnium primum noscere debemus, si eas intelligere amamus: ex hominis enim natura, cui efformandæ & moderandæ inserviunt, sunt hujusmodi leges eruendæ; quas idcirco is ignoret necesse est, cui minus hominis natura est perspecta. Quomodo leges, quibus horologia conserventur, ac fini suo apte convenienterque serviant, scire nequit, cui hujusmodi machinarum structura ac natura ignota fuerit. A natura igitur humana Wolfius & Koehlerus juris naturæ tractationem auspicantur.

§. III. Constat autem natura humana substantiis plane duabus, iisque inter se quidem valde diversis, conjunctissimis tamen, mentis scilicet, & corporis. Quum ex genio Metaphysicorum natura entium in eorum *activitate* aut *agendi conatu* posita sit; corporis quidem natura ejus *vi motrice*, animi vero *vi intellectrice* continebitur. Sed hoc etiam plurimum anima a corpore distat, quod in hoc *natura* ab *essentia* distingui potest, quum in illa una eademque res sint. Corporis essentiam in ejus *structura & inertia* Philosophi isti constituunt (a), quæ est ab agendi conatu diversa: at vis illa intellectrix mentis est & *natura & essentia*. His interea omnibus conflatur homo. Quare, ut hominis natura intelligatur, utraque illa accurate est pervestiganda, mentis scilicet, & corporis natura atque essentia.

§. IV. Anima sui conscia est, percipit, cogitat; rerum sibi notiones efformat, sentit, imaginatur, fingit; attenta est, reflectit; abstrahit, & notiones conficit genericas; experitur, judicat, demonstrat; a cognitis ad incognita progreditur; similitudines rerum velociter observat; nexum possibilium perspicit; voluptatem, tædium, dolorem persentiscit; appetit, aversatur, vult, non vult, mavult. Ea omnia ab ejus essentia & natura fluunt; itaque ei sunt naturalia. Eadem autem ratione corporis naturalia dicimus ea

(a) §. 242.

omnia, quæ ab ejus natura & essentia proficiscuntur, veluti esse mobile, irritabile, facile diffluens, grave, iners &c. Quum autem hominis natura ex utraque composita sit, animi scilicet & corporis; inde intelligitur, quæ sint hominis naturalia; ac proinde quid sit, *hominem congruenter ad naturam vivere* (*a*); nempe secundum hæc omnia, quæ sibi sunt naturalia, vitam agere (*b*).

§. V. Eæ propositiones genericæ, quibus plura & varia aut coëxsistentia, aut successiva aptantur, ut similiter sint aut fiant, *regulæ*, *normæ*, *leges* dicuntur (*c*). Ita regulas aut leges motus vocant Physici eas propositiones genericas, secundum quas naturales corporum motus fiunt. Quum autem sit exploratum & certum, omnes mutationes animi & corporis, idest naturæ humanæ, secundum constitutas a natura regulas fieri; erunt hujusmodi regulæ naturæ humanæ leges ei insitæ, idest naturales. Iis convenienter vivere, est secundum naturalia humanæ naturæ vivere, ac proinde naturæ congruenter (*d*).

§. VI. Sed quum naturæ animi & corporis, licet inter se arctissime conjunctæ, diversæ tamen sint; fit, ut animi naturales leges sint a legibus corporis naturalibus diversæ. Ac illas quidem *logico-morales*, has *mechanicas* appellat: illæ mentis, hæ corporis naturam modificant & moderantur. Utrisque igitur convenienter vivere, est naturæ consentanee vivere: nam & utræque insitæ sunt ac naturales, & utrisque humana natura conservatur & regitur (*e*).

§. VII. Jam & totam istam hominis naturam bipartiri necesse est; est enim altera *animalis*, *rationalis* altera. Ac ad primam pertinent sensationes, phantasia,

(a) *Hoc & Stoici docuere; & Epicurei, & Aristotelici, & omnes. Nec tamen adhuc quid sit* naturæ congruenter *vivere, satis est definitum. Sed vereor ne ea de re Euripidis illud in Oreste dici possit*, κρειττον δε το δοκειν, κᾳν αληθειας απῃ.

(b) §. 241.

(c) §. 244.

(d) §. 280.

(e) §. 275.

ſia, aſſociatio imaginum, affectus, memoria, analogia quædam rationis, appetitus ſenſitivus, affectus, inſtinctus & ſtimuli naturales, ſpontaneitas (*a*). Ad alteram vero actus reflectendi, comparandi, vis ideas genericas efformandi, judicandi, ratiocinandi, experiundi, demonſtrandi, intellectus, ratio, libertas, voluntas (*b*). Ergo leges naturæ humanæ naturales aliæ homini cum brutis communes erunt, eæ nimirum, quæ ejus naturam animalem continent; aliæ homini propriæ, quæ ſcilicet ad naturam rationalem ſpectant. Quare iterum fit, ut ſecundum utraſque vivere, ſit vivere naturæ humanæ convenienter.

§. VIII. Perſpicua ſunt hæc. Illud nunc perquirendum eſt, obligemur necne ita vivere, & quatenus, ac qua ratione. Nam quoniam liberi ſumus, in eo, quod eſt convenienter naturæ vivere, multipliciter peccare poſſumus, niſi ita libertas noſtra determinetur, ut ſciat, & velit recte cum natura vivere; ne ſcilicet impellat illam ultra, quam par eſt, nec plus, quam æquum eſt, cohibeat, nec turbet. Eſt obligatio connexio motivorum voluntatem ad quidpiam agendum vel omittendum inflectere aptorum cum actionibus ipſis, aut omiſſionibus (*c*). Ea motiva eſſe poſſunt voluptates, aut dolores, adeoque præmia, aut pœnæ. Itaque illud quæritur, ſint ne ulla hujuſmodi motiva, quibus obligamur ad naturam noſtram hac, aut illa ratione, hactenus, & non ultra, ſectandam? Sed in duplici claſſe poſita eſſe poſſunt ea motiva: nam aut a natura ipſa ſunt, aut a libera voluntate ſupremi totius naturæ Principis. *Illa inſitam* & *naturalem* obligationem conſtituunt: hæc *externam*, & ut vocant, *poſitivam*. In utramque nunc inquirendum eſt.

§. IX. Obligationis nomine, quemadmodum dictum eſt, ea motiva intelliguntur, quæ flectere voluntatem queant ad agendum, aut omittendum. Ea autem eſt humana natura, ut dolore, & voluptate impellatur, aut cohibeatur; obligatio ergo dolore & voluptate continetur. Naſcitur in nobis voluptas ex conſcientia no-

(a) §. 281. (b) §. 282. (c) §. 300.

nostrarum perfectionum, dolor ex conscientia inperfectionum; non solum ergo præsens nostri perfectio, aut imperfectio, verum etiam spes futuræ perfectionis, aut imperfectionis futuræ metus, motiva sunt ad naturam nostram permovendam apta. Quare eæ genericæ propositiones, secundum quas, ubi naturæ convenienter vivimus, perfectionem nostram efficimus; quibus dum adversamur, nos efficimus imperfectiores; erunt non solum regulæ & normæ vitæ humanæ, verum etiam leges obligatoriæ: ac si & ex ipsa nostri natura intelligantur, & secum ipsæ naturaliter eam adnexam habeant obligationem, erunt naturæ ipsius leges & intrinsecus obligantes.

§. X. Observamus perpetuo plurima ex liberis nostris actionibus, aut omissionibus consequi naturæ nostræ adversa, aut consentanea, quæ in ipsis actionibus aut omissionibus nostris sui habent rationem sufficientem, causamque. Quum autem quæ naturæ nostræ sunt consentanea, ea nos perficiant; quæ adversa, aut deteriores faciant, aut destruant; & quæ nos perficiunt *bona*, quæ aut deteriores faciunt, aut destruunt, sint *mala*; conficitur, plurima bona, aut mala ex liberis nostris actionibus nobis obvenire posse. Obligat vero nos natura ipsa nostra urgetque intrinsecus, ad mala vitanda, sectanda bona; quia illa imperfectiores nos efficientia dolorem ingenerant; hæc perfectiores, creant voluptatem; ergo eadem natura nos intrinsecus quoque obligat ad eas actiones edendas, ex quibus bona nobis obtingunt; vitandas vero eas, ex quibus mala enascuntur.

§. XI. Hinc autem fit, ut libertas humana non ita sibi relicta sit, ut possint ei licere omnia, ad quæ pertingere potest: sed opus esse, ut intra quosdam terminos ejus coerceatur licentia, idest naturali obligatione teneatur, naturæ obligatione regatur. Quare si quæ sit generalis regula, qua intelligere possimus, ad quæ nos natura obligat, seu quæ sunt nostri bona, quæ mala; ea lex naturæ generica erit. Nam ea & docebit quæ agenda, aut omittenda: & ad ea agenda aut omittenda naturali sanctione doloris & voluptatis im-

impellet, ideſt obligabit. Eam porro regulam & eſſe aliquam, & intellectu facilem, hunc in modum pergit oſtendere.

§. XII. Quoniam demonſtratum eſt, naturam inſita & naturali ſanctione nos obligare ad ea efficienda, quæ nos perficiunt, vitanda vero, quæ nos imperfectiores reddunt; efficitur inde hæc generalis regula: *Quæ te ſtatumque tuum perfectiorem efficiunt, facito: ea autem, quæ te ſtatumque tuum reddunt imperfectiorem, caveto* (a). Eſt hæc naturalis regula, quia e natura ipſa noſtra & naturaliter depromitur. Cum naturali ſanctione conjuncta eſt; quia qui ea efficit, quæ ſe ſtatumque ſuum faciunt imperfectiorem, ſtatim dolore, & miſeria punitur: contra voluptate is & affluentiſſime donatur, qui ea & curat & efficit, quæ ſe ſtatumque ſuum perfectiorem efficiunt. Quare eſt generica naturæ lex, quæ præcipit ea, quæ agenda ſunt, vetatque contraria.

§. XIII. Neque vero conquiſitis argumentis indigemus, ut eam regulam intelligamus; eſt ea omnibus inſita: natura agitamur, ut ea perſequamur, quæ voluptatem & felicitatem, averſemur vero, quæ dolorem & miſeriam adducunt. Quamobrem videri poteſt ſupervacaneus totus ille rerum apparatus, quo Wolfius, atque hinc Koehlerus eam rem demonſtratum eunt. Illud potius diligentiorem operam poſtulat, ut ſciatur, quæ ſunt ea, quæ nos perficiunt, quæ natura ipſa ſunt ſectanda; quæ vero quæ imperfectiores faciunt. Hæc niſi in claſſes quaſdam item genericas conferamus, erit ſuperior illa lex inutilis: eſt enim generalior, quam ut ab omnibus hominibus peculiaribus actionibus facile aptari poſſit. Quin, quod perverſe intelligi poſſit, totam vitam perturbare poteſt, ac reapſe perturbat, in iis, qui ex ſua libidine vivere ſibi decreverunt. Quocirca videamus quemadmodum id iſti efficiunt.

§. XIV. Quoniam duplici, ut dictum eſt, homo natura conſtat, corporis & animi: item animali & ra-

(a) §. 340.

rationali; danda eſt opera ut utraque & conſervetur, & perficiatur, ſi ſanctioni illi naturali parere velimus. Quoniam autem quæ naturam noſtram conſervant & perficiunt, procreant voluptatem, lætitiam, animi tranquillitatem, ſanitatem, & felicitatem denique, eam videlicet, quæ quamdiu hic ſumus haberi a nobis poteſt; quæ vero aut deteriorem efficiunt, aut deſtruunt, dolorem, ægritudinem, perturbationes, morbos, miſeriam poſtremo; erunt hæc totidem teſſeræ agendorum, aut omittendorum ex naturali ſanctione. Itaque inde intelligere poſſumus, agenda eſſe aut omittenda ex naturæ imperio, quæ acta, aut omiſſa, voluptatem, lætitiam, animi tranquillitatem, ſanitatem important: neque enim tantum natura cum iis præmium copulat, niſi ut nos ad agendum, aut omittendum impellat. Cui quoniam parendum eſt, niſi ſtulte cum ea pugnare velimus; erunt prima argumenta & manifeſta agendorum aut omittendorum. Præterea ne fruſtra quidem dolorem, ægritudinem, perturbationem, morbos, cum aliis actionibus aut omiſſionibus connexuit: voluit ergo inde nos ad agendum aut omittendum permovere. Erunt hæc ergo altera item manifeſta argumenta omiſſionum aut actionum, dolor, ægritudo, perturbatio, morbi. Quocirca eſt hæc velut vox quædam naturæ cuique intima: voluptate ea & dolore loquitur, quibus quæ imperat, aut vetat, clare illa quidem & ex æquo omnibus manifeſtat.

§. XV. Itane vero, dicet aliquis, porcorum lege vivemus? eſt enim ea ſola & tota animantium brutorum regula: ultra illam nec ſciunt quidquam, nec agunt. Non recte, inquiunt. Non alia animantia bruta uti regula, nec cis aut ultra illam efficere quidquam, eſt in perſpicuis: ſed naturæ magis impetu, quam ulla ratione ad eam ſectandam impelluntur. Nos ut bruta legem illam natura ipſa perſentimus: impetu, ut illa, animali in illam rapimur. Quid enim juvat naturam diſſimulare? Sed ratione, & libertate moderari poſſumus, & debemus, qua re illa carent. Quamobrem tum demum ea lex a mechanicis ad rationales revocabitur, ſi ex ratione, non ex bru-

to tantum impetu, sectabimur. Quæris, qua in re hic circa eam rationis usus positus sit? Nempe in hoc, ut non ex præsenti tantum voluptate, aut dolore de naturæ voluntate judicemus, sed ex summa totius vitæ dolorum, aut voluptatum, atque ex ejus summæ cum felicitate aut miseria connexione: nam vitæ humanæ felicitas ex summa totius vitæ voluptatum æstimanda est; ut miseria ex summa dolorum totius vitæ. Itaque usum superioris legis sequentes regulæ efficient rectum.

§. XVI. *Prima*. Minus bonum est verum malum majori bono comparatum. Quum autem natura nos obligat ad bona sectanda, fugienda vero mala; fit ut ex eodem naturæ imperio fugienda sint ea bona, quæ nos majoribus privant; ac propterea aversandæ eæ voluptates, quæ majores impediunt: sunt enim minores voluptates, quibus majores impediuntur, veri mali tessera.

§. XVII. *Altera*. Minora mala, si conferantur cum majoribus, sunt vera bona. Quare minores dolores collati majoribus sunt boni argumentum. Obligat vero nos natura ad bona consectanda; ergo in comparatione minoris cum majori malo, minus eligendum imperat, quo majus evitemus.

§. XVIII. *Tertia*. Quæ præsentia bona impediunt, quominus summa omnium bonorum, in quo felicitas posita est, major sit & intensior, ea sunt vera mala, ac proinde ex naturæ jussu fugienda. Quæ vero mala præsentia efficiunt, ut minor futura sit tota malorum summa, qua continetur miseria, sunt vera bona, eaque ex naturæ imperio amplectenda.

§. XIX. *Quarta*. Malum totius est verum semper malum: malum vero partis, si ad totum conservandum aut perficiendum pertineat, verum est bonum. Ergo ex eodem naturæ imperio, malum totius perpetuo cavendum: malum vero partis, si toti conservando aut perficiendo necessarium sit, complectendum.

§. XX. Si cum hujusmodi regulis lex illa generica adhibeatur, erit illa præclara totius humanæ vitæ, omnium-

omniumque hominum officiorum norma. Nam inde non solum quæ natura nobis debemus, sentiemus: sed intelligemus quoque facillime, quæ Deo, aut aliis naturalia debeamus officia. Scilicet & nos statumque nostrum conservare debere a natura discimus; & quæ nos conservare, aut destruere, perficere, aut facere deteriores, voluptas & dolor ostendunt: tum quæ voluptates vere conservent aut perficiant, qui vere destruant, aut imperfectiores reddant dolores, superiores quatuor regulæ docent (§. 16. 17. 18. 19.). Ex quibus quum id quoque intelligatur, ad summam voluptatum nostrarum, idest felicitatem, necessariam esse pietatem & religionem in Deum, justitiam & amicitiam in ceteros homines; ex eadem illa generica lege derivari possunt officia omnia erga Deum, & proximum. Sed explicemus posteriora hæc duo paullo distinctius.

§. XXI. Ens necessarium exsistentiæ & essentiæ est illud, quod ita est, ut pugnet non esse, & talem habet naturam, ut pugnet aliam habere. Quæcumque autem sunt in natura rerum sensibus aut rationi nostræ subjecta talis esse naturæ reperimus, ut nec pugnet aliam habere posse, nec non esse. Quare fit, ut nec necessario sint id, quod sunt, nec necessario exsistant. In primis autem ejus naturæ est homo quod ad utramque sui partem. Contingentia ergo hæc sunt omnia, ac cum iis homines quod ad utramque sui partem. Contingentia vero sine ente necessario nec esse, nec concipi possunt; alioquin sine ulla exsistentiæ & naturæ suæ ratione sufficiente essent, aut conciperentur. Exsistit ergo ens necessarium exsistentiæ & essentiæ, a quo rerum hæc natura est. Deum hunc vocamus.

§. XXII. Quum a Deo simus, ab eo quoque conservamur; qui enim necessitate naturæ nostræ non sumus, ne eadem quidem conservari possumus. Ergo dubitare non possumus, quin is velit nostri conservationem & perfectionem. Est autem is supremus nostri Dominus; ergo supremus nostri Dominus, quique possit & severe punire, & præmia magna largiri, nostri perfectionem

nem & conservationem imperat. Non potest ergo non esse & cum hac etiam voluptate conjunctum studium nos conservandi & perficiendi, quod id Deo supremo nostri Domino gratum sit; & cum dolore, nos deteriores efficere, quum id supremi Domini voluntati adversetur. Nascitur autem hinc nova obligatio ad nos conservandos. Nam quoniam obligatio voluptate, aut dolore continetur; & cum nova hac voluptate, quod Deo gratum sit, studium nos conservandi & perficiendi conjunctum sit; destructio vero aut imperfectio cum eo quoque dolore, quod Dei voluntati repugnemus; & hæc altera exoritur obligatio nos conservandi, & perficiendi.

§. XXIII. Ex superiori propositione intelligitur, leges naturales, quibus humana regitur natura, a Dei quoque voluntate vim suam & obligationem habere: nam Dei voluntate ita constructa hominis est natura: & eadem voluntate lex omnium illa fundamentalis, qua nos statumque nostrum conservare & perficere nobis imperatur, sancta est. Ergo ad eas constantissime colendas duplici obligatione impellimur, naturali atque cuique insita, & externa seu positiva. Ac licet illa insita sit, & individua sectetur omnes actiones, aut omissiones nostras; minor tamen habenda est, quam externa altera divina: quia par est credere, leges illas colentibus majora esse a Deo præmia servata, quam quæ ipsa præstat natura; violantibus vero sancitas pœnas longe acriores, quam ulli naturales dolores. Quumque Deus nequeat esse nisi immutabilis, idem semper volens, idem nolens; sunt præmia illa & pœnæ certa & immutabilia.

§. XXIV. Jam quum rerum hanc universitatem ad perfectionum suarum, & *gloriæ suæ manifestationem* fecisse Deus videatur (a); eodem quoque pertinere debent leges naturæ, quum mechanicæ, tum morales. Erit ergo harum constantia cum universi fine, idest Dei gloria, conjuncta; perturbatio & violatio ei adversa: ac vicissim cultus Dei cum universi legibus consen-

(a) *Wolf. in Theol. natural.* §. 815. *& seqq.*

ſentaneus : contemtus illis repugnans . Nec vero quod totius univerſi fini eſt adverſum , conſentaneum eſſe poteſt naturæ noſtræ , qui ſumus univerſi pars ; aut quod eſt conſentaneum , eſſe nobis adverſum . Ergo cultus Dei inter primarias naturæ noſtræ leges cenſendus eſt . Nam quoniam is fini totius rerum univerſitatis conſentiens eſt , eſt & naturæ noſtræ, quæ univerſi pars eſt , conſentaneus: ad ea vero , quæ naturæ noſtræ conſentanea ſunt, naturæ lege obligamur : fit itaque , ut & quia cum ſumma voluptatum noſtrarum conſentit , & quia conſentit cum voluntate Dei , inſita , & externa obligatione ad Dei cultum obligemur . Quare eadem illa regula naturæ generica fons eſt officiorum etiam eorum , quæ Deo debemus .

§. XXV. Nec vero difficile eſt inde quoque officia adverſus alios homines derivare . Nam quoniam ad nos ſtatumque noſtrum conſervandum & perficiendum obligamur ; nec in nobis habemus ea omnia , quæ ad id ſunt neceſſaria ; eorumque partem magnam conferre in nos alii homines poſſunt ; nec tandem ea bonorum communio ſine reciproca amicitia haberi poteſt ; fit ut amicitia cum aliis hominibus ſit ad nos ſtatumque noſtrum conſervandum neceſſaria , ac propterea ut ad eam ita obligemur , ut ad noſtri cuſtodiam , & culturam .

§. XXVI. Atque hæc fere ſunt, quæ Wolfius & Koehlerus ſuper naturæ humanæ legibus docuere , nimis quidem illa abſtruſa & intricata , extraque hominum conſuetudinem ; ſed vera tamen & perpulchra . Non autem oportet hoc in loco regulas illas , etſi nimis ſint procul dubio genericæ , & a communi hominum uſu remotæ , latius diducere , quod illi , & nimis quidem prolixe , efficiunt : nam & eorum libri in manibus ſunt omnium , & non admodum difficile eſt Philoſophis noſtris , qui in ſuperioribus inſtituti ſunt , obvenientibus ſpeciebus aptare . Interim qui penitus totam hanc rem cognoſcere vult, non ſine magna utilitate (a) Wolfianum opus *Juris naturæ methodo ſcientifica*

(a) *Nec ſine minori tædio . Tanta ne molis erat homines ſua offi-*

fica pertractatum, recusum Lipsiæ anno 1745. leget. Nisi enim toto cælo aberro, nemo ante Wolfium Leges & Jura hominum naturalia copiosius & e suis fontibus penitius haustas docuit. Habet, non pugno, operis prolixitas quod disterreat hujus ævi homines delicatulos, minimæque lectionis & contemplationis: sed labor multa utilitate non compensatur modo, sed longe vincitur. Interim lectorem amat Philosophum, nec Philosophum tantum, sed methodo geometricæ suetum. Quanquam non hic solum Wolfius, sed Doctores omnes hujus disciplinæ sapere nequeunt, nisi Philosopho, eique Geometræ, ideſt qui sciat primas quasdam naturæ veritates peracuto oculo intueri, eas corripere firmo brachio, atque in res humanas geometrico filo diducere: in quo plerique, viri sæpe magnæ lectionis & eruditionis, peccant, in primis Grotius, qui jus hoc auctoritate magis, quam ratione constabilire studet. Nec ego negaverim, sensum nationum aut omnium, aut plurimarum magnum sæpe esse hujus juris interpretem: sed quanquam illud interpretari possit, constituere tamen nequit: quod vidit Pufendorffius, qui idcirco curiosius, quam Grotius, in naturam humanam inquisivit: sed defuit illi ars, qua scientiarum systemata conduntur: itaque sæpius auctoritate utitur, quam demonstratione. Auctoritas autem, si ratio desit, eos in sententiam adducere potest, qui quid sit verum ignorant, aut qui jus præpostere ex facto petunt.

§. XXVII. Illud hic quærere subit animum, quid sit, quod hoc sæculo, quo post tot virorum magnorum labores, nullum exstitit literis & Philosophia illustrius, præsertim quod ad eam Philosophiæ partem attinet, quæ mores spectat, nulli ferme hujus juris, minus esse videntur reverentes, minusque rigidi custodes, quam Europæi? Cogunt hæc tempora hanc quæstionem Philosophos agitare. Qua in re quid ego respondebo, nisi quod

officia docere? Nescio ego quo fato factum sit, ut ex quo disciplinarum moralium volumina in immensum excrevere, totus virtutum chorus, quasi scilicet giganteos cothurnos veritæ, e tellure in Cælum remearint.

quod est omnibus in promtu, nos eo morum venisse, ut plus multo curemus subtiles esse disputatores, quam juris ac honestatis observantes? In ingenio excolendo omnem operam ponimus: ut simus viri boni haud in magna ducimus æstimatione. Quin eo luxuries, ac sæculi depravatio evasit, ut vitia ipsa virtutum nominibus cohonestaverimus. Nam divinarum rerum negligentia animi *fortitudo* vocatur: jurisjurandi cavillatio *prudentia* ac *sollertia*: fœdifragi, nulliusque fidei homines, *sapientes* quoque audiunt: aliorum bonorum astuti raptores *artis* nomine obteguntur: invasores alieni thori nuptialis *juvenes sociales*. Ita singulis vitiis non honesta tantum nomina dedimus, sed præmia quoque. Quid igitur nobis volumus tot juris naturæ, ac morum voluminibus? Nempe imperitis ac simplicibus hominibus imponere, aut alii alios astute decipere? Latum malum, cuique non Philosophia, sed lex civilis, & educatio mederi potest. Nam nisi honestatis præcepta cum lacte sugamus nutricis, severaque legis civilis disciplina servare assuescamus, Philosophi, ne ipsi quidem sæpe ita, ut prædicant, honestatis cultores, contemtui sunt. Sed ea est hujus sæculi depravatio, ut educatio, ac legum interpretatio magis hominum ingenia ac externam vitæ pompam, luxumque spectent, quam mores.

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere & pati,
Virtutisque viam deserit arduæ (a).

CAPUT XV.

Veterum sententia, jus suum cuique tribuendum, *e novis fontibus expromta*, *novoque habitu exornata*.

§.I. HEnricus & Samuel de Coccei in iis sunt procul dubio adnumerandi, qui omnium penitissime in hujus, quæ cum natura ipsa commixta est, legis

(a) *Horat. lib. III. od.* 24. *v.* 42.

legis penetralia invadere ſtuduerunt, primumque ejus fontem indagare (a). Non ego hic ſingula tantorum virorum dogmata exponam, excutiamque, quod longe eſt ab eo inſtituto, quod ſuſcepi: ſed quod caput eſt, ac iſtiuſcemodi diſputationis quaſi fundamentum, *jus cuique ſuum tribuendum eſse*, expediam, e penitiori fonte expromam, novoque, ut ego quidem opinor, adornabo habitu. Ac quanquam in eo explicando commoſtrandoque jamdudum adlaboraverim, atque minus ex eorum libris, quam ex naturæ Codice, ratione videlicet hominum communi, atque univerſi lege, eruiſſe mihi videar; cum plures tamen egregii, magnique viri mihi elucubrationibus ſuis præiverint, illis malim adſcribere, quam mihi. Sed intelliget profecto Lector, ſi utraque noverit, quam ſæpe immenſe diſtemus. Illud ego cum in omni reliqua Philoſophia, tum in hac præſertim quæram diligenter, non quid quiſque dixerit, ſed utrum ex veritatis regula, quæ in hiſce quæſtionibus non opinio eſt atque imaginatio (quæ neſcio an eſſe debeat in ullis) ſed rerum natura, atque æterna mundi lex. A qua qui abſcedunt, dum de jure & officiis diſceptant, non jura ſtatuunt, ſed corrumpunt, ac officia omnia pervertunt. Itaque odi ego jamdudum, nec ſine ratione, iſtiuſmodi librorum helluones, non rerum, ſed phantaſiarum doctores. Adeon' naturæ liber vileſcit? Sed eo fit, puto, quia tametſi ob oculos eſt omnium, pauciſſimi tamen legere didicerunt; factumque eſt adeo prave ac miſere, ut ab illo quotidie magis magiſque deſciſcentes totam morum diſciplinam humanis commentis fœdaverimus ac perverterimus.

§. II. Primum officiorum noſtrorum fundamentum, idque certum atque divinum, eſſe hoc, SUUM CUIQUE JUS INTEGRUM ESTO, magna vel barbari conſenſione docuerunt, non Græci modo Latinique; docentque ho-

(a) *Vide quæ in Grotium ſcripſere. Parvæ Henrici theſes, quæ velut ſtamina ſunt totius hujuſcemodi doctrinæ, extant in Biblioth. Germanica tom.* I. *Samuelis vero ſyſtema totum exhibet ejus ad Grotium* diſſertatio proluſoria XII.

die; nec jam tanquam acceptum traditumque, ſed velut a natura hauſtum. In eo tota & Romana verſatur Juriſprudentia, & noſtra. Hinc illa fuit ſolemnis & communis apud Græcos vox, *ὡς δίκη*, *ut jus* (*a*): hinc præcipuum juriſprudentiæ Romanæ præceptum, *ſuum cuique jus tribue*. Sed illa parum accurate tum veteres, cum recentes Philoſophos explicuiſſe & demonſtraſſe certus ſum, quid hoc ſit jus, quod incolume ſervandum natura præcipit: quæ nobiſcum jura naſcantur: quæ ex primævis deriventur: transferri in alios ab aliis poſſint, & quæ: quæ ſervandorum lex atque ſanctio. Hæc e natura ipſa expromere juvabit, pauciſque theorematibus comprehendere.

§. III. Principio jus hic dico, quod ita in cujuſque proprietate ex mundi lege eſt, ut pugnet eſſe in alterius; cujuſque & conſcii ſumus, & liberi, niſi natura, vel pactum vetet, moderatores: quodque nobis lege mundi vindicatur. Itaque jus primum ab eo, quod *commune* eſt, ſecerno; tum a *lege*: nam quæ communia ſunt, non jura ſunt, etſi ſub juribus: & lex jurium regula eſt & cuſtos & vindex, adeoque communis, non propria. Qua ex re intelligitur, totam hanc juris naturæ tractationem ab ea quæſtione ſuſcipi oportere, eſt, necne, ex mundi lege, aliquid in noſtra proprietate, cum naſcimur? Si ex lege & ordine mundi nihil eſt in

(a) *Jus δίκην, & θέμιδα dicunt Græci. Utraque vox pro more & conſuetudine uſurpatur ſæpe ab Homero & Heſiodo, aliiſque veteribus. Δίκη eſt a δίκω* dico, jacio, projicio*: nam veteres mores velut primæ juſtæ humanitatis leges fuere, dictiſque atque traditione majorum ſervabantur. Θέμις a θέω, & τίθημι* pono, *eodem cum ſenſu. Veteres igitur mortales nulla alia prima jura agnovere, quam mores. Hæc* jura naturæ *dixere poſteriores. His acceſſere præcepta gentium & civitatum. Itaque ex his tribus collectum jus privatum ſcribit Vulpianus l. 1. ff. de juſt. & jur.*

At illud jus, quod dixere naturæ, a cujuſque proprietatibus primam traxit originem. Henricus de Coccei jus naturæ vocat quod natura cuique licet: *idem, ait, eſt, atque* licitum. *Illicitum, ἄδικον, quod alter jure prohibere poteſt. Illud definiendum erat,* quæ ſint natura licita. *Hoc intelligi nequit ex ſolis regulis Coccejanis. Eæ igitur latius ſunt expediendæ, ac e cujuſque proprietate hauriendæ.*

in cujusque proprietate, nullum est naturæ jus: si est, quod proprium cujusque est, cum in lucem emittitur, id cujusque jus est; nec illud modo, sed quæcumque ex eo legitime sequuntur. Sed illud velim animadvertatur, non esse jus cum juris usu permiscendum: potest enim esse jus meum, atque in mea proprietate, illud etiam, quo aut uti nolo, aut nondum scio vel possum. Cum dormimus, nec oculis utimur nec manibus; nec tamen minus sunt illa in nostra potestate ac proprietate. Cujus rei ratio est, quod jus ad naturam pertinet & substantiam hominis, usus in arbitrio positus est.

§. IV. Quid autem proprietatem dicemus? Id putaverim, quod ita cujusque est, ut pugnet esse alterius: nam proprietas, modo proprietas est, nequit duorum esse. Quæ ex naturæ formulis definio, non Jurisconsultorum: nam cum Philosophis discepto, & in naturæ Tribunali, non cum Jurisconsultis, neque in foro. Itaque illud agamus. Proprietas singularis est, non communis. Ita trianguli proprietates sunt eæ, quæ ita sunt trianguli propriæ, ut pugnet esse aliarum figurarum, circuli, puta, quadrati, cubi &c. Si igitur est aliquid ita proprium cujusque hominis, ut pugnet esse alterius, id ad ejus proprietatem pertinet. Quid, dicet aliquis, nonne est quod est totius hominum generis proprium? Est hercle vero: sed id eo fit, quia tum totum hominum genus velut pro re individua concipitur. Ita cum dicitur propria est hominum ratio, nec belluis communis, velut duo individua habentur homo ac bellua; quæ quoniam diversa sunt, habent aliquid proprii, quo secernuntur.

§. V. Has nunc proprietates pervestigemus. Homo ita est homo, ut nec bellua sit, nec planta, nec quævis alia res; est igitur aliquid quod ita est hominis proprium, ut pugnet esse aliarum rerum. Nisi enim sit, una res sunt, quod & hypothesim pervertit, & naturam. Hæc *generis proprietas* dicetur, atque ejus proprietatis causa homo velut una res a ceteris distincta ac diversa concipietur. Hæc ergo generis proprietas hominem constituit: quare cuicumque competit, is est

 homo:

homo: a quacumque re abeſt, ea extra hominum genus vagatur.

§. VI. Sed tametſi quacumque patet tellus naſcantur homines, puta, Socrates, Cajus &c., nullibi tamen homo, genus, naſcitur: nam genera ratio efficit: natura non procreat niſi individua. Ergo tam eſt homo individuum ab homine individuo ſejunctus, ut homo genus ab omni rerum aliarum genere: nihil eſt in natura univerſale. Ergo ita hic homo, Plato, puta, eſt Plato, ut pugnet eſſe Xenophontem. Quod qua alia re effici dicemus, niſi proprietate individua? Eſt igitur aliquid individuæ proprietatis in omnibus hominibus cum in lucem eduntur. Naſcantur duo homines A, B, niſi eſt aliquid ita proprium hominis A, ut non ſit hominis B, & aliquid ita proprium hominis B, ut non ſit hominis A; erit A idem atque B, B idem atque A; quod pugnat eſſe.

§. VII. Dum igitur in lucem edor & homo ſum & hic homo: itidem tu: itidem quiſquis quacumque patet tellus enaſcitur. Quilibet ergo homo eſt homo *proprietate* hominis: hic vero aut ille homo proprietate individui. Sed cum non dentur in rebus genera, quæ non ſunt niſi *εννοιαι*, *notiones*; fit ut in qualibet re generis & individui proprietates unum ſint idemque. Quapropter omnis homo in ſui proprietate habet totam ſuam *ουσιαν*, *ſubſtantiam*, *φυσιν*, *naturam*, omneſque naturæ partes, vires, dotes, facultates, ipſoſque naturales modos. Ac vero pugnans fuerit dicere aliquid eſſe in me naturaliter, quod ad mei proprietatem non pertineat.

§. VIII. Quæri hic poteſt, utrum quod in mei proprietate eſt, ita meum naturaliter ſit, ut pugnet eſſe alterius? Quo in loco ſecernere oportet proprietatem ab uſu & moderatione proprietatis. Proprietas tam mea eſt, quam ego mei, atque quam ego ego. Cum autem pugnans ſit me non eſſe me; ſequitur pugnans eſſe, mea non eſſe mea. Ita fit, ut quod in mei proprietate eſt, pugnet eſſe alterius. Sed cum ſæpe præ animi corporiſve imbecillitate noſtris proprietatibus uti vel neſciamus, vel nequeamus; nihil vetat cujuſque

pro-

proprietates esse posse sub alterius ditione ac moderatione: nam non proprietas, sed moderatio alterius est. Ita liberi proprietate sui sunt: moderatione parentum. Cives sui proprietate: regimine imperantis.

§. IX. Constitutis cujusque ingenitis ac naturalibus proprietatibus, perquirendum est, utrum esse possint aliæ, quæ illis tempore accedant. Qua in re loco axiomatis assumo, *quidquid ex primævis alicujus rei proprietatibus erumpit, tam evadere proprium ejus rei, quam quod naturaliter insitum est*. Insitum est triangulo ut tres ejus anguli duobus rectis sint æquales; ergo producto uno latere insitum quoque propriumque erit, ut angulus externus sit æqualis summæ interiorum oppositorum. Proprium est plantæ id esse quod est; ergo frondes, flores, fructus, semina, quæ naturaliter ex planta erumpunt, tam sunt plantæ propria, quam est ejus essentia & natura. Eodem modo quidquid ex primævis hominis proprietatibus naturaliter effluit in accedentibus est ejus proprietatibus, tamque natura suum, quam sunt illæ primæ & insitæ.

§. X. Sed homines sunt ejusmodi res, quæ efficere aliquid in sese mutuo possint, alterque alteri aliquid concedere quatenus e natura separari potest. Itaque & instruere alius alium potest, melioremque efficere: & de suo aliquid ei attribuere in proprietatem: & submittere se alteri ob suam incolumitatem aut utilitatem, juriumque suorum moderationem in eum transferre. Quæ si non vi nec dolo ac circumventione, sed libera fiunt voluntate, ac prudenter scienterque; nihil caussæ esse potest cur ejus hæc omnia non fiant propria, in quem transferuntur. Nam nisi fiant propria, est, aut quia non ceduntur, aut quia cedi nequeunt: utrumque autem est pugnans.

§. XI. Proprietates ergo hominis aut ingenitæ sunt; aut ab ingenitis enatæ; aut ab aliis sponte translatæ. Si superiora vera sunt & manifesta, omnes ita ejus sunt propriæ, ut pugnet esse alterius. Illud nunc pervestigandum est, utrum hujuscemodi proprietates jura quoque sint. Jus superius (§. 3.) appellavimus, *quod ita in cujusque proprietate ex mundi lege est, ut pugnet es-*

se alterius ; cujusque & conscii sumus , & liberi , nisi natura vel pactum vetet , moderatores . Hanc nunc definitionem paucis explicatiorem faciamus. I. Jus est *quod ad cujusque proprietatem pertinet ;* quia sine ulla proprietate ne ullum quidem concipi potest jus . II. *Ex lege mundi* , quæ est proprietatum rerum omnium ordinatrix in communem harmoniam; sed primum distributrix, quam ordinatrix: non enim ordinantur, nisi distincta, ac secreta. Præclare Græci νομον , *legem*, vocant, *distributionem*, aut *distribuentem potentiam* απο τȣ νεμειν , *suum scilicet cuique tribuendo* . Hinc Aristoteli dicitur λογ☉ ωρισμεν☉ , *ratio finiens:* propria enim cuique tribuit definitque. Sine hujusmodi lege mundi nihil esse potest, nisi chaos: in chao autem nihil cuique proprium . III. *Cujus lex mundi regula est, custos, vindex:* vetat scilicet , quod proprium est alterius, velut suum usurpare , minuere , impedire , nisi *ex jure* , respectu cujus jus illud , quod alter prætendit, proprium non est, nec jus. Nisi enim vetet, jus commune est, nec propterea jus; quia non proprium . IV. *Cujusque & conscii sumus*. Nam jus tametsi in physica proprietate fundetur, tamen proprietas est moralis ; quæ sine conscientia concipi nequit. Hinc plantæ ac belluæ & suas habent physicas proprietates, & tamen jure carere apud omnes, præterquam Pythagoricos (*a*), in probatis est. V. *Liberi, nisi natura vel pactum vetet, moderatores*. Quod quæ propria sunt , in cujusque sunt usu. Excipe nisi natura vetet , vel pactum . Ac illa semper vetat, cum uti nescimus, vel nequimus. Hinc naturale est *jus patriæ potestatis*. Pacto partem jurium transferre possumus, & in his, jurium supremam moderationem . Ita *jus heri*, aut *domini* pacto constituitur.

§. XII. Expedita jam juris natura , ac suis cuique proprietatibus adsertis , superest ut demonstremus , an ullum

(a) *Cum veteres Græci Pythagoræi commercium animarum inter homines & belluas esse crediderint ; velut a cognatis rebus earum esum abstinuere. Ad plantas hoc ipsum pertinere putant Indi Bramines, lædereque verentur : nec vescuntur, nisi quia volupe illis esse arbitrantur e tam duris carceribus exsolvi. Vide* Rogers Indiæ descriptionem .

ullum ſit cuique jus. Principio lege mundi cuique ſuæ proprietates attribuuntur, privatique uſus gratia. Super mundi ordine atque lege diſceptare nolo: hæc enim qui ignorat, ſenſibus & ratione deſtituitur. Illa poteſt aliqua eſſe quæſtio, a natura ne materiæ hujuſcemodi ſit mundi ordo atque lex coſmologica, an a præpotente aliqua mente, cujus numen toti mundo præſit? Quæ binis verbis finiri poteſt. *Generalia*, *atque univerſalia a parte rerum*, ut vocant, ad eam philoſophiam pertinere jubeamus, quæ tota erat chimæris paſta. Nihil eſt in rerum natura niſi ſingulare & individuum: nam hæc quæ rerum natura dicitur, & mundus, & univerſum, nihil eſt aliud, niſi ſingularium, individuarumque ſubſtantiarum *συςασις*, *compago ordinata*. Enimvero corporum quædam ſunt ſecta in partes infinite parvas, ut ignis, lux: quædam vel oris flatu diviſibilia, ut aër, aqua, fluida reliqua: cetera inſtrumentis partimur, atque ita, ut hucuſque nulla repererimus individua corpora minimeque partibilia. Materia ergo corporum non una eſt & individua, ſed infinitæ atomi, quarum quælibet unum ipſa per ſe eſt & ſimplex. Nulla, quod ſciamus, ratione, nullo ſenſu, nulla libertate præditæ. At ſunt quibus placet ſenſu eſſe inſtructas. Sint: nam agere liberaliter decretum eſt. Ea longe certe inferior eſſe debet, quam non jam dicam hominum, ſed brutorum animantium atque inſectorum. Proſpicere ergo extra ſe, remotoſque fines providere, media eo ducentia dignoſcere, deligere, ordinare, aptareque finibus, non magis queunt, quam oſtracæ, vermiculi, dactyli, atque ejuſcemodi alia inſecta. Tum conſtantes in tanta eſſe ſapientia, ut nihil ullo tempore mutent, non magis poſſunt, quam quævis alia natura perpetuæ mutationi obnoxia. Itaque dicere non ſolum ipſas ſeſe movere perpetuo, ſed quacumque patet tellus concordiſſime congruere & in tam longa ſpatia rerum temporumque cogitationem & conſilia jacere, non minus mihi ſtultum ac perridiculum videtur, quam ſi quis dicat Capitolium, Pantheon, Trajani Obeliſcum, Ægyptias Pyramides, aut magnas & magnificas Europæ atque Aſiæ urbes, una conſpirantibus

consultantibusque culicibus, muscis, pediculis, vermiculis exstructa fuisse. Quin tanto stultius, quanto singulæ hujuscemodi insectorum atomi stupidiores sint necesse est, quam totum animal.

§. XIII. Cum igitur natura ipsa exstitisse mundum istiuscemodi ajunt Philosophi, vitent tamen oportet expedire ac definire, quid hoc sit NATURA. Nam si definiunt, nec atomos esse posse, nec ullas atomorum vires planum facient, hærentque in syrtibus. Est, ajunt, vis quædam communis. Individua primum quæro, an dividua? Si dividua, recidunt eodem. At si individua, jam non corpus: nihil enim quod corpus sit, tamque late patens, quam mundus, individuum esse potest. Deinde, ratione prædita an stupida & bruta? Hæc arte caret: caret vi rationalia progignendi. Rationalis ergo. Tum quantæ potentiæ, quæ tantas res nullis corporeis machinis fabricaverit? Certe Omnipotens. A causa igitur incorporea, intelligente, præpotente est mundus. Quid igitur stulti Deum tergiversantur? Est ergo a Deo mundus, mundique ordo & lex. Ejus exsistit voluntate, nutu, imperio; quo enim alio modo exsisteret? Ergo ejus sapientia: neque enim in illo aliud esse potest voluntas, aliud sapientia. At immutabilis est ejus sapientia. Ergo & voluntas, qua hic est mundus, atque hæc mundi lex, immutabilis ergo naturæ lex.

§. XIV. Quoniam ergo lege mundi suæ cuique proprietates attribuuntur, atque adseruntur; lege æterna attribuuntur, adseruntur que. Sed eo adseruntur modo, quo cuique competunt, atque ob eos fines, propter quos naturaliter tribuuntur. At quos ob alios fines natura tribuuntur, nisi ut sint, & salvi sint? Finge tribui ut ne sint, aut ut ne salvi sint; jam ne mundi quidem ordinem esse ullum, aut salvum stare, jubet lex æterna; quod pugnans est. Quibus ex rebus fit, ut hominum proprietates ex lege mundi privatæ sint cujusque utilitatis, privatæ salutis ac felicitatis. Corporis ergo ingeniique vires non alia ratione mihi tributas docet natura, nisi ut sim, ac bene beateque sim.

§. XV. Cum igitur privati ac definiti usus sint ex

pro-

proprietates, quas mihi impertitur natura, atque naturæ lex, ideſt Dei; ſequitur, ut eadem lex, quæ mihi attribuit proprias, tibi vetet in uſum tuum, me renitente, uſurpare: vetet inutiles mihi reddere, atque fini, propter quem tribuit, ineptas. Niſi enimvero vetat, non mei præfiniti uſus ſunt; non proprietates, nec ut ſim beneque ſim largitur Deus; quæ contradictio eſt, ac longe a Dei natura remota.

§. XVI. Sed eadem naturæ lex, quæ mihi meas adſerit proprietates, adſerit tibi tuas, ſuas cuique, item ut & ſit quiſque, & bene. Id fieri nequit, niſi ita cuique adſerat ſuas, ut aliæ cum aliis non pugnent. Fac pugnent, nulli ſuæ propriæ ſunt ac tutæ; quod item cum illa lege pugnat. Ita ergo quiſque utatur oportet ſuis, ut ne alienas lædat. Hæc eſt univerſi ſalus, quæ & ſingulorum ſalus eſt, & ex ſingulorum ſalute coaleſcit. Ergo cum illæ proprietates vireſque quibuſcumque ex cauſis incenduntur, atque ſeſe ad aliarum læſionem comparant, retundi ab aliis poſſunt, & ad naturæ æqualitatem adduci; idque ex ea mundi lege, cujus ſumma eſt *ſalus totius*. Quod ex lege mundi fit, id jure fit; jure ergo cohiberi, caſtigarique poſſunt cum petulanter, ac temere proſiliunt, & præfinitum a natura uſum migrant.

§. XVII. Jam vero ſi ob naturæ imbecillitatem ejuſcemodi proprietates nulli mihi uſui eſſe poſſunt: ſi uti neſcio, aut prave ſcio; illa ſalutis univerſi lex, quam diximus, poſcit profecto, ut ii, qui ſciunt poſſuntque, mihi ſuppetias ferant, quoad ſciunt, ac, ſe incolumibus, poſſunt. Niſi enim hoc lex illa ſciſcit; nihil in commune conſulit; lex totius non eſt. Eſt autem totius lex; & ejus ſumma ſalus eſt univerſi; ſciſcit ergo. Itaque ii, qui mihi ſuppetias ferunt; qui meis proprietatibus pro me utuntur; qui ut ſalvus ſim moderantur, legi parent univerſi. Jus ergo patriæ poteſtatis; jus imperii; jus amicitiæ, ex lege univerſi ſunt.

§. XVIII. Competunt hominibus proprietates 1. ingenitæ, 2. inde enatæ, 3. translatæ (§. 5. & ſeqq.): iiſque lege mundi adſeruntur (13.), ideſt lege Dei æter-

terna ac immutabili (ibid.) ; eademque lege privati, ac præfiniti sunt usus (14.) ; nisi quatenus salus nostra poscit (17.) : vetatque eadem lex illas lædere (15.), præterquam si jure fiat (17.) . Sunt autem hæc jura (11.) ; naturaliter ergo omnibus hominibus sua competunt jura . 1. ingenita , 2. ex ingenitis nata , 3. aliorum voluntate translata . Q. E. D.

§. XIX. Jura hominum sunt proprietates physicæ, quæ lege mundi adsertæ facultates morales evadunt (11.) ; jura ergo a lege mundi distinguamus oportet : lex enim est regula ac vindex jurium . Sed lex mundi est Dei voluntas , sapientia , natura (13.) ; Dei ergo voluntas , sapientia , natura , idest Deus ipse regula est & vindex jurium cujusque. Ac regula quidem est, dum naturaliter suas cuique proprietates tribuit, efficitque , ut & naturaliter quisque sentiat , & indigentiæ conscientia uti appetat , & ratione non alium ob finem sibi attributas intelligat , quam ut sit , ac bene sit, salva totius salute . Sed qui vindex ? Vindex est qui & adserit cuique aliquid ; & vim pœna arcet ; & læsum restituit in integrum . Efficit id Deus, dicet aliquis ? Efficit profecto . Nam nisi id efficit , vindex non est . At nisi vindex est , ne assertor quidem jurium ; ergo nec proprietatum . Nulla est ergo mundi lex ; auctor ergo mundi non est Deus . Est autem mundi auctor (§. 12.) ; ergo mundani ordinis & legis ; assertor proprietatum cujusque ; vindex igitur .

§. XX. Hoc , etiamsi genus pœnæ ignorem , ignorem restitutionem in integrum , præmia videlicet , satis tamen est , quo pernoscam reverenda esse cujusque jura , paratasque esse criminum pœnas , virtutum præmia . Ac vero jura scire necesse erat , quo servare possemus : necesse intelligere summa Dei voluntate sua cuique adseri : necesse Deum esse immutabilem eorum vindicem : at genera pœnarum quid attinebat noscere ? quid præmiorum ? Immo utilius , puto , ignoramus, modo illud sciamus, Deo esse digna , adeoque summa ; nam nota minus sæpe ex consuetudine facimus . Ut ecce , pervenio in Sinas : quo probe sancteque cum Sinensibus vivam , scire oportet & esse jura , & jurium vin-

vindicem, & parata in improbos sceleſtoſque supplicia: expromta in bonos præmia. Cruces ne ſint pœnæ, an carceres, an triremes, an raptationes, an vivicomburia, quid refert ſcire?

§. XXI. Nec vero omnia pœnarum genera, quibus in ſceleſtos pravoſque animadvertit ſummus ille naturæ Imperator, ignoramus. Principio omnis jurium noſtrorum abuſus, ſeu in noſmet, ſeu in alios, ſtatim aut ipſo naturæ dolore punitur, aut aliorum vindicta ac quaſi hoſtimento. Manum mihi amputo: ipſum crimen ſibi talio eſt. Alteri amputo, neci me dedo; aut ne dedam, exilio committo: metui igitur, pavori, animi ægritudini. Ita lege mundi jura revereri diſco. Si quiſquam natura felix eſſe poteſt, aut quatenus poteſt, nequit eſſe, niſi qui neque in ſeſe ſtultus eſt, & impius, neque in alios: ſi fuerit, parata eſt miſeria. Divinitus fere Horatius noſter

. . . . . Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo . . . (*a*)

§. XXII. Deinde nulla natio eſt ſine ullo civili regimine, ſeu fixo, ſeu precario. Nationes, quæ feræ & barbaræ dicuntur, non hoc diſtant a cultis emollitiſque, ut illæ nullo contineantur imperio, quo hæ frænentur. Qui hoc ſcripſerunt, barbarorum vitam moreſque egregie ignoraſſe videntur. Eo potius differunt, quod hæ certum fixumque habent imperium, ac civile: illæ & naturali continentur, & civile ad tempus ſumunt, ponuntque, cum nempe opus eſt. Bellum eſt gerendum: Imperatorem eligunt, legeſque imperii ſtatuunt. Cum debellatum eſt, ad privatas redeunt caſas. Punienda crimina: conveniunt ſeniores, ac pede ſtantes in uno decernunt pœnas, atque exequuntur. In commune conſulendum: in cœtus coëunt, diſceptant, quodque e publica ſit re edictant. A natura eſt hoc imperium, cujus vim nemo fugit, niſi majori pœna, a genere videlicet humano extorris. Et hæc igitur vindicta ad divinas pœnas referenda eſt; a lege enim eſt mundi. Scite ergo Græci θεμιν atque νεμεσιν Jo-

(a) *Lib. 3. Od. 2.*

Jovis esse filias tradunt. Hinc Tragici συν θεω τιειν την δικην ajunt, cum aliquem pœnas facinorum dare oportere dicere volunt. Hinc apud veteres Gentes ferme omnes prima imperii forma, eaque sanctissima, Theocratia. Hinc gentium omnium ac urbium primi fundatores Dii, Deæque creditæ.

§. XXIII. Postremo alterius vitæ sensus, & spes, aut metus etiam in barbaris gentibus, obtinet, obtinuitque semper. Nulla opinio communior. Veram, an falsam dicemus? Si veram, ut profecto est, tertium est hoc pœnarum genus in sceleſtos constitutum; vereantur igitur necesse est. Si falsam, non minus tamen communis est; ergo a natura rerum; nihil enim quod commune est omnium, non a toto mundo proficiscitur. Qui alias quærunt causas, sunt adhuc in Philosophia pueri. Si a natura; ergo a lege mundi. Ut non sit altera vita (videant quantum de jure meo concedo) parva ne pœna est, eaque a natura inflicta, hoc improbos perpetuo metuere? Sed jam metum demsit Epicurus; demsit Lucretius. Ego libros eorum lego: literas oculis concipio: sed viscera scrutari voluissem.

§. XXIV. Mihi hæc manifesta videntur: nihil convellere queo sine manifesta contradictione. Nequeo non esse dum sum: nec non esse id, quod sum, ac propter id, propter quod sum: nequeo non eas habere proprietates, quas natura habeo; nec earum non persentiscere vim & usum, cum sentio. Sed ne fieri quidem potest, ut non hujus sim mundi pars, cujus sum; nec totius subjiciar legi. Mihi igitur illa omnia, quæ naturaliter habeo, tam certum est lege mundi adseri, quam certum me esse, mundique esse partem, atque totius ordini subjectum. Sed an alia lex mundi, quam voluntas causæ mundum procreantis, & continentis? Mihi igitur hæc omnia non lege Dei adseri tantundem est, ac nullo ordine, nec me, nec mundum agi. Si autem adseruntur, vindicantur profecto; plena ergo sunt jura.

§. XXV. Illud dicet quispiam, cur plus nobis potentiæ tributum est, quam juris? Imperite: jus enim po-

potentiam non adimit (sæpe namque tota agendum est), sed regit. Inepta igitur quæstio est. Jus non opponitur potentiæ, sed potentiæ aberrationibus. Itaque jus non vetat tota videre oculorum vi, tota linguæ loqui, tota brachiorum agere, toto ingenio cogitare: sed quomodo videndum sit, aut loquendum, agendumve, aut cogitandum, docet. Tota, licet, naturæ potentia utere; sed ita utere, ut nec te infelicites, nec alterum: hoc jus est. Jus libertati tribuitur, vis naturæ. Quod si roges, cur plus libertatis naturalis accepimus, quam juris, eodem ineptiarum revolveris: non enim libertatem adimit jus, sed libertatis abusum. Hic Virgilii versus Æneidos 1. v. 523. quo Didonem Æneas compellat,

Justitiaque dedit gentes frænare superbas,

totius est, ut ego quidem arbitror, juris naturalis epitome. *Justitia*, quæ est quasi juris statio: *nam jura dabat*, reddebat videlicet, *legesque viris*, quibus nempe jura sarta tecta servarentur. *Frænare*, ne, ut ille dixit, prosiliret *frænis natura remotis*. *Superbas*, extra jura temere procurrentes: est enim superbia, υπερβια quasi υπερ βιαν, præter vires, morales accipio.

§. XXVI. Insitam jam esse ac hominum pectoribus conditam legem hanc universi & naturæ, ex eo fit perspicuum, quod ea universum procreatum sit, & regatur. Sed illud disceptare video, ιδεα ne inscripta nobis sit, an συνεσει, an vero δυναμει? Δυναμει, *potentia* innata esse naturalis legis scita ac dogmata, ut axiomata Arithmeticæ, Geometriæ, ac rationis communis cetera, quidam arbitrantur (*a*): ut nimirum nemo sit quantumvis rudis, qui, quum rationis usum adeptus est, non ipse per se ea intelligere queat. At in idea ac exemplari in animis nostris insculpi & veteres Platonici, & recentes quidam docent. Hanc opinionem Scholæ olim theologi, philosophique rejecerunt, ac expugnarunt (*b*). Illa mihi opinio videtur vero similior, συνεσει, *interno sensu* ac conscientia persentiri. Cur

(a) *Lockius de Intellectu humano*.
(b) *Vide S. Th.*

Cur id censeam facit, quod quidam etiam dum minus ratiocinantur, iis percelluntur, sicubi sine ullo affectu prævalido facto opus sit.

§. XXVII. Qua ex re fit, ut non facta ac omissa exerna tantum regat vindicetque naturalis lex, verum internos quoque animi motus, atque hos prius & potius, quam illa; nam sunt hi veluti radices, ex quibus externæ actiones pullulant. Id lex Mosaica & Christiana disertis verbis docent: siquidem non solum mœchari, ac furari, & cetera ejusmodi vetant, sed ipsam animi concupiscentiam. Nec Ethnici ignoraverunt, quorum copiose loca congessit Grotius ad Matth. cap. v. quem consulat qui vult. Sed ante omnia adnotemus, eo sine ulla dubitatione pertinere vetus illud, quod Apollini adscripsere veteres, *nosce teipsum*, animo scilicet, ut ait Cicero. Thaletis illustre est apud eosdem responsum, qui roganti, ει λήθοι θεοὺς ἄνθρωπος ἀδικῶν, *utrum Deos lateret inique qui quidpiam ageret*, ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος, *sed ne cogitans quidem*, ait (*a*).

§. XXVIII. Illud etiam objectant, si jus & lex insita sunt & quasi inscripta in hominum pectoribus, cur, ut ait Plinius: *multi famam, pauci conscientiam verentur?* Respondeo nullum esse hoc mendacio majus, nec crassius. Primum qui verentur famam, ii conscientiam verentur: nam etiam illa externæ honestatis cura, ac custodia a virtutis conscientia est. Deinde etiam perditissimi homines, modo ne fragore affectuum concutiantur, conscientiæ sentiunt latratus. Tota humana natura quanta quanta est, aversatur scelera. Ne unquam sentiatur, penitus revellenda est. Sed, ajunt, habitus est educationis conscientia. Item inscite. Si enim est, misericordia, comes conscientiæ hujus, ab educatione est, non a natura, quod falsum. Deinde & amor societatis ab educatione, quod item falsum. Tum agrestes populi conscientia scelerum tanguntur. Hoc errant quod quædam minus capitalia in sceleribus non habent. Postremo bestiæ parcunt cognatis. Degenerent homines a ratione, an etiam a natura

(a) *Laert. in Thal. n. 9.*

ra animali degeneres esse possunt?

§. XXIX. Atque ita officiorum naturalium principium insitum in natura, ac pectoribus hominum conditum, constat, planumque est: JUS SUUM CUIQUE TRIBUE: SI ULLO MODO LÆSERIS, REFICE. HÆC SUMMA UNIVERSI LEX ESTO. Quæ cum omnibus nota sint perinde excultis atque barbaris gentibus; sequitur disceptationes de jure, & officiis omnes in facto versari. Jus tribuere natura dictat. Sed sit, necne, jus, ac quatenus, facti disceptatio est. Quæritur necari alter possit. Si jus est, quis nisi aut stultus, aut impius consultet? Ergo si disceptatur, non de jure, sed de facto quæritur. Generatim jus est cuilibet in vitam: generatim ergo scelus est necare. Quid si facto suo jure in vitam decidit? Si reus scilicet sit mortis? factum scilicet quæritur, non jus. Subest ne Titius imperio Caji? Idem est ac si quæramus, habet ne Cajus jus jura Titii moderandi frænandique usum? Factum est. Pater est Cajus; jus habet patriæ potestatis. Rex est; jus habet imperii. Vides quam brevis sit intelligenti naturæ jurisprudentia. Sed & brevis esse deberet civilis inter æquos bonosque viros. Verum temporum luxurie factum, ut dum jura legibus tueri vellemus, oppresserimus, ignoremusque sæpe, quod nec Scythæ, nec Canadenses, nec Huttentotti nesciant.

§. XXX. Sed eo, unde discessimus, redeamus. Vita, membra, ingenii corporisque vires, naturalis libertas, ingenita cuique sunt jura. Hæc nemo est tam ferus, qui possit ignorare. Sed sunt ex illis nata plura, verum cum sine alterius juris usurpatione quæsivimus: nulla enim nobis esse potest tactio alieni juris. Liberi ergo ex justis naturæ nuptiis quæsiti, domitæ feræ, exculta agrestis nulliusque terra, arbores, quas ipsi plantavimus, ædificia &c. in accedentibus sunt juribus. Hæc nota: tantum legitime acquisiverimus disceptari potest, quod contestatione jurium, monumentis, testibus fit. Postremo quæ mihi tu ob voluptatem utilitatemve tuam cessisti jura, nulla vi, nullo terrore, nulla injuria, nullo dolo malo, nulla ignoratione, ac inscientia, siquidem tua erant, & in

tuo

tuo libero usu, tam fieri mea æquum est, quam tua erant: est enim juris naturæ commercium. Sed in factis lites sunt immensæ; facta ergo noscenda.

§. XXXI. Quantum, inquit aliquis, primævi juris vi ac facultate ex communibus telluris bonis occupare licet? Quantum pactis conventis adsciscere? Hoc ego haud absimiliter quæri censeo, ac si quis interroget, quo mihi calceos suam, aut vestem, quantum communium pellium, lanarumque accipere fas est? Nam terra commune est mortalium omnium patrimonium. Ei igitur quæstioni a natura ipsa exitus atque terminus est præfixus. Pedem videlicet metitor, corpusque; is juris occupandi terminus est, qui corporis. Latior si sit calceus aut vestis, & magno cum incommodo diffluet, & cum aliorum æquum jus habentium injuria tibi induitur. Podagra, inquis, aut callo laboro: difficilis sum respirationis. Secato latius: nolo premaris. Sed ita tamen ut calceus sit, non navicula: ut vestis, non aula. Nonne intelligis naturam reluctari? Ut sis & bene sis hæc illa tibi parat, non ut iis obruaris. Ajunt, Batavæ ad promontorium bonæ spei coloniæ præfectum, cum donis, reculisque aliis Afros illos pellexisset improvidos, ac naturæ servientes, tanta terrarum spatia occupavisse, ut Belgium ipsum, cujus civis erat, prope exæquarent (a). Cui bono? Credo ego ut Astronomos imitaretur; qui cum angustam fere domo rem habeant, amplas in Luna possessiones præripuere, ut si quando eo remigrent, habeat sua ibi Ptolomæus regna, habeat Hipparcus, Tichonus, Gassendus. Oh prudenter factum!

§. XXXII. Quæ huc usque demonstrata sunt, jura dici possunt perfecta & cogentia. Eorum nobis tactio ita vetita est lege naturæ, ut naturæ jus sit vim vi repellere, & illatam injuriam, aut datum damnum talionis lege compensare. Illud nunc demonstrandum est curatius, homines omnes nasci vivereque cum jure auxilii ab iis poscendi, quibuscum versantur, aut quibus inciderunt omnibus; tum autem cum juribus suis

uti

(a) *Kolbi descriptio Prom. bonæ spei.*

uti aut nesciunt, aut nequeunt, quo sint ac bene sint. Hoc jus, quod vi cogente careat, *imperfectum*, & humanitatis dici potest. Id demonstro primum ex imbecillitate hominum naturali. Quid ita procreamur, ut quo simus vitales juribus nostris uti nec scimus, nec possumus, si nolit mundi lex eos, quibus communem habemus naturam, nobis opitulari? Mutuam ergo societatem ac mutuum auxilium hoc naturæ ordine, hocce suo facto imperat Deus. Eadem vero ratio est cum adulti aliqua naturæ causa præpedimur, qua fit, ut viribus juribusque nostris uti nequeamus.

§. XXXIII. Ostendo secundo ex natura amicitiæ sentiente atque appetente, nisi quid eam aut præveniat, aut absterreat ex parte socii. Has causas amove, nihil antiquius in omnibus adversus omnes progignitur, aliturque constanter, quam mutua amoris flammula. Ad societatem igitur gignimur, cujus distractionem sola efficit aut præventio ne alter noceat: quia vel alias nocuit, vel id agit, quod ad nocendum spectat: aut parata nocendi instrumenta: aut habitus aspectusque ad lædendum intentus. At societas nisi in habitu mutui auxilii non consistit.

§. XXXIV. Tertio ostendo ex commiseratione adversus eos, quos mala premunt, qua omnes quantumvis sævi corripimur, nisi illæ dissociationis causæ nos avertant, quas supra commemoravimus. Quam commiserationem qui *imbecillitatem animi* vocant, quo elevent, credunt se aliquid præclari dicere, cum tamen non dicunt, nisi quod caput est hujus rei: omnes enim imbecilli nascimur: neç ita nascimur, nisi quia in mutuam societatem destinamur. Eum ego hominem ab hujuscemodi imbecillitate immunem esse oportere puto, qui sibi satis ipse sit ad omnia, ut sit & bene sit; quos Natura non procreat; quia non singulos homines in singulis planetis, velut segreges Cyclopas parere voluit, sed genus integrum sibi junctos copulatosque simili natura, eademque indigentia.

§. XXXV. Cum jure igitur poscendi auxilii nascimur; adeoque est naturæ quædam civitas, ad quam omnes, qui ubique gentium procreantur, homines per-

tinent. A natura abhorrent ii Philosophi; qui ab hac civitate abhorrent. Nemo hominum homini ulli natura inimicus est, sed fit: nec indifferens, sed naturæ similitudine amicus sociusque. Eo tota universi harmonia spectat. Gentium inimicitiæ, atque hostilitates, quia αναρμοστοι *non congruentes cum universi harmonia*, & cum hominum natura pugnant. Quas si foveat incendatque Politicus, mea non refert requirere: Philosophi vero quidam, idest universi cives verique dispectores & patroni, qui possint, mirandum esset, nisi propalam jam esset, e majorum scriniis philosophari plerosque omnes potius, quam e mundi regula.

§. XXXVI. Hoc jus mutui auxilii majus fortiusque efficimus cum in civitates coalescimus. Nam sparsæ olim familiæ non alia ratione in civitates coierunt, ac civili se subjecerunt imperio, nisi ut mutuo sibi essent præsidio; pactis igitur, aut facto suo reciproce in sese id juris transtulerunt. At jura translata tam fiunt propria, quam sunt ingenita. Quicumque igitur violant, & communem naturam violant, & civitatis pacta, ac præcipuum cœtuum vinculum.

§. XXXVII. Illud binis verbis expediendum nunc est, quibus conditionibus jus hoc mutui auxilii, aut natura tribuatur, aut in civitate transferatur pactis conventis. Jura ingenita sunt paria, parisque in omnibus roboris: tum æque cuique cara; æque cuique a natura commendata. Ergo jus hoc mutui auxilii cessat in pari aut imbecillitate, aut indigentia, aut periculo.

§. XXXVIII. Jam vero jus mutui auxilii habet is qui nescit, aut nequit suis uti viribus; non ergo is, qui non vult. Ergo in voluntaria alterius imbecillitate, indigentia, miseria, periculo, nullum est. Quid igitur faciunt ii, qui errones, ευτροφους, *bene nutritos*, pascunt lactantque? Nempe ut civitates aut in vetus agrestium gentium chaos vertant, aut in deserta (*a*). Ajunt Indos Banianos amore in animantia (sunt enim Pythagorici ferme omnes) quotannis basilicas cœnas parare muscis: alios suo corpore ac sanguine per integras

(a) *Vide gravem Tiberii orationem apud Tac. An.* II. 38.

gras noctes pulices cimicesque saginare (*a*). O sanctas gentes, humanas in feras, feroces immanesque in homines (*b*)!

§. XXXIX. Jus auxilii nullius jura lædere debet: sunt enim inter sese pugnantia humanus & inhumanus: humanus & injustus; nec natura pugnantia aut scit, aut præcipit. Tertium est igitur corollarium, ut si nequeam esse tecum humanus, nisi sim alteri inhumanus, aut injustus, jus mutui auxilii cesset. Genus est igitur inhumanitatis, atque injustitiæ, quod tamen non raro fit, ut quis suos, vel patriam prætermittat, quo alienos, aut exteros ditet: ut hos spoliet, quo vestiat alios. Sed nihil est in humana vita frequentius, quam hujuscemodi homines offendere, qui secum ipsi & cum ratione pugnant.

§. XL. Præterea jus mutui auxilii nascitur ex vera alterius miseria, non ex imaginaria: natura enim in te laborare debet, ut tibi opituler, non imaginatio. Quartum est ergo corollarium, ut hoc jus cesset, si non naturæ poscas auxilium, sed luxui: nam luxus non ex natura nascitur, sed ex phantasia. Clamas opem, quo bysso & purpura induaris: quo turbam servorum & ancillarum pascas: quo in cœnis Lucullanis cum helluonibus crepes: quo exercitum equorum nutrias: quo lupanaria locupletes. Respondeo ad naturam vivere didicisses. Adhuc tibi binæ, ut ceteris, manus: adhuc musculi nervique. Indura, sodes (*c*). Hæc natu-

(a) *Universal History lib. XIII.*

(b) *Vide locum egregium Hermachi apud Porphyrium* περι αποχης εμψυχων *lib. I.*

(c) *Catullus lepidissime ad Furium*

Pulchre concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graveis ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atque corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole, & frigore, & esuritione.
Quare non tibi sit bene ac beate?
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi.

ræ lex eſt, ut quiſque ſibi, quantum ſcit & poteſt, ſalvo alieno jure, proſpiciat. Quo igitur amandabimus eos miſericordes Caſuiſtas, qui furari præcipiunt, ne de ſtatu noſtro decidamus? Vix ego crediderim quemquam eſſe mortalium, qui alteri egregium conſilium ſuppeditet, quo, cum opus eſt, in ſe uti nolit.

§. XLI. Jura ſua quiſque in alium transferre poteſt, modo ne cuiquam noceat; poteſt quis igitur acquiſita bona, jura nata ex primævis, ac ipſa primitiva, pro amicitia effundere omnia, tantum ſi caveat, ne quid detrimenti, aut domus, aut Reſpublica, aut quivis alius accipiat: nam eſt hæc univerſi lex, ut ita juribus noſtris utamur, ut nemo lædatur. Hunc ego hominem omnium egregium atque humaniſſimum habebo. Ceterum nolo quiſquam opinetur, ullo nos jure ad tantum facinus obligari: virtutis eſt, ac liberæ, non obligationis. Quid attinet præcepta duplicare præquam lex poſcit? Nam hujuſmodi homines profeſſione, non opera, Stoicos odit ſancta Sophroſyne. Homo juris obſervantiſſimus ambitu telluris contineri opus habet. Si quis ſupervolitet, beatus is quidem.

§. XLII. Paucis nunc qua quis ratione jure ſuo excidere poſſit, ſeu culpa, ſeu delicto, ſeu crimine demonſtremus. Lex Naturæ ſua cuique jura adſerit; ergo lædere vetat. Si quis igitur læſit, jus læſum, ſi poſſibile eſt, aut ſi illud nequit, quod intereſt, reſtituat. Æqua ergo juris ſui parte privandus eſt. Igitur jure in eam partem excidit, ut, etiamſi nolit, auferri ab eo ſine injuria poſſit.

§. XLIII. Sed diſtinguendum eſt inter læſionem, quæ forte fortuna accidit, & quæ culpa: tum inter hanc, & crimina. Si puro caſu accidat, tametſi ego caſus ſim inſtrumentum, modo culpa abſit, non a me eſt damnum, ſed a natura, & legibus coſmologicis: *αναγκαιον* eſt, *fatale*: *αναγκαιοις* autem omnes natura ſubjecti ſumus, velimus, nolimus. Ea lex mundi eſt (*a*). Ab ea igitur compenſatio expoſcenda eſt; ſalvo

(a) *Quod eleganter graviterque ſcribit Euripides Med. v.* 1018. Κουφως φερειν χρη θνητον οντα συμφορας.

Le-

vo nisi jure mutui auxilii tenear. Ita si ventus me dejecit, casuque tibi brachium fregi, ventus læsit: nihil stricto jure debeo. Sed si jus humanitatis locum habet, aut quatenus habet, hoc obligabor: quantum igitur scio & possum, non quantum jus tuum poscit.

§. XLIV. Si culpa interfuit, etsi desit crimen, ideſt dolus malus ac lædendi voluntas, integrum debeo, jureque stricto: nam culpæ cavere debeo & possum. Nisi cavi, lex læso vindex adsistit. Non patrocinetur læso lex mundi, jam jura negligit; quod pugnat cum legis fine, qui nequit esse alius, nisi custodia jurium. At nihil est nec in natura, nec in Deo pugnantis.

§. XLV. Si crimen, ideſt dolus malus, ac nocendi voluntas, interfuit, & læsum, ablatumve jus præstabit integrum (ex §. sup.); & doli mali pœnam. Nam lex, quæ vetat nocere, non in factum tantum vindicat, sed cavet etiam in futurum. Illud abscissione æqualis juris obtinetur: hoc remotione pravæ voluntatis. Cum illa nocendi voluntas ei, qui nocet, cara sit & voluptati; reddenda est illi ingrata, atque odiosa. Id fit pœna. In injuriis igitur alteri illatis utrumque consequimur duplicata pœna talionis; aut ea, quæ ad talionem in duplum proxime accedit. Brachium alteri sponte obtruncasti: quod interest reficies, & brachio minueris. Si nihil sit, quo æques quod interest, ambobus brachiis mutilaberis.

§. XLVI. Sed si non personæ tantum jus tuo crimine læsisti, verum vinculum quoque vel familiæ, vel civitatis resecueris, velut si patrem impie mulcaveris, si regem per sacrilegium violaveris, vita lues: dignus non es qui vita fruaris, cum fontes vitæ inique turbare ausus sis. Sacer es (*a*).

§. XLVII. Eadem naturæ lex, quæ jura cuique præstat, adseritque, jurium præstat custodiam, seu jus de-

Leviter ferre, quisquis mortalis natus est, infortunia oportet, *naturæ dictamen est*, *non hominum*.

(a) *Veteres Mosaicæ, Græcæ, Latinæque leges severissimas in impios liberos pœnas decreverunt. Hac severitate & familiæ steterunt olim & sancta educatio, & rigidi ac impolluti civitatum mores. Postquam neglectæ, nihil amplius sancti, nihil reverendi.*

defensionis : siquidem pugnans est tribuere jura, idest privati usus proprietates, auferre jus custodiæ, & tuitionis. Nam quod defendere velut privatum nequimus, commune est, non proprium. Igitur si quis mihi per injuriam jus aliquod eripere gestit, eodem respectu mei decidit, aut in tantundem est reus. Quare si nulla sit alia ratio juris mei tuendi, nisi ut tibi faciam, quod tu mihi facere contendis, jus talionis est, & a naturæ lege. Ergo inter jura nostra primæva & hoc accensendum est, licere vim vi repellere: licere sublata per vim jura recuperare : modo cum his juribus jungatur clausula, *cum nulla alia via suppetit jus nostrum aut tuendi, aut vindicandi*. Sed ob eandem rationem tam tuendo, quam repetendo non licet æqualitatem excedere, ne ipsi eodem, quod propulsamus, crimine teneamur.

§. XLVIII. Sed est duplex vis, qua alteri resistitur, una naturalis & privata, altera publica & civilis. Vi privata uti licet, aut si eam nulli cessimus, aut iis in casibus, in quibus cedere noluimus. Igitur familiæ extra imperium civile viventes, quæ integra adhuc retinent jura Naturæ : tum civitates ac regna, vi propria jura tuentur, aut læsa vindicant. Id est jus belli. In civitate vero, cum non adest tempus adeundi magistratum, veluti in repentinis aggressionibus, integro jure tuendi uti possumus. Ceterum si prævenire magistratum liceat, aut si jura jam læsa sint, jus vindictæ ad imperantem pertinet. Quod qui invadit, aut attrectat, tum reus est, sæpeque magis, quam is, a quo aut lædi timet, aut læsus est: sunt enim sacra imperantium jura; quia sacra ac divina res est civitas (a).

§. XLIX. Jam de jure nostro ob amicitiam generis humani concedere aliquid possumus, & interdum debemus (32.); idque egregiæ est virtutis; lex ergo patientiæ, ut pati potius injurias velimus, quam vindicare,

(a) *Ob id igitur existimo, veteres humana divinis miscentes, primordia urbium augustiora fecisse. Nam veteres urbes omnes ferme Deorum opus fuisse traditum est. Enimvero quid divinius, quam in mutuum auxilium coire, ac vetera impiaque linquere nemora?*

care, omnium diviniſſima eſt: quippe cum divina res ſit amicitia. Quod ſi ea plures ac communiter abutantur, atque ex paucorum patientia in publicam perniciem armantur; lex naturæ vindicanda eſt, quæ omnium incolumitatem, & felicitatem ſpectat. Itaque Principes, Magiſtratus, Duces armorum, vigiles, qui duas ſuſtinent perſonas, privatam & publicam, nequeunt lege patientiæ improborum vim acuere, quin rei ſint deſertæ civitatis. Quibus addendum eſt, interdum jus caritatis poſcere, ne patiamur, quo nimirum pravi ad virgulam redeant. Amor ſæpe eſt fuiſſe ſævum.

§. L. Ex quibus intelligitur non poſſe in Natura eſſe ullam jurium repugnantiam; nequit enim nec Deus jura adverſantia juribus tribuere, nec natura moralis excipere. Cum ergo pugnantia videntur, non Naturæ pugna eſt, ſed affectuum. Nam ſæpe in jura erigimus cupiditates: ſæpe cum jure decidimus, quod decidiſſe diſplicet, retinere adhuc nobis perſuademus. Potentes interdum viri ſibi jura ex phantaſia creant, quibus impune paganos, aut imbecillos opprimere ſe poſſe arbitrantur. Sunt non Naturæ jura, ſed cupiditatis: nam injurias ulli mortalium inferre tam grandibus vetat Natura, quam parvis. Quin grandes parvoſque divina lex ignorat, niſi ex virtutum merito. Jam vero injuriam intulimus: lege talionis tenemur. Eam interim omni modo fraudare ſtudemus. Philautia nobis ſuadet, nondum jure noſtro excidiſſe: pugnam jurium ac officiorum imaginamus. Ita a naturæ æqualitate recedimus. Ejuſdem generis ſunt reliquæ decantatæ jurium pugnæ, aut imaginariæ, aut fraudolentæ: aut ſi ſunt ullæ, in obſcuro ambiguoque ſunt facto.

§. LI. Cum nequeat eſſe jurium pugna (ex §. ſup.); ne officiorum quidem ulla eſſe poteſt, ſi ex lege judicare velimus, non ex cupiditate, praviſque affectibus & habitibus: nam officia & virtutes, quæ officia imperant, ſi quidem officia ſunt & virtutes, ex virgula ſunt rectitudinis, ex lege nempe univerſi: nec enim officium eſt ullum, nec virtus, niſi imaginaria, quæ extra illam virgulam vagatur. Qui igitur pugnam officio-

ficiorum induxere, qua ſibi cupiditas conſuleret, generis humani palpatores, morumque depravatores, ſentinam pravorum judiciorum excavarunt: altero cataclyſmo homines oppreſſere, tanto veteri illo pejori, quanto non ad legem vindicandam, ſed antiquandam excogitato. Occidi, inquit aliquis: rogatus pro tribunali fatebor crimen? Nega, ajunt illi: nemo ſe infamare debet: nemo ſuis ipſe manibus ſe cruci ſuffigere: hoc jus eſt cujuſque. O ſcelus! Hæc dicenda erant antequam occideres: cum res erat integra. Occidiſti? Jure in vitam decidiſti. Non tu nunc, cum fateris, infamas, ſed cum crimen patraſti: non nunc te cruci affigis; ſed cum hominem homo necaſti. Vide quantum a lege diſtes, Caſuiſta. Illa hunc & non rogatum crimen fateri jubet: Tu ne rogatum quidem. Quid ſi tibi mutuum dedi? Negabis ſcilicet debere niſi rogem? O capita φρουδα!

§. LII. Inſtat, inquit alter, a tergo hoſtis: & quadrigis vehor. Elabi poſſim, ſi lora laxem. Sed turba occupat viam. Nullum eſt effugium. Vadam per dorſa hominum, an frænum compeſcam, ſinamque me trucidari? Vade, inquit palpo: prima lex eſt, ſibi conſulere. Oh latro! Nam quid ego aliud reſponſi exſpectaſſem a latrone? Quo facto ea turba jure ſuo in vitam exciderit, monſtra, ac vade. Excidi, inquis, jure ego meo? Non: ſed adverſus illos tuere, qui invadunt. Si non potes, quid tibi cum alieno? Eſt tamen aliquid adhuc. Jus auxilii implora: debet turba. Negat, inquis. Cogere nequis: jus auxilii non cogitur (ex §. ſuperiorib.). Infantes ſunt inquis. Siſte latro. Non vides te cum tuis hoſtibus ac quadrigis adverſus innocentes militare?

§. LIII. Furatus ſum, inquit iſte: ſi reſtituo, eſuriam. Tu vero, inquam, & ſitias, quo ereptum alteri jus reſtituas. Pereo, inquis. Retine igitur quoadne pereas: in id tibi jus præſtat neceſſitas. Ceterum cave ne non ex natura, ſed ex libidine ea ſit neceſſitas: nihil enim juris cuiquam libido tribuere poteſt.

§. LIV. Credidit mihi amicus ſecretum amicitiæ religione. Amicum prodo ac ſecreti religionem, ſi effero:

ro: patiam si taceo. Temere fecisti: de jure enim alieno promisisti, nec poteras: patriæ primum obligatus eras, quam amico. Nullum igitur amico quæsitum esse potest jus; nulla ergo pugna jurium, nulla officiorum. Pater est, inquis, Utrique igitur desertote. Conspirator est. Remove de proposito: infecta adhuc re, confessione animum eluat. Surdus est, inquis. Iniquus igitur: non patriæ solum, sed tui proditor, & homicida. Omni humano divinoque jure exutus est: tu jure & tuendi tui & patriæ defendendæ obligatione teneris.

§. LV. Ecce hic perstrepit. Magnus hostis urbem obsidione cingit. Exposcor ad cruciatus: sed insons sum. Si me dedit urbs, imminente periculo liberatur. Dedet innocentem? Immo ipsum te dedas oportet: hoc pacto in civitatem coaluisti, ut non tibi civitas, sed tu civitati servires. Excidisti ergo jure in vitam, cum salus publica tui causa periclitatur. Nisi te dedas, reus es: civitas igitur te dedet, reum improbumque civem, non insontem. Quid si excubiæ dicant, perimus, si locum velimus tueri: deseramus ergo? Iniqui sunt: vitæ cessere, cum sacramento rogati sunt.

§. LVI. Illud vero non ferendum, esse qui & contentionem jurium inter Deum ac hominem prætendant, & in pari causa, aut etiam (quod iniquius & intolerabilius) potiori ex parte Legislatoris, jus nostrum prævalere oportere doceant. O Legum perversores! O profligatores justitiæ & honestatis! In dubio, ajunt, libertas prævalet; in contentione probabilis, ac probabilioris, si illud mihi favet, potius est. Tu igitur in contentione cum Deo, æquis partibus, illo posthabito, totum usurpas! Cum Legislatore naturæ transigere paras? Jus meum, inquis. Quod jus prædicas in causa cum Auctore mundi? Vel vita excidisti, si ille comparet. Sed hæc flagitia inde nata, quod *sensum & cupiditatem* regulam fecere vitæ, cum illa cupiditati frænandæ data sit. Nostri Casuistæ, quo vultu hoc Evangelicum factum spectabunt? Rogat Legisperitus (*a*) *Quid faciam ut Regnum Dei possideam?*

(a) *Luc. cap. x.*

deam ? Christus, *in lege quid scriptum est ?* At ille legem recitat. Qua prolata, *bene*, inquit: *hoc fac, & vives*. Non ait, quid tibi suadet cupiditas, quid utilitas, quid naturæ vitiositas, quid consuetudo. In lege quid scriptum est ? Lex norma sit necesse est, non sensus, non utilitas, non cupiditas. Ecce malorum scatebra (*a*).

§. LVII. Sed piget per singula ire. Audentissime dicam: nulla esse potest jurium pugna: nulla est officiorum: sed factorum videri potest aliqua; in incerto sæpe sunt facta. Hæc igitur circumspicienda: hæc definienda, prius quam de jure contendas. Sunt hæc, inquis, dura atque ardua. Cupiditati haud nego: sed ita scripta hominibus lex est. Chirurgia lex est, non cœna. Quanquam hæc quæ dura videntur, mollissima sunt, si virtutem sancte atque ex animo colere didicerimus. Facit huc quod ait alia in re Ovidius,

Dura aliquis præcepta vocet mea: dura fatemur
Esse: sed ut valeas multa dolenda feres.

§. LVIII. Postremo illud observemus, esse jura alia aliis potiora. Cum majora ac potiora vigent, nullum est minorum jus: ita sunt, velut si non sint. Non igitur est pugna, sed minorum jurium cessatio: pugna enim est inter duo jura æque vigentia, & opposita; quæ, ut diximus, nec in Deo esse potest, nec in ea lege, quæ est a Deo. Quæ, inquis, majora ac prima ? Jura in vitam primum servandam, tum beandam nobis attributa sunt. Vita ergo primum jus est: nullum est ei æquale. Sequuntur altero gradu membra, insita vitæ instrumenta: tertio bona adscititia, quæ item instrumenta sunt vitæ: quarto ordines pacatiori vitæ servientes &c. Philosophemur ex natura ac lege, nihilque horum esse poterit perplexum. Cum dia-

(a) *Jugurtha* postquam Roma egressus est, fertur sæpe eo tacitus respectans, postremo dixisse, URBEM VENALEM ET MATURE PERITURAM, SI EMPTOREM INVENERIT. *Sallust. Jugurth. pag.* 161. *Glasquæ* 1751.

diarios ejuſcemodi, qui ad manus ſunt, libellos, aut immenſa loquacium volumina totum eruditionis noſtræ fundum fecerimus, omnia erunt & obſcura, & implexa. Dicamus magnanime

. . . abite
Illuc, unde malum pedem tuliſtis,
Sæcli incommoda. . . .

Sed corripiamus vela, ac leges naturæ perſcribamus præcipuas, atque e naturæ penore.

I. *Jura cujuſque ſeu illa ingenita, ac primæva, ſeu inde nullius injuria enata, ſeu procul omni dolo malo translata, vitæ cujuſque fulcra ſunto: ſarta tecta ſervantor: nulla cuiquam in ea tactio eſto, niſi quantum is voluerit ſiveritque, qui dominus eſt.*

II. *Qui aliorum jura ulla in parte læſerit minueritque, aut inutilia reddiderit: aut clepſerit, vel rapuerit: aut circumventione, ullove dolo ad ſe traxerit, in tantundem talio eſto: eo jure excidat, quod alteri aut abſtulit, aut inutile reddidit. Ea lex eſt mundi: ea Dei præpotentis atque rerum naturæ vindicis.*

III. *Sed poſtquam corrupta jura reficit, ne ſe elutum jam ſcelere putet, quouſque legi mundi gubernatrici ſatis plene fecerit. Quiſquis in naturæ civitate reus ſua ſponte factus eſt, naturæ fiſco deditus eſt ad noxam. Divinas ergo luat pœnas oportet.*

IV. *Jura ita quiſque partitor, ut ſciat alia eſſe mundi Imperantis ac Domini: alia ſui: alia aliorum: alia perſonarum, aut familiarum privata, alia publica Urbium. Singulis ſua præſtato integra: nullius lædito.*

V. *Quidquid Deus eſt, quidquid efficit, jus Dei eſt. Id noſcito ſancteque colito. Mens pura eſt Deus, omniſcia, omnipotens, optima, ac ſolius boni cauſſa: beata, juſta, ſancta; rerum effectrix omnium ſervatrixque perenniter ac moderatrix: nihil non ejus fit numine: omnibus eſt enim intima, atque ubique præſens: nihil dediſcit: nihil mutat. Idem perpetuo vult, idem non vult: quæ vero vult, juſta, honeſta, ſancta, bona, ſint omnia neceſſe eſt: nihil nec iracunde, nec avare, nec impruden-*

denter negligenterque efficere poteſt : æque omnia atque immutabili lege & ratione gubernat . Hæc igitur jura Dei habeto : tremenda ſunto : impium te eſſe ſcito, inſeriſque ſacrum, ſi moveris .

VI. *Cum ad tantam majeſtatem accedis, tum te ſanƈte adire exiſtima, cum puro integroque animo & moribus acceſſeris : purus autem eſt animus, & impollutus, cum legi perpetuo congruit : cum nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram defleƈtit . Nihil tu igitur tecum defer nec ſuperbi, nec avari, nec injuſti, nec inhumani : nihil crapulæ : nihil luxus : ſed ne quidquam quidem ambitioſi vanique : nihil popularis gloriolæ : nihil fiƈti : tute ipſe ſolus fœditatibus animalibus remotis, accedito . Animus animum adito : mens mentem : reƈtus reƈtitudinis æternum exemplar . Solo virtutum choro comitaberis . Si quid horum præterieris, ſcito te eliminari tanquam profanum .*

VII. *Jura tu tua caſte ſervato : in vitam membraque ac valetudinem tuam nihil hoſtile aggreditor : id abnorme a mundi regula . Valeas beneque ſis animo & mente, ſtude : id tibi illa lex ſuprema præcipit . Externis bonis ita utare, ut bene animo corporeque eſſe poſſis. Ne utrumque nimia copia ac luxu fœda aut opprime . Si contra feceris, parricidam te eſſe ſcito, atque inferis devotum . Ita excolito animum corpuſque, ut tibi aliiſque præſto eſſe poſſis, cum natura poſcit : id & jus valetudinis exigit ; & fucos inerteſque homines, ac nihili, proſcribit telluris civitas (a).*

VIII. *Si jure ullo, ſive tua ſponte, teque ſciente, te abdicaſti, ſive volens in alium tranſtuliſti, ſive tuo crimine, flagitiove, aut ullo pravo faƈto excidiſti, ſcito nec reprehendendi tibi jus eſſe amplius, nec tutandi, cumque iis duellandi, qui ut in fide faƈtove conſiſtas vi contendunt .*

IX. *At ſi dolo malo, vique ulla, nec legitimo imperio circumduƈtus ſis, jureque tuo ſpoliatus, adverſus aſtutos, audaceſque, aut latrones, raptoreſque, vique præ-*

po-

(a) *Draco homines ſoli abdomini pigritiæque ſervientes necari juſſit : Solon multari . Vide Plutarchum* in Solone .

potentes, æterna auctoritas esto.

X. *Jura aliorum primum stricta, tum quod auxilii mutui diximus, intacta habeto: tam tibi jus in aliena est, quam in tua aliis. Hanc vitæ beatæ legem ne transadigito: bellum est, si minimum migraveris: bello vero quid miserius? nihil proprium, nihil juris, nihil sancti in bello cuiquam: venalia omnia, aut incerta.*

XI. *Sunt jura civitatum ordinumque: sunt jura imperantium. Ea tam cujusque sunt propria, quam tui tua. Ne tibi igitur sit illuc tactio. Jurium sunt cujusque moderatores, custodes, vindices, imperantes; itaque Deo cari; legis enim universi sunt vindices (a); divinam ergo gerunt administrationem: sacri sunto. Quisquis sub imperio es, pareto. Ea lex est universi.*

XII. *Cui civitas civitatisque ordines oneri sunt, renunciet se abscedere velle: ab illa expetito, ut pacti fide liberetur. Abeat si indulserit. Indulgebit autem profecto si sapiens est: nequit enim esse bonus civis, quem civitas prægravat: improbi autem cives absunto. Quod si quis est tam barbarus, impolitusque, ut ab omni civitate abhorreat, omnes vexet, eum in Samojedas ablegato. Si ita lubido fert, brutescat; liceat insanire (b).*

XIII. *Hæc naturæ dogmata nemo neque papyro, neque membranis, sed ne æreis quidem tabulis, exarato, rebus, quæ situ, pulvere, rubigine corrumpuntur, neminemque intus concitant: animo insculpat, atque* εγκατεςοιχειωμενα, *velut hærentia elementa, habeat. Æterna sunto (c). Virtute occalleat necesse est quisquis beatus esse cupit (d).*

(a) *Sunt & populorum parentes, eoque* Deum, *ut ajunt poetæ,* cura. *Pindarus Ode* v. *Pyth.*

Διος τοι νοος μεγας κυβερνᾳ
Δαιμον' ανδρων φιλων.
Jovis mens magna gubernat
Sortem virorum, qui sibi sunt cari.

(b) *Hoc in auctorem operis* Le Code de la Nature.

(c) *Retulit Plutarchus* νομους γεγραμμενους leges scriptas *haud placuisse Lycurgo, quod sua præcepta moribus & disciplina* εγκατεςοιχειωμενα, tanquam elementa quædam in mente defixa, *ac in succum versa, utiliora existimaverit futura. O præclare excogitatum, factumque!*

(d) *Magna olim inter nostrates doctos fuit, estque hodie quæstio,*

stio, ecquam virtutem cognoverint, coluerintque Ethnici? Placet hic ea de re procul omni amore atque odio paucis disserere.

Veram virtutem sic definit S. Aurelius Augustinus de Civit. Dei lib. V. *cap.* XII. *num.* 4. Neque enim, *inquit*, est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est: *ad Deum nempe verum, cujus consortio plene beati esse possumus.*

Summum aliquem Deum omnes gentes agnoverunt, agnoscuntque hodie; quod qui negat, in veterum juxta ac recentiorum nationum historia hospes plane est & peregrinus. Præclare Huetius lib. II. *Alnet. cap.* I. *initio.*

Deum esse, supremam videlicet rerum omnium causam, principium atque finem, tam aperte, tamque constanter credidit ac prædicavit omnis retro vetustas, tantoque consensu in eamdem conspirant sententiam universæ gentes, ut naturæ vox esse videatur.

Deum esse principium, medium, finem *omnium docuere Pythagorei, ut testatur præter alios Servius in Virg. Ecloga* VIII. *v.* 75. *ad illud*, numero Deus impare gaudet: juxta Pythagoreos, *inquit*, qui ternarium numerum perfectum summo Deo assignant, a quo INITIUM, & MEDIUM, & FINIS est. *Idipsum tradit Jamblicus: eadem Proclus, ceterique Platonici, multisque disserit sæpe Porphyrius. Agnoscit hoc idem Huetius & loco superius laudato, & cap.* 2. *ejusdem libri* §. 19.

Felicitatem nostram in unione cum summo Deo olim postquam hinc discesserimus positam esse, eamque esse virtutis præmium, disserit ex instituto Plato in Phædone: docuere Pythagorei omnes, in primis Porphyrius περι αποχης εμψυχων: *docuere Poetæ usque ab Homero, qui He*[illegible]*as in conviviis apud Jovem oblectari, ac virtutis merito, canunt. Tradidit idem Aristoteles in Metaphysicis. Idipsum integro capite exponit & copiose Huetius eodem in opere ac loco cap.*XXIV. *Addamus hic Theocriti insignem versum ex Id.*17.

Εκ Διος αρχωμεσθα, και ες Δια ληγετε Μοισαι.
Ab Jove incipiamus, & in Jovem desinite Musæ.

Nullum opus Græcos Latinosque veteres cœpisse, nisi a Deo, pluribus veterum ac consentientibus testimoniis ostendit Everardus Feithius Antiquitatum Homericarum lib. I. *cap.* VII. & *Feisserus Antiq. Græc. lib.* I. *cap.* 2. *quos vide. Operi se accingentes* Θεος, Θεος, *Deus, Deus! exclamare solebant. Pythagoræ lex est in Carm. Aur. v.* 48.

Ερχευ επ' εργον θεοισιν επευξαμενος, ad opus accede, cum Deos precatus fueris. *Arabes omnes nihil nec magni, nec parvi momenti adgrediuntur, nisi precati*, Bish-Millah, in nomine Dei: *cum vero se expediverint*, Almandi'llah, *clamant*, laus Deo. *Universal History vol.* XIV. *cap.* I. *pag.* 67. *edit. in* 8.

Hæc facta sunt, eaque delibavimus ex infinitis. Dicet aliquis, veram virtutem coluere igitur Ethnici? Hæc altera quæstio est.

Fa-

Facta sic se habent, ut diximus, idque doctissimis antiquitatum testantibus. Sed quominus virtutem veram colerent duo in primis fecere: nam & veri Dei cultui (cui ego haud scio quo in loco templum posuerint unquam) infinitam Deorum Dearumque turbam & quasi lupanar adsociaverunt; & cum virtute ita pessimos affectus vanitatis, gloriæ, superbiæ, terrestris utilitatis junxere, ut illum finem, ad quem vera virtus contendat necesse est, perdidisse ex oculis videantur. Iniqui sunt in veteres & ineruditi qui priora illa facta, dictaque pernegant: in christianos vero late injurii, qui postrema hæc inficiantur. Quæ quum sint, rite recteque dicetur, primos, qui veram virtutem homines docuerint, atque ab omni corporis, corporearumque rerum impuritate abjunctam, solisque cælestibus intentam, fuisse christianos. Utinam servavissemus integram!

Quo melius autem id demonstrem, quod contendo, pauca ex Romanis Græcisque exempla promam, quos constat plurimum virtute sese jactare solitos; ostendamque, quam falsa virtutis specie decepti fuerint vel ipsi qui maxime celebrantur. Metellum fama æquabili & inviolata *fuisse scribit Sallustius in Jugurtha:* magnum & sapientem virum fuisse comperior, tanta temperantia inter ambitionem sævitiamque temperatum. *Neque tamen minus hic vir & Jugurtham proditione potius sodalium, quam aperto bello captivum habere studuit; & Mario adeo propter adeptum consulatum infensus fuit, ut coram aspicere non sustinuerit. Sed Jugurtham, rigidioribus virtutis cultoribus Afris, quam Romanis, in potestate habere non potuit. Id tamen perfecit Marius Sullæ artibus, postquam videlicet Bocchum adfinem fœderatumque, metu, promissis, corruptisque per scelus amicis in partem traxisset. Marium interea virum appellat omni virtutum choro exornatum; quippe cui inerant* industria, PROBITAS, militiæ magna scientia, animus belli ingens: domi modicus, libidinis & divitiarum victor: tantummodo gloriæ avidus, *Egregiam vero gloriam, hostem, quem justo bello vincere nequeas, proditione amicorum opprimere. Sed quæ illa probitas? Ad Romanorum nempe expressa exemplum. Tacitus Ann.* III. 26. Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur: & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. *Neque in his Metellus, neque Marius.* At postquam exui æqualitas, & pro modestia ac pudore, ambitio & vis incedebat, provenere dominationes . . . . . Nam sequutæ leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum, & apiscendi inlicitos honores, aut pellendi claros viros, ALIAQUE OB PRAVA, PER VIM LATÆ SUNT. *Hac forma cusi Metellus & Marius, ceterique illustres Romani: in ea Civitate, in qua avaritia, & ambitio in omnem libidinem, probra, flagitia, incendebant.*

Augustum magnum fuisse virtutum cultorem, earumque merito

vito inter Deos relatum , constat ; quo tamen homine truculentiorem habui unquam neminem, nec magis fœdum vanumque. Equiti Romano , quem quod in adversis partibus militasset morti tradiderat, precanti, ut honos sepulturæ concederetur , paratum, inquit, sepulcrum , vultures . Idem patrem cum filio confligere coegit, atque interficere se mutuis impiisque vulneribus . Suetonius in Augusto .

Germanicum delicias fuisse Romanorum prædicant : neminem eo clementiorem scribit Tacitus . At quo sensu aut ore depugnantibus Romanis adversus Arminium tam clementis Principis vocem accipiemus? Insisterent cædibus : nihil opus captivis : solam internicionem gentis finem bello fore . Jamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris : ceteræ ad noctem cruore hostium satiatæ sunt . *Tacit.* II. *Ann.* 21. *Hæc crudelia . Idem cum suspicione veneni a Pisone & Plancina præbiti moreretur, adsistentes amicos hunc in modum adloquutus fertur .* Si Fato concederem, justus mihi dolor etiam adversus Deos esset , quod me parentibus , liberis , patriæ , intra juventam , præmaturo exitu , raperent . Nunc scelere Pisonis & Plancinæ interceptus , ultimas preces pectoribus vestris relinquo : referatis patri ac fratri , quibus acerbitatibus dilaceratus , quibus insidiis circumventus miserrimam vitam pessima morte finierim . . . . Flebunt Germanicum etiam ignoti : vindicabitis vos , si me potius , quam fortunam meam fovebatis. *Quæ nec pia sunt, nec magnanima . Sed ex illo tamen Romanorum modulo ; penes quos* agere & pati fortia , *nihil fuit aliud vel ab urbe condita , nisi* agere & pati iniqua , scelesta , flagitiosa , impia .

Vespasianus civilis fuit & clemens , *ait Svetonius* , ut neque cæde cujusquam unquam lætatus , justis suppliciis illacrymaverit etiam & ingemuerit . *At magnus fuit lucri belluo & imperii depopulator :* non enim contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse , nova & gravia addidisse , auxisse tributa provinciis , nonnullis & duplicasse ; negotiationes quoque vel privato pudendas exercuit . . . . Creditur quoque procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere , quo locupletiores mox condemnaret ; quibus quidem vulgo PRO SPONGIIS dicebatur uti. *Svetonius in Vespasiano . Hunc principem, patriæque patrem , & non potius infestum toti imperio latronem dixeris? Atque talis est tota illa jactata Romanis probitas, πρὸς τι nempe .*

Jam vero Titus Vespasiani filius generis humani amor salutatur . Ausonius .

Expers civilis sanguinis, orbis amor

nempe Romanus , & Romæ , & eo tempore , quo , ut ait Tacitus , corrumpere , & corrumpi , sæculum *vocabatur . Audiamus Svetonium* . Præfecturam egit aliquanto incivilius & violentius : siquidem suspectissimum quemque sibi , submissis , qui per theatra & castra quasi consensu ad pœnam deposcerent , haud cunctanter

op-

oppreffit. *Eſt hæc videlicet Titi clementia! Quid vero illa?* Præter fævitiam fufpecta in eo etiam luxuria erat, quod ad mediam noctem comeffationes cum profufiffimo quoque familiarium extenderet. Nec minus libido propter exoletorum & fpadonum greges . . . . fufpecta rapacitas, quod conftabat in cognitionibus patris nundinari præmiarique folitum. *O generis humani delicias! Depravati autem: cui quid aliud præter fœditates placeret?* Sed his Imperator bellum indixit. *Metu nempe, & quia utilius, non ulla probitatis oblectatione, nec vero generis humani amore; quo qui tangi ejuſcemodi mortales poſſint, ignoro. Amorem ajunt philoſophi eſſe* τον θεων υπηρεσιαν, afflatum ac remigium Deorum: *a Dei igitur amore auſpicemur neceſſe eſt, ſi juſti, probi, honeſtique eſſe volumus: namque amor Dei, amor eſt ordinis univerſi, ac æternæ legis; ex quo amor exſiſtit generis humani, ac virtus denique omnis. At illi aliis incitamentis ſeſe ad virtutem incitavere, privata videlicet aut publica utilitate, ac* gloriæ *præſertim cupiditate. Nam ego nec in Ariſtotelis libris, quos ille de moribus ac virtutibus plures ſcripſit, nec in* Ciceronis de officiis, *quos deoſculamur omnes latine docti, ejus amoris, univerſique finis, veſtigium ullum aut volam vidi unquam, tametſi ſæpe, eamque ob cauſam, oculatiſſimus perlegerem. Illa vero* gloria *quid tetrius? Nam neminem ego eſſe opinor, qui triumphos Romanorum legens, non animo infrendat, totuſque horreat.*

Eadem dici poſſunt & de Græcorum probiſſimis, non modo vetuſtis Legislatoribus, ſed ipſis philoſophis (vix equidem Platonem & Zenonem exceperim) quorum obſcœne, aut inique facta, & crudeliter, tota Græca celebrat hiſtoria ab Homero ad Plutarchum. Enimvero Minos, Lycurgus ac Solon, quibus Numam quoque addo, ne ipſis quidem Græcis plene probantur. Minos metuens ne fœminæ nimium Cretæ prolificarent, quo viros ab uxorum complexibus ſejungeret, pæderaſtiam intulit, quemadmodum Ariſtoteles & Strabo, luculenti in primis auctores, teſtificantur. Lycurgus μιαρον κρυπτιας εργον, nefandum cryptiæ opus, *ut vocat Plutarchus, legibus ſtatuit. Erat autem ejuſcemodi. Selecti Lacedæmoniorum ad duo millia, perque agrum ſparſi, cryptis ſeſe abſcondebant, vitæque Ilotarum, qui nempe rei agrariæ operam dabant, inſidiabantur, necique dabant, metu ne in immenſum excreſcerent, eoque illuſtri facinore celebrabantur. Equidem non ignoro id factum ad poſteriora tempora conari Plutarchum referre: ſed me Plato movet, movet Ariſtoteles, qui Lycurgo tribuunt. Solon iniquo adverſus Megarenſes bello legislationem inceptavit; quod cum Athenienſes tergiverſarentur, inſaniam ſimulavit, ſurenſque in foro vociferabatur,*

Ιωμεν ες Σαλαμινα μαχησομενοι περι νησου
Αισχος απωσομενοι . . . . . . *ideſt*.
Eamus in Salamina, infulamque bello oppugnemus,
Vetus opprobrium depulfuri . . . . . . *Laertius in Solone*.

 Nam-

Nempe id æquius, quod fortius. Ea virtus.

Idem a Cretensium pæderastia haud admodum fuit alienus, quod satis aperte insinuat in Solone Plutarchus, proœmio. Sed & fuit alicubi in legibus satis durus, præterque naturam. Siquidem ejus lex est, qui civitatis princeps in ebrietate cubare repertus sit, capital esto. *Græca sunt apud Laertium*, τω αρχοντι αν μεθυων ληφθῃ, θανατον ειναι την ζημιαν. *Amo ego idcirco perdite Lucianum, qui nec taciturno Pythagoræ, ac a cognatis fabis abstinenti, nec verecundi oris Platoni, nec sancto, si Diis placet, Socrati, nec rigido Zenoni, nec ulli veterum fama virtutis & sanctitatis celebri pepercit, quominus velut insignes generis humani impostores corruptoresque vere lepidissimeque ac propalam incesseret, non intendendo vera, neque calumniis, sed expromta dictorum factorumque historia. Deosculor & Aristophanem, qui multus multo sale ac vetusta libertate Socratem, reliquosque philosophos in Nubibus perfricuit.*

Sed enim & Christiani, loco etiam & officio conspicui, ipsique interdum antistites ac cælestium rerum procuratores & magistri, haud sæpe fuere meliores, quod nostra docet historia. Non ego abnuerim: nec tamen ex regula publicaque approbatione. Hoc dictamus, ut nos nullius malefacta, dictaque, seu iniqua & immania, seu fœda ac flagitiosa palpando probaverimus, nec legibus cohonestaverimus; quod illi fecere, paucos si demas audacissimi pectoris, eoque aliis causas struxerunt perniciei; neque vero palpones tantum, sed aliquando Philosophi historicique, ipsique interdum Legumlatores. Cujus rei causa in promtu est: qui enim Diis, quos venerabantur, homines probiores fuissent? Qui æquiores humanioresque? Qui minus flagitiosi? Deorum vero Græcorum, Latinorumque, quippe qui e Græcis expressi, inique aut impie facta, aut flagitia, si quis petit, copiosum habet enarratorem Homerum, veteresque adeo Tragicos. Sed enim δικασπολον ȣρανιδησι, jura dantem cælitibus *Jovem vocat Callimachus (in Jov. v. 8.) Quin Homerus Reges ipsos Terrestres jura & leges ab eo hausisse scribit Iliad. A.* 138. *Æschylo* in semetipso jura habere dicitur *Jupiter*, παρ' εαυτῳ το δικαιον εχων, *Prom. v.* 286. *Plutarcho videtur non Jovi adsidere justitia*, αλλ' αυτος δικη, και θεμις, sed ipse esse justitia & fas. *Hæc & alia cum plures alii, tum præsertim Ezechiel Spanhemius ad Callimachum loco laudato congessit.* Ego *versatam inter doctos Ethnicos aliquam summæ divinitatis notionem haud abnuerim. De populis hic discepto. Ecquem Jovem coluere? Ipsi Poetæ ecquem laudibus celebraverunt? Dictæum, an Lycæum ignorat Callimachus: nempe ubi natus, eductusque. Patrem, matremque indigitant: antra monstrant, quibus innutritus. At, semper est Jupiter, & immortalis: boat Homerus* το Θεοι αιεν εοντες. *Scilicet fine carentes, non initio. Quid quod initium & finem habere Jovem ipsum asserit Sophocles apud Clem. Alex. Strom.* v.:

. . . . κεινος γαρ (*Jupiter*) εχει τελος ηδε και αρχην.

Nam ille & finem habet. & principium. *Idipsum ostenderat* Eve-

Evemerus. Deum *inquit Vellejus*, nisi sempiternum intelligere qui possumus? *Utique non possumus : ωτχυτως αειν εχειν Deum*, eodem semper se modo habere, *scribit in Timæo Plato*. *Divinitus*. *Hunc, amabo, coluere Attici, aut Græci ulli? Hunc Latini?* Per partes coluere, *ait Seneca*. Unius supremi virtutes secuere. *Hoc philosophus. A populo hoc vellem dictum. Nihil me hujus philosophiæ docent templa : nihil patriæ religiones : nihil hymni, precationesque. Contraria omnia personant theatra. Qui docuissent Poetæ, quod populus aut ignoraret, aut exsecraretur? Naturæ quadam voce summa constituitur divinitas. Annuo. Audire tamen hanc vocem oportet : mentem habere, ut ajunt Pythagorici, Platonicique, defæcatam. Habuere gentes? Id ipsi negant philosophi. Probat idipsum vexata eam ob rem identidem philosophia. Nam qui theismum profiteri sunt ausi paullo apertius, Anaxagoras, Socrates, Aristoteles, aliique, aut exilio aut ultimo supplicio affecti. Sed hæc supervacanea sunt iis, qui res vetustas vel summis labellis degustavere. Ad extremum addo, me intelligere non potuisse, qui veteres Græci in lupos eos verti opinarentur, qui apud Jovem Lycæum in Arcadia victimarum humanarum carnibus vescerentur, ut ait in* VIII. *de Rep. Plato : qui vero immolarent summo Jovi ac trucidarent, non modo homines, sed pios & sanctos? Ab hisce igitur solidam veramque virtutem expectem? Deos primum eam honorasse doceant. Quam si ibi conspurcarunt, impii futuri fuissent, qui coluissent; Deorum quippe dissimiles.*

Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde, *quod cum ejuscemodi flagitia puderent philosophos, allegoriis tegere studuere*.

O miseras hominum mentes, o pectora cæca!

LIBER ALTER

Quemadmodum ex legibus naturæ hominum officia ducantur.

§. I. UOD Stoici καθηκον , id Cicero officium dixit. Stoicis autem officium eſt *id , quod cur factum ſit , probabilis ratio reddi poteſt* , quemadmodum refert Laërtius Lib. 7. n. 62. Quæ definitio & propria eſt & vera , ſi nomine *rationis* intelligamus hoc in loco , quæ ex primis legis naturæ notionibus naſcitur . Nam officium nihil aliud revera eſt , niſi quod humanarum actionum norma faciendum , aut omittendum docet . Quare officium facere eſt ex regula vivere , ei obtemperare ; facere vero contra officium , eſt extra regulam proſilire , aut contra agere . Qua ex definitione intelligitur, officium ad actiones tantum liberas pertinere, non etiam ad neceſſarias : nam actiones tantum liberæ ipſæ per ſe ac *immediate* lege morali gubernari poſſunt . Officiorum partitio commodiſſima eſt in ea , quæ quiſque Deo , tum quæ ſibi , tandem quæ aliis debet . Quæ aliis debemus item bipartita ſunt, nam aut ex jure perfecto debemus , quæ a nobis vi exigi poſſunt , & *officia juſtitiæ* dicuntur, aut debemus ex jure imperfecto , ſeu caritate generis humani , quæ vi ſubjecta non ſunt , & *humanitatis vel beneficentiæ* appellantur. Sed officia juſtitiæ ad duo quoque genera ſpectant : nam alia ſunt *abſoluta*, alia *hypothetica* . Abſoluta ſunt ea , quæ ita ex lege naturæ profluunt , ut nullum humanum inſtitutum , aut pactum , aut factum ſupponant. Conditionata vero, quæ locum non habent , niſi poſt ſtatuta humana , pacta conventa , facta . Ergo hæc tractatio ita inſtituetur , ut principio agamus de natura actionum humanarum

&

& conſcientia, ac libero animi arbitrio: ſecundo de officiis erga Deum: tertio de officiis erga nos ipſos: quarto de officiis erga alios humanitatis & beneficentiæ: quinto de officiis erga alios abſolutis: ſexto de officiis erga alios hypotheticis: ſeptimo de natura, & origine ſocietatum, & civitatum, deque officiis in ſocietate obtinentibus. Ita autem agemus, ut capita potius officiorum indicaturi ſimus, quo intelligant adoleſcentes, quemadmodum ex naturæ lege vivere oporteat, quam ut rem longe lateque diffuſam, ac immenſis voluminibus prægravatam, plene hoc libello comprehenſuri ſimus (*a*).

CAPUT I.

De natura actionum moralium, tum de conſcientia, libero arbitrio, & imputatione morali.

§. I. LEx moralis, ſeu naturalis, ſeu poſitivâ, eas primum, ac per ſe hominis actiones ſpectat,

(a) *Quanquam ego ſic æſtimo, magno fuiſſe eos generi humano nocumento, qui morum doctrinam, quæ plana eſſe debet, & in medio omnibus expoſita, otioſe commentando, non infiniti tantum operis reddidere, ſed dum quiſque ſua magis tueri ſtudet, quam communia, perplexam, & lubricam: qua ex re factum, ut plerique crediderint, dum nihil non defendi poſſe viderent, omni ſe eſſe jure & officio exſolutos, niſi quantum placuerit. Igitur veteres Legumlatores ſapientiores fuere; quippe qui paucis præceptis, ſed quotidiana & longa diſciplina, mortales moderandos ſuſcepere: at hi dum ingenio luxuriantur, omniaque diſceptationibus turbant, nihil reliqui ſancti ac juſti fecere. Ita vetuſtæ gentes eo fuere ſanctiores, ac juſti & honeſti obſervantiores, quo ab his laſcivientium philoſophorum ſcholis remotiores: naturam non diſputando, ſed ſentiendo diſcebant; eoque ſectabantur incorruptius, quo minus per factiones ſcholarum ſevocabantur; eratque illis inconditum horridumque prætextu ingenii vetera ac ſacra movere, ac in diſquiſitionem adducere, numine ne aliquo Dei humana gubernantur, an nullo? Jure ne aliquo ac juſtitia homines tenentur? homines ne hominibus, an belluæ, nati ſumus? Necare cognatos licet, adulterare, ſcortari, prædare, rapere, dellubere, in rebus, veluti ſtirpes homines ab hominibus haberi: fallere, circumducere, blandicellis verbis mentiri; quæ hodie docti coronant.*

ctat, quæ *humanæ* dicuntur, ideſt *quæ* ab intellectu, & voluntate hominis libera confluunt, non etiam mechanicas, quæ naturæ ſunt animalis & corporeæ, quæque libertati non ſubſunt, niſi *oblique*. Motus ſanguinis e. g., cordis, arteriarum, aliique pure machinarii, tum quæ *paſſiones* dicuntur, ſeu *ſenſationes*, ac impreſſiones primæ naturæ animalis, aut ab objectis externis excitatæ, aut a cauſſis mechanicis nobis intrinſecis erumpentes; ſeu primi naturæ animalis impetus, amoris, iræ, metus &c., imperio libertatis noſtræ minime ſuapte natura & immediate ſubſunt; neque idcirco ſunt *actiones morales*, aut in cenſum *officiorum* veniunt. Dixi autem actiones quoque mechanicas, & ſenſationes ac affectus *oblique* libertati poſſe eſſe ſubjectas, quod ſcilicet plurima poſſit circa eas libertas noſtra; ſeu agendo, ſeu omittendo. Ceterum tunc non illæ proprie legi morali ſubjiciuntur, ſed potius eæ voluntariæ actiones, aut omiſſiones, quas circa illas agimus, aut omittimus. Ita reſpiratio, qua vivimus, mechanica eſt; quæ ſi a cauſis item mechanicis impediatur, ita ut hominis mors ſequatur, nihil eſt ea in re, quod crimini verti poſſit: contra, ſi voluntarie ſpiritum cohibeamus, ut emoriamur, noſtri ſumus homicidæ. Primus amoris, aut iræ impetus ſæpe pure mechanicus eſt; ſed multa libere efficere poſſumus, aut omittere, quibus illi affectus excitari, aut cohiberi poſſint: quæ ſi fecerimus, aut omiſerimus ex regula, officium egimus: ſi contra, deſertores ſumus officii.

§. II. Intrinſeca autem actionum moralium principia, quibus nimirum illæ humanæ ſunt dicunturque, ſunt *intellectus*, & *voluntas* libera, ſeu electio. Ut enim actio ſit humana, & moralis, utque jure poſſit imputari, ſeu in bonam, ſeu in malam partem, neceſſe eſt ut & intelligatur, & libere agatur: alterum ubi deeſt, mechanica potius, quam humana & moralis eſt. Igitur quæ ex ignoratione, aut coactione fiunt, quin ejus ignorationis, aut coactionis cauſæ fuerimus liberæ, ea nec crimini, nec virtuti imputari poſſunt.

§. III. Intellectus in actionem influit *conſcientia* actionis, & legis. Libertas *electione* libera, ſeu proæreſi,

con-

consilio (*a*). Ea ratiocinatio syllogismus est; & tribus semper absolvitur, *lege*, *definitione actionis*, *&* *sententia*. Lege continetur propositio: definitione actionis assumptio: sententia vero complexio. E. G. *Nemini quidquam malefaciendum* (Ea lex est, quæ in omni conscientiæ ratiocinio veluti fax quædam prælucere debet) *alterum autem criminari est ei malefacere* (hæc actionis est definitio & constitutio, quæ est necessaria ut actio possit cum lege conferri): tum sequitur sententia, *ergo alterum criminari lege vetatur*. Hæc autem ratiocinatio tum dicitur conscientia, quum, ut dixi, versatur circa proprias actiones, aut omissiones: quod si circa actiones, aut omissiones aliorum instituatur ab iis, qui res humanas moderantur, *imputatio* dici solet, qua scilicet collata alterius actione cum lege, concludimus, illi aut legis pœnam deberi, quia legem violavit; aut laudem, vel præmium, quia legem viriliter observavit: qua de re paullo post uberius dicemus.

§. IV. Conscientiæ plurimas fecere Philosophi partitiones. Ac bonam quidem vocant eam, a qua quis absolvitur: malam vero, a qua damnatur. Vocant antecedentem, quæ de actionibus nondum editis ratiocinatur, quæ nonnisi in bonis, & sapientibus inest: consequentem, quæ ratiocinatur de actionibus jam editis, qua depravati quoque homines utuntur, saltem quousque conscientiam *cauteriatam*, ut appellant, non contraxerint, quod consuetudine peccandi fit. Jam conscientia antecedens vel docet actionem ex lege faciendam, vel abstinendum ab actione, utpote contra legem, vel esse permissum agere, aut cessare. Priorem *instigantem* appellant, alteram *revocantem*, tertiam *admonentem*.

§. V. Porro conscientia vel recta est, vel erronea.

 Quum

(a) *Hinc Græcis* βυλη, *unde est nobis* voluntas, *utrumque simul significat*, *rationis consilium*, *&* *electionem*, *quasi* βυλευμα. *Itemque verbum* βυλευω, *unde Latinis* volo. *Nam quod Homerus initio Iliados vocat* Διος βυλη, *id dicitur Catullo* voluntas cælitum, *Carm.* 11.

Quum enim conſcientia ſit ratiocinatio de bonitate, aut malitia actionis ex lege; ſi propoſitio, aut aſſumptio, aut complexio fuerit falſa, conſcientia dicetur erronea: ſi vero omnia fuerint vera, vocabitur recta. E. G. ſi quis ita ratiocinetur: *amor proximi exigit, ut errantes occidam: Publius autem errat; ergo occidere debeo*. Falſa enim eſt propoſitio, quum *errantis pœna ſit doceri*, inquit graviſſime Plato: quare conſcientia eſt erronea. Poteſt autem quis errare, aut circa legem, aut circa jus, aut circa actionem, ſeu factum. Et in lege quidem aut unam legem pro alia traducens, aut non juſtam legis extenſionem animo comprehendens; aut legem antiquans. Error juris eſt, cum aut plus, aut minus, juris nobis, vel aliis attribuimus, aut diverſum ab eo, quod revera competit. At in facto errare poſſumus multipliciter, ſeu ponentes quod non eſt, ſeu quod eſt tollentes, ſeu unum pro alio accipientes. Error juris difficilior eſt, quam facti: nam facti natura ex infinitis propemodum circumſtantiis pendet, quas difficillimum eſt omnes ſemper inſpicere & in numerato habere. Ex quibus intelligitur, ut quis habeat conſcientiam ſemper rectam, quatuor potiſſimum requiri. Primum, ut leges omnes morum calleat: ſecundum, ut ſciat juſtam legum extenſionem dimetiri; tertium, ut pernoſcat jura: quartum, ut ſciat facta cognoſcere, perpendere, & cum legibus comparare.

§. VI. Eſt enim conſcientia vel certa, vel probabilis. Certa exſiſtit ex clare cognita lege, ejuſque extenſione, atque clare & diſtincte definita actione. Id non ſemper obtineri poteſt: nam etiamſi leges perfecte teneantur, incidunt tamen plerumque caſus difficiles, in quibus nec legis extenſionem omnem comprehendimus, nec actionem ob multiplices circumſtantias ſcimus definire. Plerumque etiam officia collidi videntur, quo quis æſtimare poſſit alterum alteri adverſari, ut quid facto ſit opus non clare pervideamus. In his caſibus ſi nihil ex neutra parte clare appareat, conſcientia eſt *dubia*: ſin plus ex alterutra, *probabilis*. Conſcientia autem dubia, quum dubium ex frivolis

causis est, *scrupulosa* appellari solet.

§. VII. Est autem hoc in loco animadvertendum, probabilitatem in scientia morum, aut *intrinsecam* esse, aut *extrinsecam*. Illa ex fontibus hujus scientiæ propriis nascitur, legibus nimirum vel naturæ, vel divinis positivis, vel humanis: hæc ex auctoritate Doctorum. Si actio ex suis principiis liquido fluere videatur, idest si clare cum lege videatur consentire, aut ei adversari, conscientia certa est: si non videtur clare, sed videtur tamen aliquo modo, est intrinsecus probabilis: si nullo modo actionem cum lege comparare potes, sed id ab aliis accipias, probabilitas est extrinseca. Hæc posterior probabilitas ab intrinseca illa pendet, nec ulla esse potest, ubi nulla est probabilitas intrinseca: neque enim aliam ob rationem Doctores nos permovent, nisi quod iis & leges perspectas planeque cognitas, & actiones accurate definitas, & cum legibus collatas supponimus. Quæ si in illis desunt, quemadmodum in pluribus desunt, nulla esse potest eorum auctoritas. Id animadvertere eos oportet, qui ex cœnosis potius rivulis, quam ex puris fontibus morum regulas depromunt. Philosophus in principia justitiæ, & honestatis inquirere debet, in hoc a vulgo distans, quod totum ex aliorum auctoritate pendet. Neque enim qui de moribus & officiis scripsere aut eam legum peritiam adhibuere semper, quæ erat necessaria; aut sinceram semper morum regulam præ oculis habuerunt; ac fuere quidam, qui tempori, sectæ, vulgi judiciis, propriis affectibus, aut utilitati interdum serviverunt. Hinc factum, ut in tantam opinionum non modo varietatem, sed perversitatem quoque pervenerimus, ut, quod ille dixit, *nec remedia, nec vitia pati possimus*.

§. VIII. Præterea conscientia dici solet *libera*, quum nullo affectuum impetu, nulla prava cupiditate, nullo pravo habitu impeditur in ratiocinando de bonitate, vel malitia actionis: *minus vero libera*, si ex aliqua superiorum causarum turbetur: quarum conscientiarum illa aptior est officiis intelligendis, & discernendis, quam ista: *male enim judicat omnis corruptus ju-*

judex, ait noſter ille. Quare viro probo curandum eſt, ut liberam ſemper, quoad natura humana ſinit, conſcientiam habeat: dici enim vix poteſt quantopere turbata conſcientia juſtitiæ & honeſtati diſcernendæ officiat, idque nobis ſæpe pro honeſto & juſto oſtendat, quod e re noſtra eſt, non quod ex regula (*a*). Dicitur quoque conſcientia *dormitare*, quum animus officio ſuo minus eſt intentus. *Cauterio uſta* appellatur, quum nihil de honeſtate, aut turpitudine actionum ſollicita eſt, qualis eſſe ſolet in iis, qui conſuetudine malefaciendi habitum contraxere. Tandem dicitur *expergefieri*, quum quis ad ſe, & officia ſua demum redit. Ex his, quæ dicta ſunt, patet jam, quæ ſit conſcientia *tranquilla*, aut *remordens*, vel *inquieta*, qui ſunt conſcientiæ, ſeu proæreſeos, effectus. Atque hæ fere ſunt conſcientiæ partitiones.

§. IX. Quæri hoc in loco poteſt, an conſcientia ſit regula morum? Regula morum eſſe debet *certa*, *recta*, *& conſtans*, alioquin ne actio quidem humana, quæ ad illam regulam exigenda eſt, certa, recta, & conſtans erit. Hujuſmodi autem regula nequit eſſe niſi ſola lex, & quidem divina, aut quæ ex ea, velut ex exemplari, diducta eſt; quia ſola Dei ratio certa eſt, recta, & conſtans. Sed quoniam lex ope conſcientiæ actionibus applicatur, inde factum eſt, ut conſcientiam recentes Theologi vocaverint *immediatam* morum regulam, legem vero *remotam*. Id vero ſic intelligendum eſt, ut conſcientia informata a lege, ac recte ratio-

(a) *Id vero dictitabant Stoici, qui ratione agenda ſapienti omnia, non παθήμασι, affectibus præcipiebant; ſolumque iſtiuſmodi ſapientem liberum eſſe. Quos qui ita accepere, ut ſentire affectus non oportere ſapientem traducerent, eorum perverterunt doctrinam. Amorem, inquiunt illi, perſentiſcet ſapiens: perſentiſcet odium, iram, metum, voluptatem, dolorem, totumque inferiorem appetitum. Sed hunc plebejum tumultum arcebit a ſede rationis, quum juſtum ne ſit aliquid, an injuſtum, honeſtum, an turpe judicare opus eſt. At hoc effregere præceptum noſtri ſæpe Caſuiſtæ, qui naturæ imbecillitates, quibus curandis tributa eſt lex, aut privatas utilitates in jure dicundo conſuluere judices, quorum exempla nemini ignota eſſe poſſunt, proferenturque a nobis, cum occaſio juſſerit.*

ratiocinans pro morum regula, si ita loqui placeat, habeatur: exploratum enim est, conscientiam erroneam, stupidam, corruptam, dubiam, non posse haberi pro regula, nisi omnia scelera licita efficere velimus. Nullum enim est scelus, quod non aliqua corrupta conscientia probet, ut præclare prorsus dixerit Seneca, *nullam esse fœditatem sine suo amatore, nullum errorem sine patrono* (a).

§. X. Quid? inquit aliquis, agere ne licet contra conscientias? Non certe licet; sed inde minime fit, ut conscientiæ officiorum nostrorum prima regula esse possint: nam ne contra conscientiam quidem erroneam agere licet; nec vero quisquam dixerit, conscientiam erroneam esse actionum nostrarum normam. Ac quod non licet quidquam agere, quod cum honestatis aut justitiæ conscientiis pugnat, aut pugnare videtur, id non a conscientiis est, sed a lege, quam conscientiæ præseferunt. Quare etiam ubi conscientia erronea est, ei adversari est contra officium facere: quia est videntem ac prudentem legem oppugnatum ire; quia in censum venit non lex, quæ non est, sed legis, quæ esse videtur, contemptus, adversus quam nunquam esse animatum licet. Quare sectandæ quidem sunt conscientiæ, seu potius lex, qua conscientiæ informantur, sed accurate & studiose perquirendum est, utrum rectæ, nec ne, sint.

§. XI. Quæritur item, quid agendum sit cum conscien-

(a) *Sæpe conscientia ita educatione, publicisque moribus informatur, ut illum naturæ sensum, ac ingenitos animo justi & honesti igniculos, suffocet, atque a natura desciscat. Satis id & gentium superstitiones, & inique aut turpiter facta, quæ pro justis honestisque habuere, demonstrant. Quid magis impium, quam homines, quibus servandis nata est religio, ad aras velut pecudes mactare? At id tota tellus pium sanctumque duxit. Quid iniquius, quam vicinas remotasque gentes Deorum, ut ajunt, immortalium imperio exscindere, aut spoliare, & in servitutem adducere? Id item totum fecit olim hominum genus, facitque etiamnum. Quid turpius, quam commodare uxores, aut ingenuos παιδεραστεῖν? At illud sanxit Lacedæmone Lycurgus, hoc Athenis Solon, uti auctor est gravissimus Plutarchus in* Lycurgo, *&* Solone.

ſcientia probabili? Repetamus hanc doctrinam paullo altius. Nemo ignorare poteſt, niſi ſit omnino ſtupidus, hominem naturæ ipſius dictamine certum tenere debere ad finem ſuum iter, ſiquidem illud occurrat inquirenti perdiligenter: quod ſi poſt accuratam, & ſedulam diligentiam adhuc lateat, idem rectæ rationis dictamen exigit, ut in dubio pars tutior eligatur; in probabilitate vero probabilior, velut fini ſuo propinquior: eam regulam in ceteris humanæ vitæ negotiis homines natura ipſa inſtigante ſectantur. Enimvero qui in dubio viam minus tutam, aut in opinione minus probabilem ingreditur, is dupliciter peccat: nam & legem contemnit, & de fine ſuo parum eſt ſollicitus. Eam ob rem omnes controverſiæ, quæ ſuper probabilitate præterito ſeculo a magnis alioquin ingeniis excitatæ ſunt, magis ex pugnandi prurigine, partiumque ſtudio, quam ex veritatis amore natæ mihi videntur. Itaque niſi probabilitas minor ſit ea, quæ legi favet, eam ſequi, ubi adeſt major, eſt haud dubium proterve legum jugum excutere velle: homines imperio Dei perduelles efficere; aut cum imperante ſupremo tranſigere velle, partemque uſurpare imperii. Itaque flagitioſum eſt, & ſceleratum, cum ejuſcemodi criminum pellacias nec Ariſtoteles, nec Cicero æquis auribus audiant, in ſcholis tolerari chriſtianorum (a).

§. XII. Ex iis, quæ dicta ſunt, facile intelligitur, quænam ſint actiones *imputabiles*, & quibus imputari poſſint. Nempe eæ actiones ſunt imputabiles, quæ humanæ ſunt, ideſt quæ & intelliguntur, quales ſint, & ex

(a) *Quanquam ea altiorem habent, ac æque indignam cauſam. Nam quæ ſola lege definita eſſe oportuit, ea principio homines quidam mero conſenſu interpretum definivere. Ita antiquata quodammodo lex. Deinde cum nemo alteri facile ingenio ceſſerit, pro legum auctoritate, provenere ſcholæ & interpretum certamina, queis tuendis, legis immemores, enixe incubuere. Poſtremo pro cujuſque amore aut odio, ſigniferorum celebratæ ſententiæ, etiamſi interdum aperte iniquæ, aut turpes. Ita a morum diſciplina excivimus. Quibus acceſſit hominum prave tuentium ſtudium & ſecta, atque hinc privatum ſcholarum emolumentum, queis etiam magna ingenia pertentantur.*

& ex libertate fiunt. Eæ si legi sint conformes, justæ, bonæ, honestæ dicentur: si vero contrariæ, malæ, injustæ, turpes, ac proinde sanctioni legis obnoxiæ. Statim enim ac quis legem violavit, pœnæ legis subditus fit, quam subire oportet, nisi legislator clementissime indulgeat. Quocirca, ut actio imputetur, duo imprimis sunt necessaria, *summa legis peritia*, ut scilicet ejus extensio tota animo comprehendatur, nec verba tantum teneantur, *sed vis & potestas*, ut Jurisconsultus ait; & *accurata facti cognitio quoad omnes ejus circumstantias*. Sed quoniam quædam sunt, quæ efficere possunt, ut actio in genere quidem sit humana, non vero in specie, idest in genere sit imputabilis, non vero in specie, ob adnexas scilicet circumstantias; paullo distinctius ea de re disserendum est.

§. XIII. Principio nemini imputatur actio, aut omissio, si quis aut egit, aut omisit ex ignorantia, vel errore involuntario: nam ea actio, aut omissio humana esse nequit, nec æquum est actiones, aut omissiones non humanas imputare. Dixi autem *ex ignorantia*, aut *errore involuntario*, quod esse potest quædam ignorantia, ac proinde quidam error voluntarius, quum legis, tum facti. Nimirum ignorare ea, quæ officii est scire, voluntaria legis ignorantia est. Ea ergo efficere vetita, aut omittere præcepta, nemo potest, quin actio, aut omissio imputetur. Quod ut intelligatur, animadvertendum est, quædam esse officia omnibus communia, quædam vero quorundam statuum propria. Officia omnibus communia ego habeo generalia, quæ spectant aut Deum, aut nos ipsos, vel alios, ut homines: officia vero propria sunt particularia, quæ spectant status quosdam ac personas naturæ advenientes, qualia sunt officia Principis, Patris, Senatoris, Pastoris, cetera. Quod pertinet ad prima officia, in iis, quod ad prima saltem capita, non videtur cadere posse ignorantia omnino involuntaria: prima enim legis ac juris naturalis capita recta ratio, insitusque sensus omnes condocet, quemadmodum superius demonstratum est. Contra vero in consequentiis quibusdam ex primis illis capitibus provenientibus, in

qui-

quibus major perſpicacia exigitur, hujuſmodi ignorantia locum habere poteſt aliquem. In officiis vero particularibus ignorantia eos tantum excuſare poteſt, qui in illo ſtatu voluntate ſua non ſunt conſtituti: nam ſi in eo ſtatu voluntate ſua poſiti ſint, nullo modo officii ſui ignorantia eos contegit: quandoquidem inter prima officia ejus ſtatus eſt ea ſcire, ſine quibus perſona ejus ſtatus geri non poteſt. Itaque Senatores, Patresfamiliæ, Paſtores, Doctores, aliique quodcumque munus gerentes, non excuſantur, ſi in eo munere adminiſtrando ex ignorantia peccent: eſt enim hujuſmodi ignorantia voluntaria. Sed & neminem excuſare poteſt ea ignorantia, quæ *vincibilis* appellatur, ideſt quæ non adfuiſſet, ſi ea diligentia adhibita eſſet, quam homines prudentes in ceteris vitæ negotiis adhibere ſolent: hanc enim diligentiam Legislator efflagitat in iis, quibus leges dat: hominibus enim dat, non ſtirpibus. Quare ii *hominem de homine tollunt*, ut ait Cicero, qui ignavia peccata tegi docent.

§. XIV. Præterea nemini imputari poſſunt actiones cum cognitione alioquin factæ, ſed tali cognitione, quæ omnem libertatis uſum prævertit, niſi eas evitare in poteſtate noſtra fuit. Ita motus affectuum adverſus legem, iræ, timoris, amoris, aliorum, qui dici ſolent *primo primi*, quique licet non naſcantur, niſi ex objectorum perceptione aliqua, tamen motu magis mechanico, quam deliberatione voluntatis peraguntur, non ſunt imputabiles, niſi aut quum iis cauſam libere dedimus, aut, quum evitare potuiſſemus, libere omiſimus. Prioris partis hujus propoſitionis ratio eſt, quia liberi non ſunt; nec æquum eſt, ut quod in poteſtate noſtra non eſt agere, vel omittere, voluntati noſtræ imputetur. *Nemo*, inquit Auguſtinus, *peccat in eo, quod nullo modo cavere poteſt*. Alterius vero partis, quia licet *non in se*, ſaltem *in cauſa*, ut loquuntur ſcholæ, ſunt liberæ: quodcumque enim cavere potuiſſemus, ſi non fecimus, libere voluimus. Scilicet eadem legis vis, quæ vetat quidquam, aut præcipit, ea vetat quoque aut præcipit cavere ea, quæ adverſus legem ſollicitant, incitantque, quæ niſi caveas, legem deſpicis, ac irrides.

§. XV.

§. XV. Ad idem genus actionum pertinent eæ, quæ ex diuturnis habitibus proficiscuntur. Hujusmodi actiones plerumque machinariæ sunt, quia habitus quasi alteram naturam conficiunt. Quare si omnem operam dederimus pravis habitibus extirpandis, nec dum profecerimus, actiones illæ erumpentes, naturæ magis sunt, quam arbitrii, adeoque minime imputabiles. Ceterum si habitus fovemus, aut exuere negligimus, tantum abest ut illæ minus imputentur, ut magis etiam multo sint imputabiles. Nam habitus pravi aut neglecti aut foti majorem legis injuriam continent, quam singulares actiones pravæ, quæ ab habitibus non proveniunt: magis enim vitium in eodem genere est habitus, quam actus: nam ille, non hic, efficit, ut tota nostri natura cum regula pugnemus.

§. XVI. Quæret hoc in loco quispiam, quid censendum sit de actionibus invitis, & coactis? Actiones invitas appellamus eas, quas metu majoris mali agimus, ut quum servus ne occidatur ab hero suo, alterum occidit ex heri imperio: aut quum nauta, ne mergatur una cum mercibus, merces in mare projicit: actiones vero coactas eas, quæ ita a nobis proveniunt, ut ipsi earum non causæ, sed instrumenta simus, veluti si quis mea manu alterum feriat, vel si me urgeat, quo alterum impellat. Actiones invitæ, dici possunt *mixtæ*: eæ enim nec plene liberæ sunt, nec omnino mechanicæ: itaque imputabiles sunt, licet aliquam quandoque indulgentiam mereantur. Atque hujusmodi fere sunt pleræque, quæ ex vehementibus affectionibus peraguntur. Ceterum distinguendum est inter actiones, & omissiones. Actiones lege prohibente vetantur: Legis autem prohibentis hæc est natura, ut obliget omni tempore, & loco, quod dicunt *semper*, *& ad semper*: at omissiones lege præcipiente: Legis vero præcipientis natura est, ut datis occasionibus obliget, non vero *semper*, *& ad semper*. Itaque actiones mixtæ, seu invitæ, de quibus loquimur, contra legem prohibentem, semper imputantur: nulla enim tam gravis causa esse potest, quæ nos, nisi velimus, ad nefas impellat. Nos igitur egimus; ut si iniquum, vel ne-

farium

farium fit, quod egimus, velut fi fervus confervum jugulet, ne ab hero occidatur, inique ac fcelerate egimus. At omiffiones invitæ contra legem præcipientem excufari poffunt, fi fcilicet gravis quædam caufa occafionem locumque agendi diftulit, velut fi quis mihi mortem minetur, fi alteri periclitanti fuccurram: jure enim abftinere poffum; quia vis illa minarum locum fuccurrendi quafi perimit. Præterea aliud eft contra jus agere, quod nunquam licet; aliud juris tributionem differre. Innocentem interficere eft contra jus agere; periclitanti non fuccurrere, ne ipfi periclitemur, eft in pari cafu nobis potius confulere, quod lex non vetat. Sed actiones coactæ nullo pacto imputari poffunt: neque enim a voluntate noftra ullo modo pendent, ut morales dici poffint. Quod fi a coactione quidem cœperint, progreffu vero voluntariæ evadant, tum de iis, veluti de moralibus, ftatuendum eft.

§. XVII. Sed cui imputari poffunt? Nempe caufæ aut *phyficæ*, aut *morali*, fcilicet ei, qui aut ipfe per fe aliquid egit, aut omifit adverfus legem: aut ut ageretur aut omitteretur effecit, feu imperio, feu auctoritate & confilio, feu exemplo, feu neglectu fui officii. Illud animadvertendum eft, plerumque actiones aut omiffiones adverfus legem plus caufæ *morali*, quam *phyficæ* imputari, ut quum actio aut omiffio plus intelligentiæ & voluntatis, id eft plus moralitatis habuit in caufa *morali*, quam in *phyfica*. Nam, ut præclare ait Paullus l. 53. ff. de Furtis, *maleficia voluntas & propofitum delinquentis diftinguit*. Quo modo imperia eorum, qui plurimum poffunt, efficiunt, ut inde acta aut omiffa per eos, quibus, ut Tacitus inquit, *obfequii gloria relicta eft*, plus imperantibus, quam adminiftris imputentur. Ita plurima plerumque populorum crimina, aut delicta Rectoribus magis imputantur, quam iis, qui ea aut agunt, aut delinquunt. Nam quoniam totus focietatis civilis ordo, ac proinde legum obfervantia, ab ejus moderatoribus nafcitur; fieri vix poteft, ut quum illi officio fuo defunt, cetera ordinata fint & pacata: faciliufque reperies fapientem Rempublicam in turbata Civitate, quam tran-

quil-

quillam & bonam Civitatem in Republica aut somnolenta, aut nefaria.

§. XVIII. Diximus ut imputare alicui quis recte quidquam possit, requiri & perfectam legis scientiam, & plenam facti cognitionem, quæ sunt nunc perpendenda. Quod spectat ad primum, ut dicatur quis habere perfectam legis scientiam, satis non est, ut verba legis teneat, sed ut vim, animum, finem. Nam si quis plenissime legis verba observet, finem vero violet, legem quoque violasse, ac *circumvenisse*, ut ait Ulpianus, censendus est. Contra autem ubi quis finem legis observaverit, utcumque contra legis verba egisse videatur, legem observavit. Liberaliter scilicet lex interpretanda est, non serviliter. Hæc certa sunt. Interea cavendum est judici, ne nimis interpretando totam vim legis infringat, quod sæpe fit ab iis, qui ex jecinore magis suo sapere volunt, quam ex scientia legum. Atque hinc factum est, ut quædam Resp. sanxerint, ne ulla esset judicibus interpretandi facultas, existimantes lenius peccari ignorantia, quam pravitate.

§. XIX. Jam ut finis legis dignoscatur, primum omnium in causas ejus legis impulsivas inquirendum est. In legibus humanis id obtinetur ope historiæ legum, & earum rerum, quæ quoquo modo leges spectant. Itaque nemo sine cognitione civilis historiæ se ad rectam legum interpretationem pertingere posse confidat. In divinis legibus scriptis historia sacra adhibenda est, atque præterea cognitio naturæ Dei, & hominum: inde enim illarum finis dignosci potest. Legum naturæ finis præcipuus est, nostri beatitudo: eo enim omnes tendunt: quemadmodum finis legum civilium est salus publica, seu civitatis conservatio, & tranquillitas. Ex his ergo finibus singulæ leges interpretandæ sunt, ut quantum quis, & quatenus adversus legem fecerit, intelligi possit.

§. XX. Præterea necesse est imputanti, ut justam extensionem legis comprehendat, ne aut contra voluntatem Legislatoris plus quam par est, legem coarctet, aut æquo justius provehat. Extensionem legis partim ex ejus fine, partim ex aliis causis impulsivis, partim

ex vi verborum discimus. In primis autem necessaria est germana verborum intelligentia : ex eorum enim constitutis notionibus magnum legi lumen accenditur. Vide quæ super ea re adnotavit Pufendorffius de Offic. Hom. & Civ. Lib. I. Cap. ult., ibique Everardus Otto. Agnovere id Jurisconsulti Romani, qui idcirco *de verborum significationibus* diligenter pertractavere. Ad facti plenam cognitionem consequendam ejus circumstantiæ omnes distinguendæ sunt, personæ scilicet, status, loci, temporis. Singulæ enim facti circumstantiæ actionis naturam commutare possunt. Vide ut super ea re disputat Heineccius Lib. I. de jur. natur. & gent. cap. 4. Qua autem ratione adhibendæ pœnæ, & quatenus, id a nobis commodius disputabitur.

CAPUT II.

De officiis erga Deum.

§. I. AMplissima est hæc tractatio, præsertim si Philosophus, quod omnino oportet, se Christianum quoque esse meminisse velit. Sed summa nos capita attingemus, elementorum angustiis, ut dixi, impediti. Fundamentum officiorum omnium, quæ Deo debemus, est hoc, JUS DEI DEO TRIBUE INCORRUPTE, AC IMPOLLUTE; quippe qui ab eo conditi sumus, & conservamur; quod is supremus sit nostri dominus; quod bona omnia animi, corporis, fortunæ ei accepta referre debeamus; quod ab eo tantum veram beatitudinem sperare possimus. Itaque fit, quod alias dictum est, ut primam, & perfectissimam ei amicitiam & servitutem debeamus, eaque omnia officia, quæ ex ea amicitia & servitute proficiscuntur. Officia autem isthæc uno *pietatis* & *religionis* nomine appellantur, quæ complectitur amorem, timorem, fidem, spem, obediendi propositum, invocationem, gratiarum actiones, & quæ his sunt affinia.

§. II. Sed quoniam, ut præclare disputat Lactantius, *non potest religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni; quia idem Deus est, quem scire opor-*

oportet, quod est sapientiæ; & idem, quem colere, quod est religionis; prima officia hominis circa Dei cognitionem versari debent, ut nempe intelligat, Deum esse æternum, independentem, simplicissimum, incomprehensibilem, omnipræsentem, unum, intelligentem, sapientissimum, omniscium, futurorum etiam præscium, omnipotentem, liberum, veracem, justum, optimum. Nisi enim hæc intelligat omnia, perpetuoque secum animo verset, & sibi firmissime persuadeat, in officiis suis erga Deum deficiat necesse est. Quare perspecte idem Lactantius eodem Lib. 4. *prius est*, inquit, *Deum scire: consequens colere*. Agnoverunt idipsum Ethnici Philosophi. Seneca Cap. 95. *Primus est*, inquit, *Deorum cultus, Deos credere: deinde reddere iis majestatem suam, reddere bonitatem.* Et Epictetus in Enchiridio cap. 38. *Religionis erga Deos immortales præcipuum illud esse scito, rectas de iis habere opiniones* (a). Vide & Platonem lib. 4. de legib.

§. III. Primum ergo omnium oportet, ut homo, veræ pietatis cultor, secum constituat, primarium in religione officium esse intelligere Deum esse, idest æternam, incorpoream ac præpotentem Mentem, mundi hujus architectricem, creatricem, moderatricem; & in ejus attributa diligentissime inquirere, in ea potissimum, quæ majorem rationem habent cum creaturis rationalibus, omissa subtili eorum inquisitione, quæ intellectum magis exercere possunt, quam animum ad pietatem formare: deinde pervidere, quæ ex iis attributis consectaria practica ad vitæ honestatem & sanctitatem pertinentia consequantur, ut ita scilicet secundum relationes, quas natura nostra cum Deo habet,

(a) *Illud difficile dictu est, ecquas justas de supremo naturæ auctore notiones habuerint, qui tam nefanda de minoribus prædicabant. Nam ab his aut iniquis, aut flagitiosis & obscœnis, quæ Diis, Deabusque attribuerunt, tota illa gentium prostitutio nata est. Dictum est sæpe, dicamque iterum, nulla in gente mores meliores esse possunt, quam ii sunt, quos in divis venerantur, seu homines vitam ex Deorum ingenio finxerint, seu, quod verius puto, humana transtulerint ad Deos, quo impunius iniqui, scelesti, fœdi essent.*

idest divinæ naturæ juribus convenienter, vivere possit. Et ad cognitionem quidem Dei, ejusque proprietatum duplici via ire possumus, *naturæ*, & *revelationis:* dupliciter enim ad homines Deus loquitur, via *naturæ*, qua primum loqui cœpit; unde est illud Psalmistæ, *Cœli enarrant gloriam Dei*; & *via prophetica*, qua tum usus est, cum altera pravitate morum obducta erat. Imprimis Philosophi operam dabunt scrutandæ rerum naturæ, ejus scilicet investigantes pulchritudinem, magnitudinem, ordinem, rerum singularum fines, & usus, ex quibus Dei sapientia, potentia, bonitas, præscientia intelliguntur. Quocirca studium Historiæ naturalis, Physicæ, Astronomiæ, tum & Historiæ humanæ, cum summa hac utilitate conjunctum est, ut nos de natura Dei instruat, atque ad officia adversus eum formet. Hanc partem Theologiæ naturalis præclare persequuti sunt Derham, & Niewentitius, pluresque alii huius ævi Physici.

§. IV. Conjungat porro Philosophus Christianus cum hoc studio Scripturæ quoque sanctæ studium, earumque rerum, quæ studio illi sunt necessariæ. Ac in eo studio non cognitionem tantum theoreticam consectetur, nec, si muneris sui non sit, in Bibliorum dumeta ingrediatur, sed practicam potissimum, historiam, exempla, præcepta, toto animo complectatur: neque enim aliunde copiosius, & explicatius divina voluntas, quæ officiorum nostrorum prima est, & suprema regula, patescit, quam ex literis divinis; quippe quæ non ob aliam rationem hominibus datæ sunt, nisi ut brevitatem, & imbecillitatem mentis nostræ sustinerent, & perficerent, *ut perfectus scilicet esset homo Dei ad omne opus bonum instructus*, ut loquitur Paulus Apostolus: ut *in verbis Dei cor Dei scrutaremur*, quemadmodum monet Gregorius Magnus.

§. V. Qui vero naturæ perscrutandæ pares non sunt, ii saltem studium Scripturæ divinæ continuent, in primis Evangelii, seu vitæ & doctrinæ Jesu Christi. At qui neutrum facere possunt, eos audire ex naturali officio debent, qui divinas hujusmodi veritates ex utroque fonte depromtas prædicant. Quicumque autem

hoc

hoc primarium erga Deum officium transgrediuntur, ii si ex ignorantia in ceteris, quæ ex eo pendent, peccent, crimini ea ignorantia vertitur, quum sit voluntaria & *vincibilis* : nam ejus, quod scire officium est, ignorantia, voluntaria semper est; & *vincibilis*, quæ modica etiam diligentia evitari, quemadmodum superius demonstratum est. Velim hoc auditoribus suis doctores, & ovibus pastores sæpe ac serio prædicent: est enim honestæ ac sapientis vitæ principium.

§. VI. Jam vero nullum est Dei attributum, ex quo non aliqua & magna officia hominis adversus eum deducantur. Ex. gr. ex immensitate seu omnipræsentia Dei illud in primis proficiscitur officium, quod ad omnem vitam honeste transigendam vim habet plurimam: scilicet quoniam nos perpetuo sub oculis Dei versamur, in cujus conspectu *ne Angeli quidem sunt mundi*, ut loquitur Jobus, non decet nisi puros & sanctos esse. Quod si inter leges paganæ Theologiæ illa præcipue celebratur a Cicerone Lib. II. de Leg. *ad Deos caste adeunto*; quam repetunt sæpe Seneca, & Juvenalis; quanto nos puriores esse decet, qui in veri, & potentissimi Numinis conspectu, hujus rerum universitatis creatore & gubernatore, perpetuo vivimus? Socrates parens ille philosophiæ moralis inter Græcos, quum templum intraret, hac precatione utebatur: *o Pan, atque cetera Numina, quæ hic adestis, date quæso ut intus pulcher efficiar*.

§. VII. Præterea ex immutabilitate Dei nascitur in nobis certissima promissorum spes, si ejus legibus conformem vitam duxerimus. Scilicet mutari Deus nequit, ut de spe in illum diffidere possimus. Itaque Paullus Apostolus quum dixisset, se vitam secundum decreta evangelica egisse, addit: *post hæc reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus judex*. Ex ejus quoque sapientia, & providentia nascitur interna illa animi quies & confidentia in sapientissimum nostri gubernatorem, quæ nos in adversis mirifice solatur, quæque in iis hominibus esse nequit, qui eo dementiæ, & impietatis devenerunt, ut aut nullum esse Deum suspicentur, aut nullam habere re-

rum humanarum procurationem ; quorum idcirco tota vita ſtulta , fortuita , & miſerrima ſit neceſſe eſt .

§. VIII. Ex omniſcentia , & omnipotentia exſiſtit item juſtus timor , & cautio ne occulte quidem peccandi , quod occulta etiam , etiam cogitata animi , aperta ſint , & nuda oculis ejus . Ex juſtitia ut timor peccandi , ita conſolatio , dum injuſte ab hominibus vexamur : nullum eſt enim crimen , quod Deus aut cito , aut ſero tandem non puniat , atque temporis diuturnitatem gravitate ſupplicii compenſet . Ex imperio in omnia proficiſcitur noſtrum obſequium , & ſervitus . Juſtum enim eſt , ut in ſupremum Univerſi Imperatorem obſequentiſſimi ſimus . Ex ejus incomprehenſibilitate efficitur in nobis timor , & reverentia , dum de ejus natura , conſiliis , operibus diſſerimus , ut ne ſcilicet ultra fines ſuos vim rationis noſtræ promoveamus. Præclare dictum eſt a Platone in Timæo , *Patrem , & Opificem Mundi invenire difficile : poſtquam vero inveneris , eloqui vulgo impoſſibile* . Sed hoc ipſum corrigit S. Gregorius Nazianzenus , affirmatque multo difficilius eſſe , *Deum invenire* , *quam vulgare* . Atque idem de ceteris Dei attributis dici poteſt . Res enim incomprehenſibilis eſt Deus .

§. IX. Secundum hæc curanda ſunt alia officia practica . Ea ſunt aut interna , aut externa . Interna ad hæc præcipua referri ſolent , amorem , timorem , fidem , ſpem , gratiarum actionem , obediendi propoſitum , invocationem , & orationem . Externa ſunt , primum non loqui de Deo , deque rebus divinis , niſi honorificentiſſime ; atque ne joco quidem dicere male : nam quis niſi aut mentecaptus , aut impius audeat de tanta majeſtate? Secundum , omnibus ſignis externis interna illa officia manifeſtare , ut alii ad ſimilia excitentur . Tertium , veritates divinas alios ſtudioſe docere . Quartum , promovere Dei gloriam , & veram pietatem iis omnibus argumentis , quibus ejus attributa intelligantur , piis moribus , prædicationibus , ſcriptionibus : tantum , ne armis , ac terrore , quod impium eſt , & iniquum : *non eſt enim Religionis cogere Religionem* , ut ait Tertullianus . Poſteriora hæc officia practica per

ſe

se ipsa manifesta sunt; de primis seu internis paullo copiosius dicemus.

§. X. Principio Deum amare oportere, & quidem super omnia, ac purissimo amore, quoad capaces sumus, naturæ ratio omnibus dictat. Primum quia summe bonus est. Huc spectat quod Socrates dicere solebat, ipsam veritatem, & pulchritudinem, si sui vultum nobis sine velo ostenderet, incredibiles in nobis amoris flammas accensuram. Deinde, quia Deus tantum summum nostri bonum est, in cujus fruitione beati esse possimus. Præclare S. Bernardus in tractatu de statu virtutum tomo 11. *Homo*, inquit, *nec per se est, nec per se bonus est . . . . . Deus enim per se est, & per se bonus est. In eo autem, qui per se est, & per se bonus est, finis nostræ beatitudinis constituitur; ergo in solo Deo*. Quæ & Plato sæpe prædicat. Quis hic ferat Casuistas quosdam, qui nullum ipsum per se ac peculiare esse amandi Dei præceptum inculcaverunt? Quos ego impios ne, an stultos dicam, ignoro.

§. XI. Tertio, quia is nos amat, amicosque vocat habetque, ut ex tot, quæ in nos perenniter confert, beneficiis patet. Quocirca & tertiam hanc amoris speciem, qui est amor gratitudinis, ei debemus. Quin quum perpetua ejus sint in nos beneficia, perpetuus quoque esse debet hic gratitudinis amor. Quarto tandem, quia vult a nobis amari, cujus rei argumentum est, quod eum desiderio insito summi boni nos procreat, quo veluti naturæ quadam lege ad eum rapiamur. Quantopere autem stultum est Deo ultro amicitiam nobis suam offerenti renunciare? Præclare Augustinus Conf. lib. 1. cap. 5. *Quid*, inquit, *tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, &, nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? parvane ipsa est miseria, si non amem te?* Quum porro amari Deus nequeat, nisi de illo cogitemus; ut perpetuo est amandus, ita præcipuum cogitationum nostrarum objectum esse debet. Quare monstro simile mihi videtur, inventum theologum (Christianum ne dicam pudor efficit), qui docere potuit, sufficere homini semel in vita actum amoris Dei concipere. Frontem hominis!

§. XII. Sed amandus quoque eſt Deus propter utilitatem maximam, quæ ex ejus puro amore pro præſenti vita in omnem hominum ſtatum manat longe. Nam qui eum ſapienter & ſincero corde amant, ii & pacato animo vivunt in ſocietate humana; & honeſti, juſti, ac reliquorum officiorum obſervantiſſimi ſunt. Familias quoque honeſte, & tranquille regunt, ac publicæ rei præpoſiti populorum felicitatem ex animo promovent. Quum contra qui non amant, triſtibus curis agitantur, inquieti ſemper ſunt, omnia turbant, ſuæ tantum utilitatis amatores, invidi, maligni, atque omnium ſcelerum architecti; ut intelligamus, nihil eſſe poſſe ea republica turbulentius, in qua aut plures hujuſmodi homines procreantur, aut tales ſunt, qui publicis rebus præſunt. Quicumque hiſtoriam humanam vel primis labiis deguſtaverunt, infinita habent hujus doctrinæ exempla. Itaque Origenes in epiſtolam ad Rom. Cap. XII. perſpecte ſcribit, *ego puto, quod omnis caritas, quæ non eſt ſecundum Deum, ſimulata ſit*. Enimvero ut argumento eſt, non vere diligere Deum, qui non diligit proximum, ut diſputat Johannes in Epiſt. I. ita non ſincere, ſed ſimulate diligere proximum, quicumque non recte, nec ſincere diligit Deum. Maximum vero argumentum ſinceri erga Deum amoris eſt ſtudium officiorum, quæ nobis, quæ aliis, quæ Deo tandem debemus; totius ſcilicet juſtitiæ & honeſtatis: mentiuntur enim ii, qui Deum ſe amare profitentur, horum autem officiorum quaſi immemores vivunt; quique aut iniqui ſunt, aut inhumani, aut ſuperbi, aut avari; nam amor Dei a divinarum legum obſervantia ſeparari non poteſt, ac, ubi ſeparatur, aut falſus eſt & ſimulatus, aut prava ſuperſtitio.

§. XIII. Tum timendus eſt Deus. Duplex autem eſt timor, quo Deus timeri poteſt, *Filialis*, & *Servilis*. Filialis cum amore conjunctus eſt, & ex amore naſcitur; ſervilis vero ab amore eſt ſejunctus, & naſcitur a pœna. Filiali timore timetur Deus, quia amatur: ſervili vero, non quia veremur ut Patrem, qui nos amat, ſed quia formidamus ut Dominum potentiſſimum, qui punire poſſit ſeveriſſime. Utroque ti-

more Deus timetur utiliter, sed priore sanctius & purius: nam qui posteriore modo timet, leges quidem servat eo timore percitus, idque est profecto aliquid, præsertim in societate aliorum hominum; sed pœnam magis timet, quam culpam: qui vero timet filiali amore, culpam magis, quam pœnam veretur. Apposite B. Augustinus epist. nunc 145., olim 144., quæ est ad Anastasium data; *inimicus est*, inquit, *justitiæ, qui pœnæ timore non peccat*. Timendum autem esse Deum utroque timore brevissime demonstrari potest. Primum Deus est amandus ut bonus, ut pater, ut beneficus, ut ultimus nostri finis, quemadmodum demonstratum est: qui autem ita Deum amat, timet quidquam facere, quod ille improbet, non quia punitur, sed quia veretur eum, quem amat, lædere. Deinde quum Deus potentissimus sit, ejusque voluntas immutabilis, certa est pœna, & immutabilis, quam ille peccatoribus minatur: itaque hac etiam ratione justus est Dei timor, & non sine magna vitæ socialis utilitate. Hunc *initium sapientiæ* vocat Hieronymus in proverbia: illum sapientiam perfectam & consummatam.

§. XIV. Præterea quum sit Deus suprema ratio, atque summe bonus, & quidem immutabilis, dubitare nullo modo possumus, ne nos decipiat, ubi quidquam docet, aut promittit. Itaque si constet aliquid Deum docuisse, aut promisisse, etiamsi id minus ratio nostra assequitur, certissimum illud habere debemus, nec ullo modo de ejus veracitate, aut fidelitate subdubitare. Talis enim dubitatio nequit non esse conjuncta cum maxima Divinitatis injuria: nam ne de amico quidem æquum est quidquam suspicari, quod cum vera amicitia pugnet. Quare fit, ut certissima fides Deo præstanda sit.

§. XV. Sperare quoque in Deum hominis pii præcipuum officium est. Duabus autem partibus constat hujusmodi spes. Primum sperare debemus esse eum remuneratorem virtutum; quia Deus, qui sapientissime, & munificentissime res omnes gubernat, suum procul dubio constituit virtuti præmium, nec pro sua sanctitate, & immutabilitate potest nos deludere. Et quanquam

quam in ea nascuntur homines conditione, ut sine Dei gratia nihil mereri possint, quod ad æternam beatitudinem spectat, ut Christiana docet Theologia; Deus tamen tam bonus est, ut merita sua velut nostra coronet, quemadmodum loquitur alicubi S. Augustinus.

§. XVI. Alterum, quod sperare constantissime debemus, est, Deum pœnas ab hominibus scelestis immutabiliter exacturum: nam ut virtutem remunerari, ita vitia punire proprium est sapientissimæ providentiæ. Nec si Deus differat, aut si impios, & pravos homines cumulare bonis terrestribus videatur, minus sperandum est. Nam, ut verbis nobilissimi historici Romani utar, *consuescunt Dei immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res, & diuturnam impunitatem concedere*. Cæsar de Bel. Gall. Lib. I. Cap. XIV.

§. XVII. Obsequium erga Deum nascitur ex supremo ejus jure, ac dominio in omnia: correlata enim sunt dominus & servus, dominium & servitus. Tria autem complectitur hoc obsequium. Primum diligentem inquisitionem divinarum legum, quoad cujusque indoles, & status patitur: videri enim potest contemni Legislator ab eo, qui negligens est in ejus legibus addiscendis. Secundum legum istarum amorem, & vitam secundum eas institutam in timore: non enim obsequens Deo est, qui eum noscit tantum, sed qui secundum leges ejus vivit: *non qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris, qui in Cælis est*. Itaque desertores ego officii sui habeo eos omnes, *qui*, ut idem Christus servator noster docet, *longas orationes orantes*, quod reliquum est nihil verentur, lingua, manu, consiliis ceteros vexare, turbare, misere afflictare, idque, si superis placet, humanitate & caritate moti (*a*). Tertium

(a) *Subit hic animum illud divinitus a Chrysostomo dictum hom.* xv. *ad popul. Antioch.* Audi Deum in mandatis, ut te audiat in precibus. *Græca si quis malit, sunt*, Ακȣσον τȣ Θεȣ εν ταις εντολαις, ινα σȣ αυτος ακȣση εν ταις ευχαις.

tium obedire Deo magis, quam hominibus, quippe qui ſupremus eſt noſtri dominus, cui Reges omnes obediant oportet, *& ſub quo incurvantur qui portant orbem*, ut loquitur Jobus.

§. XVIII. Invocandus quoque Deus eſt, non quaſi ignoret, quid nobis ſit uſus, ſed duas præcipue ob rationes; tum quia id eſt argumentum noſtri erga illum obſequii; tum quia ita animum noſtrum ejus donis excipiendis præparamus; quam rationem precum, quæ Deo ab hominibus funduntur, Platonici conſtituunt, in primis Jamblicus. Petenda autem ſunt a Deo primum omnium bona æterna; tum ea, quibus honeſte præſens vita ſubſtentetur. Monet Plato, in precibus non peculiaria petenda, ſed generatim orandum Deum; quia plerumque neſcimus, utrum quæ petimus, ſint vera bona. In quo cum dogmatibus Chriſtianæ religionis conſentit. Nam Chriſtus Dominus noſter diſerte docet ſic orandum Deum, *fiat voluntas tua*, increpatque ignorantes homines, *neſcitis quid petatis*. Porro oratio a toto quidem homine facienda eſt, ſed mente magis, quam corpore; non enim oratio eſt, quæ labiis tantum fit, non etiam corde: quia homo non corpus eſt, *ſed animus rationis particeps*, *corpore utens*, ut præclare ait Plato. Itaque veteres Chriſtiani Patres orationem eſſe ajunt, mentis ad Deum elevationem, & *divinarum rerum ac legis meditationem*, ut vocat Pſalmiſta, & *colloquium cum Deo* (a). Quare Auguſtinus ait, Chriſtum orationem, quam *Dominicalem* vocamus, verbis quidem docuiſſe, ut ſeſe noſtro intelligendi modo adaptaret, ſed animo tamen & mente peragendam. Egregia ſunt, quæ ſuper hac re diſſerit in duobus aureis libris *de ſermone Domini in monte*. Legi quoque meretur Moralis Chriſtiana Floriotti.

§. XIX. Tandem quum beneficium, & gratiarum actio ſint inter ſe correlata, ut illo poſito, & hæc ſequatur oportet; nos vero perpetua a Deo beneficia accipiamus; perpetuas illi gratias agere debemus, & ut

(a) *Chryſoſt. hom.* XXX. *in Gen.* η ευχη διαλεξις εςι προς τον Θεον. *Clemens Alex. Strom.* VIII. ὁμιλια προς τον Θεον.

ut animum humilem, ac gratum testificemur, & ut nos dignos conservemus, quibus Deus bona sua cumulatius impertiatur. Pertinent ad actionem gratiarum etiam externa quædam signa grati animi, præsertim in Civili societate. Quo illud spectat Evangelii, *sic facite opera vestra bona, ut videant vos homines, & glorificent Patrem vestrum &c.* Ita enim alii ex aliorum exemplo componimur. Itaque recta ratio Deo sacrificandum præcipit, non quasi terrestrium rerum indigeat, sed in argumentum nostræ adversus illum servitutis, qua omnes concuti plurimum *in societate refert*. Veterum gentium maxima pars quum solius corporis sensu, & voluptate bona perpenderint, Deoque non cælestem, *sed humanum tribuerint sensum, terrena bona Diis suis offerebant, illis necessaria, & grata credentes esse, quæ nobis*, quemadmodum observat Lactantius Lib. VI. Cap. II. Sed & Christiana doctrina, & naturalis ratio æque dictant, non hæc terrena bona, sed animum innocentem, & *incoctum generoso pectus honesto* Deo propalam atque in hominum consortio sacrificandum. Præclare idem Lactantius eodem loco Cap. I.: *nihil sancta, & singularis Majestas illa ab homine exigit, quam solam innocentiam*. & Cap. II. *hæc est*, inquit, *religio cælestis, non quæ constat ex rebus corruptis, sed quæ virtutibus animi, qui oritur e Cælo. Hic verus est cultus, in quo mens colentis seipsam Deo immaculatam victimam sistit*. Quid autem caussæ fuisse dicemus, cur Deus in veteri lege animantium sacrificia præceperit? Censet Theodoretus, hæc sacrificia non fuisse apud Judæos præcepta, sed permissa tantum, ne Hebræi, qui inter gentes idololatras in Ægypto educati erant, & terrenarum rerum sacrificiis assueti religionem sine ullis externis symbolis, quod rudes agrestesque homines efficere parati sunt, desererent (a). Ac vero difficile est, nisi tota humana natura

(a) *Theod. quæst.* I. *in Levit. Idem docet Epiphanius hæresi* 66. *Chrysostomus quoque hom.* 166. *tom.* V. Concessit Deus, *inquit*, *Judæis* ab initio sacrificiorum cultum, ουκ αγαπωμενος ταις θυσιαις, αλλα βουλομενος αυτους απο του ελληνισμου αποσπασαι, non

quod

tura commutetur, hominem, cujus major pars ſenſus eſt & phantaſia, ſola intelligibili religione Deo devincire: ipſe enim ſuapte natura ad ſenſum & phantaſiam ſtatim dilabitur. Quanquam & alterum extremum cavendum eſt, ne ejus rei cauſa tota cruſta ac ſine medulla religio evadat, qualis Ethnicorum ſuperſtitio fuit, quos idcirco Apoſtolus *Atheos* appellat (a). Sed & fuere ſacrificia illa Hebræis præcepta veluti ſymbola ſacrificii Chriſti, quod ſæpe memorat Paulus Apoſtolus. Pertractat hanc quæſt. copioſe Johan. Spencerus *de legibus Hebræorum ritualibus*.

CAPUT III.

De Officiis Hominis adverſus ſeipſum, ac primum de iis, quæ cum toti homini, tum corpori debet.

§. I. EX iis, quæ in ſuperiori libro demonſtrata ſunt, conſtat, lege naturæ nos obligari ad noſtri amicitiam, cuſtodiam, & culturam; ut idcirco quidpiam voluntarie efficere nequeamus, quo deterior noſtra fiat natura, aut ea ſcientes & prudentes negligere, quæ ad noſtri cuſtodiam, & culturam ſunt neceſſaria, quin violatæ legis naturalis apud Deum ac homines ſimus rei, ac propterea a noſtri felicitate longe aber-

quod delectaretur ſacrificiis, ſed eos hac ratione volens a Gentiliſmo abſtrahere. *Vide & Juſtinum in Dialogo cum Tryphone, & Hieronym. in cap.* 1. *Eſaiæ. Veterum populorum ſacrificia oblationes fuere rerum inanimarum, ut oſtendit Porphyrius* de abſtinentia. *Diſerte id cavit Numa Romanis, ut ſcribit* in Numa *Plutarchus. Hinc mores ſimpliciores minuſque truculenti. Invectis vero victimis ac mactatione animantium crudeliores evaſere, homineſque ipſos immolaverunt.*

(a) *Ita appellat* Epheſios *cap.* 2. *v.* 12. *Vide Clem. Alex. in Protreptico. Theodoretus Therapeut. ſerm.* III. *tom.* IV. *Haud illi ſoli habendi ſunt Athei, qui penitus dicunt Deos non eſſe*, αλλα και παμπολλους μεν Θεων, ſed & qui multos Deorum ordines fabulati ſunt. *Quin ipſos quoque in Atheis habet, qui* εις πολλα το Θειον, in multa numina *Deum unum partiuntur. Oecumenius Atheum habet quemcumque qui* εξω της εντολης του ευαγγελιου, extra præcepta Evangelica *vivit. Com. in* II. *Joan. ep. Quod aliquanto durius videri poteſt: ſed habet ſuum verum intellectum.*

aberremus, quæ solius sapientiæ & virtutis effectus esse potest, ut miseria ignorantiæ & vitii. Enimvero præterquam quod nemo est tam rerum humanarum insciens, quem id latere possit, quod cujusque natura docet, & conscientia; quodcumque ex superioribus systematibus, quibus *principia* legis naturæ *cognoscitiva* constituimus, complecti placet, demonstrari perfacile potest, hominem sui culturæ, & perfectionis negligentem legibus naturæ adversari, atque recta in miseriam ire. Nam si Grotii placuerit systema; intelligetur, societatis solicitum esse non posse, qui sui curam negligit. Si vero Pufendorffii, deducet quilibet aperte, se ex naturæ lege sociabilem præstare debere, & propterea sui perfectionem curare. In Cumberlandi vero systemate cura partis; ejusque benevolentia & amicitia necessaria est ad curam, benevolentiam, & amicitiam totius hominum generis. Id ipsum dictum esto de systemate Heineccii. In systemate Wollasthoni, quoniam naturales rerum relationes sectandæ sunt; relatio vero naturalis, quam nobiscum habemus; amicitiæ est intimæ ac primæ; sequitur debere esse nobis amicos, ac propterea perfectionem nostram curare. At in systemate Wolfii a nostri cura & perfectione tota naturæ lex explicatur (a).

§. II. Videbitur fortassis alicui superfluum esse ea de re

(a) *Postremo lex illa naturæ generica*, jus suum cuique tribuere, *& nostra nobis tribuenda docet: perabsurdum enim fuerit nos e numero hominum subtrahere; cumque justi humanique adversus alios simus, in nos esse & iniquos, & immanes. Quanquam haud ego facile existimaverim jura aliorum servare eum posse, qui sua aut stulte, aut ferociter violet; neque quemquam hominem cum hominibus esse posse; qui primum secum esse non didicit. Quin ab ejuscemodi fonte si quis totam eam iniquitatem, immanitatemque qua alicubi gentium sævitur, derivari prædicet, is mihi rem acu tetigisse videtur: nam quidam sunt nondum homines: alii, quum plusquam homines esse superbissime voluerint, humanitatem omnem exuerunt. Caligulæ vox fuit & atrox, & stulta*, omnia mihi licent (*Sveton. in Calig. cap.* 29.). *Jovi scilicet humano nihil magis in natura sua placebat, quam* ἀδιατρεψία, *immitis animus ac pertinax, nulloque fœdere humanitatis ceteris hominibus sociatus. Vide Plat. lib.* v. *de leg. O Pulchra!*

re præcipere, quum a natura ipsa ad nostri tutelam & perfectionem rapiamur, quod nobis cum omnibus animantibus commune est. Statim enim atque animalia nata sunt, ut sint, & bene sint, a natura incitantur, sibique commendantur. Non ego id diffiteor. At quoniam in eo ut nos ex recta ratione amemus, & perficiamus, idest ut nobis amici simus, peccare facillime possumus, peccamusque frequentissime; accurate id, si quidquam aliud, efficiendum est, hoc est ex certis, & immutabilibus regulis. Perspecte Seneca *de Vita beata* Cap. I. *vivere*, inquit, *omnes beate volunt: sed ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant: adeoque non est facile consequi beatam vitam, ut ab ea eo longius quisque recedat, quo ad illam concitatius fertur, si via lapsus est.*

§. III. Duplex habet objectum nostri studium, & cultura. Primum vitam hominis animalem, ac bona, quæ hujus vitæ sunt propria, eique transigendæ necessaria: alterum mentem, & ea, quæ ad mentem, idest vitam rationalem, pertinent. De prima cultura in hoc capite differemus, de posteriore in sequente. Vita hominis animalis posita est in unione mentis & corporis, atque in earum facultatum exercitio, quæ corpore velut instrumento exercentur. Quod igitur ad hanc vitam pertinet, consideranda sunt. I. vita ipsa: II. ejus finis: III. exercitium eorum actuum, quibus is finis obtinetur: IV. instrumenta actuum hujuscemodi: V. usus bonorum, quibus hæc vita ducitur. Super quibus ea nunc sunt paucis præcipienda, quæ ex lege naturæ derivantur.

§. IV. Ac principio vitæ hujus nemo dominus est, ut ad arbitrium projicere eam possit. Quum enim proficiscatur ab unione mentis & corporis, cujus caussa Deus est, a Deo immediate est. Qui non nostra sponte huc venimus, sed summi imperatoris jussu, qui eo injussu abscederemus? Itaque aut vi abrumpere, aut gladio, laqueo, veneno, præcipitio finire, aut neglecta cura abjicere, velut inedia, aut ignavia adversus pericula, aut ejuscemodi interituum causas struere, est supremam Dei legem violare, ac adversus il-

lum

lum esse perduellem. Præclare prorsus Plato in Phædone, *in custodia*, inquit, *quadam positi sumus, neque decet quemquam ex ea seipsum solvere, neque ausugere*. Et Lactantius Lib. III. Cap. 14. *Sicut*, inquit, *in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti.*

§. V. Quamobrem probari nullo modo potest, quod apud veteres quosdam populos fieri solitum fuisse legimus, quodque fit etiam nunc apud barbaras nonnullas gentes, ut quum ad eam ætatem quis provectus fuisset, in qua aliis inutilis, sibi gravis esset, ipse sponte sua præsidia mortis sibi arcesseret, veluti apud Indos; quod, præter alios, retulerunt Strabo Geographus, & Curtius de rebus gestis Alexandri; apud Taprobranenses, de quibus Diodorus Siculus Lib. III. Cap. 58. atque apud alias nationes, quarum exempla produxit Pufendorffius de jur. natur., & gent. Lib. II. Cap. 2. Porro quis probet inhumanam eam legem, quæ extitit apud Cæos, *ut majores sexaginta annis aconito vitam finirent, quo reliquis cibaria sufficerent?* Huttentotti incolæ *capitis bonæ spei* senes labori & vitæ sustentandæ ineptos tuguriis claudunt, relictis paucorum dierum cibariis, quibus assumtis pereant necesse est, ut retulit Kolbi in ejus loci descriptione. Quin referunt viatores quidam, apud gentes Americæ Borealis, quas *Exquimaux* vocant, usu obtinere, ut Patres familiæ, postquam nimirum ad decrepitam ætatem pervenere, liberis parricidium imperent, liberosque quasi pro sui officio parere. Sunt hæc inhumana & barbara & natura pugnantia. Fatum præstoletur oportet, quicumque non pro sui arbitrio hic genitus est; quod antevertere est indignari humanitatem. Qua in re (absit verbo invidia) servantiores naturæ legis sunt brutæ animantes, quam homines plerique. Siquidem eorum nulla, quod sciam, sibi mortem conscire audeat. At homines, quasi sublimiori loco nati, id sibi prætendunt privilegii, ut & vitam odisse liceat, & animas projicere.

§. VI.

§. VI. Sed nec illud probandum est, licere ipsum se interimere, si alias cum probro adversus Deum victurus sit, qua ratione Rabbini mortem Samsonis excusant. Nam si invitus passus sis, nihil est, cujus jure argueris: si sponte adiisti, non morte purgandum, sed pœnitentia. Tandem ne licitum quidem esse potest se occidere ad servandam virginitatem, aut pudicitiam, quod quidam censuerunt: ut idcirco quamvis ignoscamus iis virginibus, quas legimus, ut virginitatem, & pudicitiam servarent, divino quodam impulsu se se interemisse; id tamen per legem naturæ fieri posse negamus. Minus quoque ad corpus impudice violatum eluendum, quod Lucretia Romana matrona fecisse fertur. Conferatur Beatus Augustinus Lib. I. de Civitate Dei Cap. 16. Horum omnium una ratio est, quod non liceat in nos id juris præripere, quod proprium Dei est, obligemurque diserte lege naturæ ad nostri jus custodiendum, quoad in nobis est. Cicero lib. VI. de Rep. *Nisi enim*, inquit, *quum Deus is, cujus hoc Templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest: homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc Templo medio vides, quæ terra dicitur . . . . . Quare & tibi, Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum a Deo defugisse videamini.*

§. VII. Jam illud in quæstione positum est a viris doctis & eruditis, an aut ob summam calamitatem, quæ sit morte ipsa intolerabilior, aut ob certitudinem instantis atrocissimæ, vel ignominiosæ mortis se liceat necare, naturæque fatum tantisper anticipare? Plato Lib. IX. de Legibus negat quidem ob alias causas licere sibi mortem consciscere: sed excipit hunc casum, de quo disserimus, nempe ubi quis tristi, & inevitabili fortunæ impetu cogitur. Idem docuit Cicero Lib. I. Quæstion. Tusculan. Nam postquam memorasset mortem Socratis, & Catonis Uticensis, addidit, *vetat dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demi-*

grare. Quum vero causam justam ipse Deus dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis, næ ille mediusfidius vir sapiens lætus ex his tenebris in lucem excesserit illam, nec tamen vincla carceris ruperit, (leges enim vetant) sed tanquam a Magistratu, aut aliqua potestate legitima, sic a Deo vocatus exierit. Scribit idem sæpe Seneca. Celebrat hanc ob rem Pomponii Attici excessum Cornelius Nepos in ejus vita: is enim quum sanus ac validus ad septuagesimum septimum annum pervenisset, tandem incidit in morbum, qui quum tres post menses invalesceret (*a*), neque ulla medicina curari posse videretur, inedia mori in animum induxit, idque perfecit (*b*). Hæc tanti fecit Pufendorffius ut Lib. II. de jur. natur. & gent. Cap. IV. §. 19. quæstionem in medio ferme reliquisse videatur.

§. VIII. Sed negandum omnino est. 1. Nulla enim naturæ necessitas talis ac tanta esse potest, ut id nobis imperium in nos transferat, quod Dei est proprium, quale est jus vitæ, & necis: nulla tam clara naturæ vox, quæ nobis exceptionem prædicet adversus vitæ amorem insitum individuumque. Deinde non levem id providentiæ Divinæ aut diffidentiam, aut violen-

(a) *Corn. Nep. cap.* XXI. subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit.

(b) *Nam* quum in dies dolores accrescere, febremque accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessiri jussit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumque Peducæum. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus, *quantam*, inquit, *curam, diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cum vos testes habeam, nihil necesse est pluribus verbis commemorare. Quibus quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat alere morbum desinere. Namque his diebus quidquid cibi sumsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare a vobis peto primum, ut consilium probetis meum: deinde ne frustra dehortando conemini.* Hac oratione habita tanta constantia vocis atque vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare . . . . . cum . . . . . cibo se abstinuisset . . . . . die quinto, postquam id consilium inierat, decessit. *Nep. ibidem.*

lentiam continet. Nam si Deo omnia sapientissime gubernanti in eas rerum angustias conjicere placet, quæ videantur intolerabiles; credendum est, id e re nostra esse, adeoque nullo modo licere adversari, nisi aut de sapientissima Dei gubernatione diffidere velimus, aut aperte eam violare parati simus: utrumque autem est contra officia, quæ Deo debemus, quæque sunt prima, & maxima. Tum ne fortitudo quidem est sic vitam projicere; quum fortius mala tolerentur, quam iis cedatur, ut præclare disputat Aristoteles. Id quod vetus poëta eleganter cecinit,

Rebus in adversis facile est contemnere vitam:
Fortius ille facit, qui miser esse potest.

§. IX. Interim quanquam hunc in modum vita custodienda est; mors tamen, cujus nos nec negligentia, nec vi illata, causa sumus, omnino contemnenda est, aut saltem non valde timenda: quippe quæ & finem præsentium calamitatum facit, & principium alterius vitæ beatæ in hominibus piis, & justis. Dici non potest quantopere in vita pacate ac libere ducenda contemtus mortis juvet, ac quantopere nos negligentes & pigros, atque in omnibus rebus timidos efficiat nimius ejus horror. Ut autem non valde timeatur, quotidie animo volutanda est, atque in familiaritatem adducenda. Præterea illud sæpe animadvertendum est, stultum esse expavescere, quod evitare nequeas. Sunt veterum Philosophorum dicta quædam, & facta præclara, quibus animus ad mortem contemnendam erigitur. Imprimis legenda est Oratio Socratis, quam in Phædone retulit Plato, primus Tusculanarum Tullii Liber, atque plures eandem in rem Senecæ Epistolæ. Non ignoro hanc animi fortitudinem a temperamento potius in nobis gigni, atque educatione indurari, quam ab eruditione & meditatione informari: sed scio quoque metum sæpe ignorantia & errore augeri, ut is magnam ejus partem demere possit, qui inanes caussas quasdam, quæ eum intendere aptæ sint, agnoverit.

§. X. Ac vero plures sunt, quos perturbat vulgare præjudicium, dolorum sensitivorum omnium maximum

esse, qui ex separatione corporis & animi sentiri dicitur. Inane terriculamentum: nam quum ea conjunctio nullis corporeis vinculis contineatur, sed posita sit in sola harmonia animi, & corporis a voluntate Dei pendente; ubi cessat, nullum ipsa per se sensitivum dolorem creare potest, ac proinde nullus ea in re esse potest in morte dolor, nisi mors contingat ex partium corporis violenta contusione, dilaceratione, inflammatione, constrictione, aut similibus causis. Quæ satis eorum experientia constant, qui aut lethargo, aut phthisi, aut apoplexia correpti moriuntur. Quod si quis angitur, quod necesse sit moriturum, quæcumque in hac vita amavit relinquere (qui certe dolor ille est in morte maximus), is assuescat rebus hujus vitæ utendis velut in transitu, non ita fruendis, quasi sempiternum habere possit: namque stultum est iis tuto confidere, velutque immobilia complecti, quæ non solum deficere possunt, verum aliquando debent. Tandem si perturbetur a conscientia vitæ non bene actæ, is det operam, ut præterita vitia emendet, ac virtutem perpetuo colat, ac constantissime sectetur: cetera lætus sit, & spei plenus bonæ. Hæc, dicet aliquis facilius prædicantur, quam efficiuntur. Neque ego abnuero. Sed ita fit, quod & a morum disciplina jamdudum recesserimus, & abdomini, omnique mollitudini sueverimus. Nam ego agrestes barbarosque homines constanter mori legi plurimos; nostrosque paganos labore & inopia obtritos, sæpe Catone fortiores vidi: cum in urbe luxu & deliciis diffluente, ac ubi vivere nihil est aliud, quam omnigenis voluptatibus contabescere, putrescereque, nihil vel remotissimæ etiam mortis suspicione horribilius, atque formidolosius.

§.XI. Quum constet lege naturæ obligari nos ad vitæ custodiam, quæritur quousque ea peragenda sit (*a*)? Re-

(a) *Quæsitum sæpe memini, quid facto opus esset super dubia, aut non sine periculo, medicina. Ego cum morbo comparandam atque appendendam esse censeo. Si ille certam mortem minatur, etiam dubia expediendæ salutis via tentanda; namque habet dubietas certi particulam aliquam, quæ vitæ consulit; at certa mors est. Quod si incertum sit utrumque, probabilitates velim æstimari. Si*

Regula generalis est, non teneri nos vitam tueri cum pari periculo vitæ, aut subeundo malum, quod ipsa morte sit atrocius. Primum, perire ne peream, me amicum occidere, ne occidam, tantumdem est, ac legem violare naturæ, ne violem. Deinde subire malum, quod sit morte ipsa atrocius, & nos in statum continuatæ per aliquod tempus mortis conjicere, est perpetuo perire, ne semel pereamus; ad quod lex naturæ nullo modo nos obligat; quia non potest nos ad contraria obligare. Itaque in his vitæ humanæ casibus licet patientes nos naturæ vi & imperio commodare, seu, quod dicitur, *mere passive* nos habere. Inde responderi potest quæstionibus, sumenda ne sint ægroto remedia morte ipsa atrociora? positus in statu certæ mortis teneatur ne subire periculum mortis, quo priorem statum evadat?

§. XII. Superiori regulæ addenda est altera, scilicet nos non obligari ad vitam tuendam & perficiendam supra nostras vires, aut supra cognitionem nostram; tametsi teneamur ex naturæ lege vires nostras conservare, & perficere, atque eam nobis bonorum, & malorum cognitionem comparare, quæ vitæ tuendæ, & perficiendæ sit necessaria, idque quatenus naturæ nostræ conditio & status permittunt. Prius inde probatur, quod nemo obligari potest ad eas res, quæ vires suas excedunt, utpote *relative impossibiles*. Posterius vero ex eo, quod quilibet pro virili parte ut toti generi humano, ita sibi consulere debet, quemadmodum in superiori Libro

Si periculosior morbus est, quam remedium, & adhibendum est, & interdum necesse est, ne desertæ vitæ custodiæ rei simus. Quo ego magis miror repertos theologos, qui dubitarent, alios qui vetarent, inseri ne variolæ possint. Nam & morbus, si genus mortalium spectes, certus est; &, nisi inseris, qui mortem evadunt, eam prope habent rationem, quam 13 *aut* 14 *ad* 1.; *cum postquam insitio adhiberi cœpta est, qui inde intereunt, constantibus experimentis, rationem habent longe majorem, quam quæ est inter* 1. *ad* 400. *Sed cum alias, tum hac præsertim in causa patescit, quantopere theologo & supputandi ars, & naturæ historia necessaria est; qua destitutus, non incomptus modo & impolitus, sed iners sæpe est attonitusque. Verum hæc alibi commodius copiosiusque differemus.*

bro demonſtratum eſt: quod ubi facere negligit, amicitiæ, quam ſibi debet, deſertor eſt: jura ingenita violat.

§. XIII. De noſtri adverſus invaſores tuitione prolixe diſputari ſolet. Egit ea de re Grotius Lib. II. de Jure belli, & pacis, & Puſendorffius de Jure Naturali, & Gentium Lib. item II. Cap. V. Noſtri defenſio vel ſine læſione invaſoris agi poteſt, vel nonniſi cum ejus læſione, aut nece. Quin licitum ſit vitam priori modo defendere, territando nimirum, aut minitando, ſine ulla læſione invaſoris, nemo unquam dubitaverit. Id immo præceptum eſſe cenſeo: nam qui ita evitare mortem poteſt, nec efficit, is ſui negligit cuſtodiam; & amicitiam, ac proinde non minori crimine tenetur, quam qui ſe ultro interficit, aut qui amicum, quem ſervare poteſt, deſerit. Quomodo & qui arcem, quam tueri facile potuit, inertia, aut panico timore deſerit, & qui eam prodit hoſtibus, æque adverſus Principem peccat.

§. XIV. De poſteriori modo quæſtio eſt aliqua. Quin autem & hoc modo licita ſit noſtri defenſio, quum injuſte invadimur, ſi principia rectæ rationis conſulamus, vix dubitare poſſumus. Nihil enim magis in Natura perſpicuum eſſe poteſt, quam licere nobis vi & armis ea jura defendere, quæ nobis a Deo tributa ſunt, quæ profecto fruſtra datæ nobis eſſent, niſi tueri liceret. Naturam nobis primum conciliare ut ſimus, & bene ſimus, ſecundum nos, alios: generis humani amicitiam a nobis incipere: item a nobis incipere curam & cuſtodiam ſocietatis. Itaque nihil verius unquam ſcriptum fuiſſe cenſeo, quam illud, *vim vi repellere omnia jura ſinunt*, quod ea lex non ſcripta ſit, ſed nata, ut præclare Cicero diſſerit pro Milone.

§. XV. Nec vero hoc jus me defendendi cum alterius nece, ejus ſcilicet, qui me injuſte invadit, ab illius adverſus me culpa naſcitur, ſed a natura ipſa mihi tribuitur, quæ ſtatim ac natus eſt animans quilibet, illum ſibi conciliat, & ut exiſtat, & ſe cuſtodiat. Idcirco ſi qui me invadit culpa adverſus me vacet, non minus licitum eſt me adverſus illum defendere, quam adverſus feram irrumpentem. Hoc vero intelligendum

ſem-

ſemper eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ, modo ſcilicet ac modeſtia; quæ in eo poſita eſt, ut ſi minimo poſſimus aut noſtri, aut invaſoris malo periculum amoliri, id potius efficiamus, quam ad necem confugiamus: id enim ſuadet lex amoris erga proximum. Quod moderamen qui non ſervat, poteſt etiam in ea defenſione eſſe homicida, quæ pro ſui cuſtodia inſtituitur, quando ſcilicet ad eam cuſtodiam agendam homicidium neceſſarium non erat. Præterea id non odio invaſoris agendum eſt, aut vindictæ cupiditate, ſed vitæ juriſque ſui ſervandi amore. *Bellum habeat neceſſitas, pax voluntas*, inquit Auguſtinus. Nulla enim in re κακοπαθεια, *pravi animi affectus*, optimus legis interpres eſſe poſſunt.

§. XVI. Ut autem definiatur tempus licitæ defenſionis, diſtinguendum eſt inter *ſtatum civilis imperii*, *ac naturæ*. Brevius eſt in priori ſtatu defenſionis intervallum; quippe in quo ſtatu ope civilis imperii quilibet ſibi cavere poteſt. Itaque tempus licitæ defenſionis occiſivæ tamdiu in eo durat, quamdiu præſens periculum, ideſt ad breve admodum tempus. Scilicet in ſocietate civili Principis eſt, non privati civis, tutela & vindicta; ut nemo poſſit præripere, quin adverſus legitimum imperium perduellis ſit. At in ſtatu naturali durat tamdiu, quamdiu hoſtis non eſt eo rerum redactus, ut nequeat amplius nos lædere. Ut vero intelligatur, utrum ad hunc ſtatum adductus ſit, qui nos invaſit, argumenta ſumenda ſunt aut ex ſincera ejus proteſtatione, aut ex depoſitis viribus, aut ex datis obſidibus, ſeu pacis pignoribus, aut ſimilibus argumentis. Ex his vero intelligitur, quum Principes, & Reſpublicæ ſint inter ſe in ſtatu naturali, quouſque liceat Principi, aut Reipublicæ adverſus Principem, vel Rempublicam eſſe in armis, & ſe defendere. Hoc autem in loco & illud animadvertendum eſt, fieri poſſe, ut invaſor tranſeat in locum ejus, qui invaditur, velut ſi qui invaſit cœptum deſerat, & veniam precetur, tu interea non deſiſtas a perſequendo; quo in caſu habebit ille omnia ea jura, quæ ſunt defenſionis, præterquam ſi aliqua juſta pœna ob priorem invaſionem dignus ſit.

§. XVII. Porro ea defensio non pro vita tantum jure fit, sed etiam pro membris, & sanitate: item pro pudicitia tuenda: præterea pro bonis omnibus, aut magna eorum parte: tandem pro nostris consanguineis, amicis: ac tandem pro quocumque homine, qui non jure invaditur. Priorum propositionum ratio est, quod per naturam liceat propria jura, quæ vitam attinent, defendere: quod hujusmodi læsionem ego pati non tenear, ac proinde jure meo propulsare possim quoscumque injustos invasores. Nempe explorati juris naturæ est, *quod tu mihi facere non jure paras, me pati non tenere, ac omni modo ipsum per me propulsare posse, si locus non sit adeundi magistratum*. Nam natura nobis primum nos conciliat atque commendat; mox civitati. Postremæ vero propositionis ratio ex cura & tutela societatis proficiscitur: hæc enim tutela esse debet omnium adversus omnes. Hæc doctrina extendi potest ad quascumque alias atroces corporis injurias, quas quia pati non teneor, jure meo possum propulsare, non ut alium lædam, sed ut me ab injusto invasore defendam. Sed recolendum semper est, cum moderamine & caritate hanc agendam esse jurium nostrorum defensionem, præstareque interdum injuriam pati, quam facere (*a*).

§. XVIII. Ceterum hæc ita accipienda sunt, ut liceat tantum me defendere, ne quocumque modo lædar. At alia ratio est, si læsus sim: tunc enim in me

nullum

(a) *Pro vita tuenda, si nulla alia suppetat ratio, haud ego unquam negaverim licere invasorem obtruncare. Pro pudicitia (quanquam id in agrestibus gentibus usu facilius venerit, quam in politissimis) nonnihil dubito. Furem raptoremque bonorum ac abigeum interfici posse, & Hebraicæ, & Romanæ leges permittunt. Ego tamen ambigo, utrum privatis personis idipsum juris competere possit, quod civitati ac summo imperio. Sed ne illæ quidem Draconis leges probari posse videntur, ut si quis teneros caules, aut rapas, aut pira, ficusque subripuerit, morte in eum animadvertatur. Vide Plutarchum in Solone. Illa vero mihi intoleranda videntur, ac horrida, quæ nostri Casuistæ preceperunt, licere privatis vel drachmæ furem necare: vel gravis litis intentantem: vel infamiæ architectum haud facile eluendæ. In quibus ignoro naturæ ne magis æquitatem, an christianam æquanimitatem, & patientiæ legem revellere voluerint.*

nullum amplius jus eſt ulciſcendi, dummodo qui læſit ab ulteriori injuria inferenda ceſſaverit, &, ſi quod mei jus læſit, reſarcire ſit paratus. Nempe jus illud me defendendi mihi competit, ut ne lædar, non vero in præteritam læſionem animadvertendum. Tum ut læſa jura recuperem, non ut iniquum puniam. Itaque ultio nec in ſtatu civili, nec in naturali privato homini ſui cauſa licet, quia non neceſſaria ad noſtri cuſtodiam. Quare non ſolum adverſus Chriſtiana dogmata, verum etiam contra regulas naturæ ii peccaverunt Caſuiſtæ, qui docuerunt, acceptam alapam nece vindicari poſſe. Sed animadvertendum eſt, non comprehendi ſub hac vetita vindicta, ſi quis eum qui læſit, pœna aliqua cogat, aut ut læſionem reſarciat, aut ut emendetur, ne ſe vel alios ſimiliter deinceps lædat: Nam ea tantum eſt juſta, & licita punitio, quæ rei emendationem procurat. Vide Grot. de Jure Belli, & Pac. Lib. II. cap.20. Sed in civili imperio id per magiſtratus procurandum: in Republica enim jus gladii ac vindictæ ſolus habet imperans. Quare probari non poſſunt Turcarum alicubi mores, qui homicidam læſæ parti dedunt ad noxam: ſeverius enim ſui quilibet injurias ulciſci paratus eſt, quam magiſtratus. Fertur, Platonem diſcipulo cuidam iratum, quum elevato ad feriendum brachio hæreret, rogareturque, quid rei ageret, reſpondiſſe, *pœnas exigo ab homine irato*, ſimulque Xenocrati, viro mitiſſimo, ut in eum animadverteret præcepiſſe. In ſtatu naturali quilibet ſui ac rerum ſuarum procurator eſt. Interim conſulenda eſt recta ratio, non affectibus tantum auſcultandum, ne qui ratione longe belluas excellere gloriamur, vita ipſa & moribus imitemur. Itaque Huttentotti tametſi nullo civili imperio contineantur, tamen ejuſcemodi aut crimina, aut injurias, non læſis committunt, ſed in communi ſeniorum concilio vindicant. Vide Kolbi.

§. XIX. Super duellis diſputari ſolet. De provocante in civilis imperii ſtatu nulla eſſe poteſt apud viros bonos, & legum naturalium gnaros controverſia: tam enim non licet ob quaſcumque acceptas injurias alium provocare ad duellum, quam non licet privata vindi-

𝐢a: eſt enim duellum, ita ut nunc accipimus, *privatum duorum bellum:* nam quod poſtea *bellum*, id *duellum* dixere veteres Latini. Plautus, *domi*, *duellique*, pro *domi*, *bellique*, ut poſtmodo ſuevit. Horat. *Græcia lento barbariæ colliſa duello*, ideſt Trojano bello. At jus belli, ut commodius docebimus, in civitate nemini, præterquam ſummo imperio convenit. Itaque privata certamina juris vel defendendi, vel experiundi, vel proſequendi, ſunt uſurpationes jurium imperantis. Omnis autem alterius juris uſurpatio aut contrectatio lege naturæ vetatur. Quid, dicet aliquis, tota olim Europa permiſſa? Primum, ajo, uſurpata privatis magis, quam permiſſa fuiſſe; idque velut veſtigium antiquæ barbaræ ac agreſtis gentium vitæ. Tum ſi lege & imperio permiſſa, non privata fuere judicia, ſed publica: ea tamen ipſa temporum inconditorum vi extorta. Quid facies hominibus vim & naturam humanam ſolo corporum robore æſtimantibus? At ejuſcemodi fuit illa ætas. In ſtatu vero naturali, ubi nullum eſt ad communes Magiſtratus confugium, tum licet, quum qui læſit, aut datam injuriam reſarcire nequit, aut adhuc invaſor eſt, ideſt adhuc perſeverat in lædendo, nec alius modus ſupereſt, quo ejus pertinacia reprimi poſſit: id enim pœnæ magis, quam ultionis rationem habet. Atque hæc eſt plerorumque bellorum legitima cauſa; qua de re loco ſuo.

§. XX. De provocato in diverſas partes iverunt docti. Si res e ſuis principiis derivetur, certum eſt, ſi fuga non ſine periculo ſit futura, non teneri provocatum fugere, ſed tuto expectare pede poſſe invaſorem, atque ſe defendere: ſcilicet eo in caſu nulla alia ratione juſta noſtri defenſio agi poteſt; ac fugere, vitam eſt prodere, ad quod nemo natura tenetur. Id tamen intelligitur, dum repentine ſubitoque invadimur: nam ſi per internuncium, aut epiſtolam provocemur, nullo modo licet provocanti conſentire, quandoquidem id eſſet non nos defendere, ſed alterum invadere: eſſet inculpatæ tutelæ defenſionem migrare, ut quum declinare periculum poſſimus, nos potius contra audentiſſimi pergamus. Excipio liberos populos ab aliis item liberis.

ris incitatos, qui si declinent, publica timoris & imbecillitatis professione se audacioribus prædam exhibere possunt, & bellum domi alere, quod prudentius foris egissent: sæpe enim severius agendum est, quo largius postea parcere possimus.

§. XXI. Quod si in repentinis invasionibus fuga sit quidem futura sine periculo vitæ, sed non sine periculo ejus existimationis, sine qua in societate vivere nequeamus; anceps, magis ob inductos vetustate mores, quam ob rem ipsam, casus doctis videtur. Nam quum hujusmodi fuga putetur conjuncta cum jactura ejus rei, qua vitam in societate sustentamus, tantumdem creditur esse fugere, quantum vitam deserere. Quocirca plures, nec illi indocti, depravata magis, ut puto, consuetudine abrepti, quam recta rerum ratione ducti, opinati sunt, jus nobis inesse, ad nos tutandum, dum id periculum alia via & ratione evadere nequimus, tametsi præstantius censeant, & homine Christiano dignius, provocatum cum ejuscemodi existimationis læsione periculum declinare. Quare milites, ajunt, qui provocati, si renuant, aut fugiant, a commilitonibus velut humana societate indigni evitantur, ut periculum sit ne militiam deserant, nullo naturæ jure obligari ad fugiendum arbitrantur. Ego repugno. Nam ea existimatio, sine qua in societate vivere nequimus, non tam ex corporis robore exsistit, quam ex animi virtute; quam tantum abest ut in his casibus minuamus, ut potius augeamus. Sentio enimvero, iis, qui non ex recta ratione, sed ex affectibus vitam instituerunt agere, ardua hæc & difficilia videri: sed sunt plerumque æque ardua & difficilia ea, quibus corporis sanitas procuratur, remedia, ut mirandum non sit aspernari nos & refugere animi medicamenta. De humanis officiis ex lege eorum directrice, non ex aut delicatis, aut concitatis animi affectibus differendum est. Quæ quum sint, magis quoque falsum est, & cum naturæ jure æque ac cum Evangelio repugnans, quod plerisque militum persuasum est, licere provocare ad duellum ob injurias acceptas, easque interdum non modo leves, sed jocosas, metu, ut ajunt, infamiæ; quum enim super-
est

est alia via vitam, & famam tuendi, contra leges naturæ est ad arma confugere. Ajunt, si ea ferocia militum animi denudentur, imbelles illos, timidos, & Reip. inutiles futuros, ut idcirco, inquiunt, Politici & Sapientis Principis sit eam alere potius, quam delere truculentiam.

Ego me non tam astutum, neque ita perspicacem
esse, id certo scio.
. . . . In me quidvis harum rerum convenit,
Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus,
In istos nihil potest: nam exsuperat horum stultitia
hæc omnia:

nam hæc ego Terentiani Menedemi (*a*) lubenter usurpabo. Itaque, quod ajunt ejuscemodi optimi Reipublicæ status præmonstratores, id esse verum non puto: scilicet vera virtus militaris miscenda non est cum iis vitiis, quæ si adolescant, plus mali milites Reip. sint allaturi, quam subsidii. Labore potius indurandi, a luxuque distinendi, quam falsæ gloriæ imaginibus lactandi. Est certe militibus gloriæ stimulus ingerendus, quo nullus est ad virtutem progignendam aptior: sed docendi, gloriam esse, ut Cicero ait, famam meritorum in Patriam. Nam Achillem agere, ac negare jura sibi nata, non hominum fuerit gloria, sed belluarum.

§. XXII. Quæritur hoc in loco, utrum hæc violenta defensio jure naturæ præcepta sit, an tantum permissa? Non hic loquimur de militibus in statione positis, aut in prælio justo decertantibus, custodibus, aliisque publico regimini præpositis, qui non possunt sui defensionem deserere, quin traditam custodiam deserant, ad quam jure perfecto, & præceptivo tenentur ex pacto; sed de iis, quos proprium dumtaxat periculum in sui defensionem excitat. De his igitur quæritur, an liceat invasori cedere sine ullo crimine desertæ sui custodiæ? Defensionem occisivam intra eos cancellos, de quibus diximus, licitam esse, sed minime præceptam, adeoque licere eam omittere, atque sinere se interfici, docet

(a) *Terent. Heautont. Act.* v. *sc.* 1.

docet Grotius de Jure Belli, & Pacis Lib. II. §. 8. & Pufendorffius Lib. II. de Jure Naturali, & Gentium Cap. IV. §. 2. Sed negat Zeiglerus ad eum Grotii locum, Auctor Libri *De Principiis justi, & decori*, ac Henricus de Cocceii. Et Grotius quidem vix aliam doctrinæ suæ rationem profert, præterquam propriam auctoritatem: Pufendorffius vero hanc, quod scilicet quivis possit privilegio suo renunciare, dummodo id non fiat cum damno tertii. Sed demonstrare oportebat jus nos custodiendi & defendendi privilegium esse, non præceptum. Itaque Pufendorffii ratio nullius est momenti (a).

§. XXIII. Nos in Grotii sententiam imus, eamque sequenti ratiocinio confirmamus. Legis naturæ finis non est conservatio & felicitas unius tantum partis generis humani, sed totius: non ita ergo mihi imperat mei defensionem, ut simul imperet alterius internecionem, ubi ego alia ratione conservari nequeo: ita enim contraria imperaret, quod non potest. Ergo dum mihi jus præstat ad me defendendum, jus permissivum dat, non præcipit.

§. XXIV. Idipsum confirmatur ex lege Evangelica. Ex ea enim lege perspicuum est, virtutum omnium maximam, esse, & quidem heroicam, quamcumque injuriam pati potius, quam facere. Ea est sententia Christi Domini nostri, cum in aliis locis pluribus, tum in 20, *si quis te percusserit in maxillam unam, præbe ei & alteram*. Est autem hæc inter christianos interpretatio juris naturalis *authentica*, quippe quæ ab eodem Legislatore proficiscitur, qui legum naturalium conditor est. Quo magis miror in christianis ipsis adversantes offendisse; nisi si quis sibi persuadeat imperite impieque, opponi inter se, alteramque alteram antiquare, naturalem & christianam legem.

§. XXV.

(a) *Indiæ Bramines donum esse Deorum vitam ajunt, nec invitis obtrusam, sed volentibus uti attributam. Quare non solum alteri cedere, sed ipsos sese interficere licere ajunt, si illa premat: est ea nempe natura donorum.* Invito beneficium non datur, *ait Paulus l. 69. d.* diversis juris R. *Sed alia, inquam; ratio si acceptum sit, & a domino. Itaque libertas vel invito datur.*

§. XXV. Sed magna iterum exoritur quæstio, utrum hæc Evangelica doctrina consilium sit, quod pertineat ad eos, qui perfectam virtutem sectantur, ad *pusillum illum gregem* in divina philosophia consummatorum, an præceptum, ac propterea omnium? veteres quidam Theologi ita censuerunt, licere nos defendere adversus invasorem, sed sine ejus nece; adeoque doctrinam istam Evangelicam velut præceptum acceperunt, quod pertineat ad omnes. Sed non est simile vero id præceptum fuisse in Evangelio, ut nullo modo nos adversus invasores cum eorum nece defenderemus, ubi injuste invadimur; id enim si verum esset, leges Evangelicæ latronibus potius, & sceleftis hominibus consulerent, quam viris bonis, quod dictu nefas est. Deinde iis everteretur jus naturale, quod immutabile suapte natura est. Tertio justum bellum prohiberent, quod non faciunt, nec Evangelio prohiberi veteres christiani senserunt: nam e novis sectis soli id sibi non permitti Anabaptistæ, ac Quackeri opinati sunt. Quocirca ex doctrina Evangelica virtus quidem erit heroica, sinere se interfici, ne alter pereat, etiam ubi defensio justa est; sed non est proprie dictum præceptum. Interim illud observandum est diligenter, etiam in justa defensione nihil agendum esse ex odio, sed cuncta ex caritate, & prudentia. Præclare Beatus Augustinus, *pacem*, inquit, *habere debet voluntas, bellum necessitas... Esto etiam bellando pacificus. Itaque hostem pugnantem necessitas, non voluntas perimat.*

§. XXVI. Jam non tantum vita custodienda est ex naturæ jure, sed sanitas quoque, quoad quisque scit, & potest: nam sine sanitate vitæ animalis vix alia officia rite præstari possunt. Regulæ autem pro sanitate custodienda nec plures nec difficiles sunt. Præcipuæ omnium hæ sunt, *temperanter, & sobrie age: natura enim paucis est contenta: iis bene se habet: superfluis premitur, & agitatur: corpus ne otio & pigritia marcescere sinas: continenter illud exerceto.*

Vide ut vitium capiant, ni moveantur aquæ.

Eas regulas & natura ipsa nos docet, & celebratissimi Medici tradunt. Hippocrates in Libro de Morbis po-

potissimam sanitatis regulam esse scribit, *nunquam satiari cibis, & impigrum esse ad labores*. Idem præscribit Celsus Lib. I. Cap. 2. Lege & egregiam Plutarchi tractationem *de sanitate tuenda* (a). Ergo contra naturæ leges ii peccant, qui intemperanter vivunt, quique otio putrescunt. Enimvero quid interest ad homicidium sui, utrum quis lento veneno se necet, an violenter? Itaque sui homicidæ jure ii habentur, qui ingluvie, aut ebrietate, aut aliis voluptatibus, vitam suam breviant, aut macerant.

§. XXVII. De bonorum fortunæ, ut vocant, usu, quæ sunt necessaria vitæ animali conservandæ, hoc in loco pauca disseramus. Sunt fortunæ bona vitæ animali ducendæ, servandæque, ut dixi, necessaria: itaque eadem lex naturæ, quæ præcipit vitæ nostræ conservationem, præcipit quoque, ut instrumenta omnia vitæ comparemus, comparata servemus: vulgatum enim & verissimum est illud axioma, *qui vult finem, vult & media*. Potest autem contra hoc officium tribus peccari modis, negligentia, avaritia, & prodigalitate.

(a) *Sanitatis tuendæ regulas paucis, ut solet, complexus est Celsus lib. 1. cap. 1. cujus prima admonitio est*, cavendum ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur. *Quid igitur faciet sanus?*

Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico, neque jatralepta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus: modo ruri esse, modo in urbe, sæpiusque in agro: navigare, venari; quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Siquidem IGNAVIA CORPUS HEBETAT; LABOR FIRMAT: ILLA MATURAM SENECTUTEM, HIC LONGAM ADOLESCENTIAM REDDIT. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti: modo ungi, modo idipsum negligere: nullum cibi genus fugere, quo populus utatur: interdum in convictu esse, interdum ab eo se retrahere: modo plus justo, modo non amplius assumere: bis die potius, quam semel cibum capere; & semper quamplurimum, dummodo hunc concoquat. Sed ut hujus generis exercitationes cibique necessarii sunt; sic athletici supervacui.... Concubitus vero neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est. Rarus, corpus excitat: frequens solvit.... Idem interdiu pejor, tutior noctu: ita tamen, si neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor statim sequitur.

tate. Ac primum quum Deus præcipiat nobis nostri custodiam, procul dubio efflagitat a nobis omnem eam diligentiam, quæ ad bene vivendum necessaria est. Quocirca hanc diligentiam curamque negligere, est in iis, quæ ad vitæ custodiam pertinent, peccare. Id vero aut temerariam in Dei providentia confidentiam ostendit, aut apertam legis naturæ violationem. Accedit, quod hujusmodi homines non possunt alia ratione vitam sustentare, quam nefanda & injusta faciendo, aut patiendo. Itaque ego errones, generisque humani fucos, quasique abdomini suo natos, contra legem naturæ testimonium dicere ajo: genus hominum divitibus grave, laborantibus molestum, sperantibus infidum, quod in civitate nostra vetabitur semper, & retinebitur. Atque hoc officium quum ad omnes omnino homines pertinet, tum eorum potissimum est proprium, qui suo pacto, aut contractu aliorum curam gerere debent, quales sunt Patresfamiliæ.

§. XXVIII. Deinde non ita sectanda, & amanda sunt externa bona, tanquam in iis ultimus nostri finis positus sit: nam qui ita agunt, agunt adversus finem humanæ vitæ præcipuum, idest beatitudinem, quam in iis præcipue rebus collocant, in quibus esse nequit, atque idcirco adversus naturæ leges vivunt, quemadmodum alibi demonstratum est. Sunt igitur ea sectanda, & comparanda fortunæ bona, quæ vitæ animali ducendæ sunt necessaria, quæ nec multa sunt, nec difficilia paratu, ubi quis non ex cupiditate, sed ex ratione vitam instituit: sed ita conservanda sunt, ut præsto sint vitæ usibus, nec tantum nostræ, verum etiam aliorum, non ut contemplationi, velut pictæ tabulæ, ac statuæ serviant. Quare ea in re duo, ut dixi, extrema vitia cavenda sunt, nimia eorum bonorum cupiditas, quasi in eorum contemplatione posita sit tota nostri felicitas, quod vitium *avaritia* dicitur: & dispersio sine ulla ratione, quæ dicitur *prodigalitas*. Utrumque enim vitium contra ejuscemodi bonorum usum est, adeoque contra naturæ legem: sed magis primum, quam secundum: nulli enim avarus bonus est; quum sit prodigus. Quibus accedit, quod avaritia ac

lucri

lucri immoderata cupiditas cum nulli eſt utilis, tum civitates perdit. Salluſtius egregie, *ubi cupido divitiarum invaſit, neque diſciplinæ, neque artes bonæ, neque ingenium ullum ſatis pollet*. Ea certe & Spartana olim Reſpublica, quæ frugalitate ſteterat, everſa, & Romana. Cic. de off. II. 17. *Itaque quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia, niſi avaritia perituram; id videtur non ſolum Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe*.

§. XXIX. Superior doctrina apertiſſime poſita eſt in divinis chriſtianorum Libris eſtque philoſophiæ noſtræ præcipua, ac palmaris (*a*). Matth. VI. v.34. *nolite ſolliciti eſſe in craſtinum: craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi*. Ideſt nolite ita eſſe in craſtinum animo occupati, ut idcirco cogamini cetera officia ob eam curam negligere. Et Paullus Apoſtolus in I. ad Timoth. cap. VI. v. 7. *Divitibus*, inquit, *hujus ſæculi præcipe, non ſperare in incerto divitiarum*. Quorſum quoque ſpectant verba illa ejuſdem Apoſtoli, *denique qui utuntur hoc mundo, ſint tanquam non utentes*. Hæc non ſignificant, niſi, ut ne nimis præſentis vitæ bona amemus, æternorum & ſpiritualium, quæ ſola immu-

(a) *Itaque Paulus* I. *ad Timoth.* VI. 10. φιλαργυριαν, avaritiam, *ac* lucri cupiditatem *vocat* ριζαν παντων των κακων, radicem omnium malorum. *Plato in* Hipparco, φιλοκερδεις lucricupidos, πανουργους και πονηρους callidos, improboſque *habet*, *atticoque perfricat ſale. Sed illud divinitus dictum in* IX. *de* Rep. φιλοκερδεις *carere judicii organo. O verum! Sed ad Apoſtolum redeamus. Chryſoſtomus hom.* XI. *in epiſt. ad* Rom. *item ab avaritia mala omnia proficiſci graviter perorat.* Quæcumque, *inquit*, inveneris mala, ſive domi, ſive in foro, ſive in judiciis, ſive in curiis, ſive in regia, ſive quocunque alio in loco, εντευθεν παντα οψει βλαστανοντα, hinc omnia (*ab avaritia*) videbis naſci. *Quin hom.* XIV. *in* I. *ad Corinth.* παρουσαν γεενναν præſentem gehennam *vocat avaritiam. Et in Pſalm.*XLIII. την ακροπολιν των κακων, ſummum malorum apicem. *Quod cum tetrum ſit in omnibus vitium, tum, ut ait Cicero, in principibus Remp. gubernantibus teterrimum. Quid vero in iis, qui non humanas Reſp. ſed cæleſtem adminiſtrant?* Utinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora fortuna me reſervaſſet, & tunc eſſem natus, ſi quando Romani dona accipere cœpiſſent! non eſſem paſſus diutius eos imperare. *Cic. de offic.* II. 17.

tabilia sunt & vera, immemores. Legatur Verulamii sermo *de divitiis*. O præclarus!

CAPUT IV.

De cultura animi.

§. I. POstquam ea hominis officia, quæ vitam animalem attinent, per summa capita persequuti sumus, superest ut de cura animi, ejusque cultura dicamus, quæ tanto major & accuratior esse debet, quanto est animus corpore ipso præstantior, & animi vita vita animali nobilior. Accedit altera causa, ob quam primas & maximas curas animi vita a nobis exigit, quod nempe animalis intra breve temporis spatium contineatur, illa vero æternitatem spectet. Ergo quanto præstantiora sunt æterna bona præ bonis hujus vitæ fugacibus, tanto vitæ rationalis cura major & diligentior agenda est. Postremo ne vita quidem ipsa animalis ordinata & pacata esse potest, nisi sapiens, ordinatus, & pacatus animus eam moderetur: totum enim regimen vitæ nostræ animalis a mente pendet, ut perturbatum sit necesse est, ubi illa inepta est ad regendum (*a*).

§. II. Spectat vita animi intellectum, voluntatem, affectus, seu vim cogitandi, & vim appetendi, quæ præcipuæ sunt animi facultates, quibus ille vivit, & operatur. Ad utramque autem facultatem perficiendam nostri illa naturalis amicitia nos obligat, ac propterea naturæ lex: nam nos obligat lex naturæ ad jura nostra tuenda: ad recte nos amandos: ad felicitatem nostram semper intuendam & sectandam, adeoque ad ea omnia, quæ veræ felicitati consequendæ sunt necessaria. Ad felicitatem vero consequendam in pri-

mis

(a) *Plato in Menone*. Ουκουν συλλαβδην, παντα τα της ψυχης επιχειρηματα και καρτερηματα, ηγουμενης μεν φρονησεως, εις ευδαιμονιαν τελευτα, αφροσυνης δ᾽, εις τουναντιον, *ideſt*, ut breviter dicam, omnes animæ impetus conatusque, si quidem prudentia regat, ad beatitudinem tendunt; si imprudentia contra, *miseriam efficiunt*.

mis necessaria est emendatio & perfectio intellectus, ac voluntatis; tum ars quædam ac disciplina, qua affectus, ac naturæ impetus intra suos cancellos cohibeantur: nam experientia nos docet inter homines miserum non esse, nisi aut stultum, aut scelestum; quorum ille actiones aut omissiones ad calculum adducere nequit, ut pernoscat, consentaneæ ne fini suo sint, an non: hic totum affectibus frænum laxat; ergo lex naturæ nos obligat ad intellectum & appetitum emendandum, perficiendumque. Emendatur autem intellectus, quum ab eo causæ ignorantiæ, & errorum distinentur: appetitus, cum ab habitibus pravis purgatur: perficitur vero intellectus scientia; appetitus habitibus virtutum. Igitur lex naturæ præcipit, ut & causas ignorantiæ, ac errorum, præsertim quod spectat ad vitam moralem, ab animo removeamus, atque intellectum vera scientia instruamus; & ut voluntatem ab omnibus pravis habitibus purgemus, ac habitibus virtutum ornemus, quo naturæ impetus intra suos terminos continere possimus. Atque in his tota animi cultura posita est.

§. III. Omnium igitur primum ex lege naturæ cuilibet homini pro sua indole & conditione accurata cura gerenda est intellectus sui ac rationis. Nam quum intellectus sit veluti fax totius vitæ rationalis & moralis, nisi ille ea cognitione informetur, quæ ad vitam hanc recte transigendam necessaria est, perturbata & confusa tota erit vita rationalis, & moralis. Ad eam igitur scientiam, veluti ad medium fini nostro consequendo necessarium, suprema illa naturæ lex nos obligat. Ac vero si is, qui, quum possit, negligit vitam animalem curare, ac perficere, non recte nec vere se amat, ac insita sui jura violat; qui dici potest, eum, qui quum possit vitam rationalem perficere, negligit, rite, & vere se amare, idest ex recta ratione amare, atque sibi esse amicum? Qui æquum sibi esse? Sed nec aliis esse & æquus, & amicus, qui sibi non sit.

§. IV. Qua ex re duo consequuntur. Primum obligari nos ad notitias bonorum, & malorum cum physicorum, tum moralium, comparandas: physicorum

quidem, quia obligamur ad vitæ animalis custodiam, quæ ut sine bonis physicis conservari nequit, ita a malis physicis plurimum timere debet. Hinc est obligatio artis alicujus addiscendæ. Moralium vero, quia obligamur ad mentem rationemque perficiendam, quæ bonis moralibus perficitur. Has scientias cuilibet necessarias esse pronuncio: ceteras aut statibus tantum quibusdam ajo (*a*), aut omnino indifferentes. Alterum est obligari quidem homines ad intellectum perficiendum, sed non æqualiter, verum quemlibet pro sua capacitate, & statu, ut idcirco non æqualiter adversus hanc legem ab omnibus peccetur. Intelligendum est esse cuilibet hominum vicinitatum & actionum veluti circulum quemdam, cui majorem, cui minorem: eo ab animo tanquam a centro hominis actiones pertingere debent ut bene beateque sit; ergo eo usque ejus mens quaquaversum pervidere, iisque artibus ac disciplinis animum subigere, quæ ei rei pares sint.

§. V. Quibus ex rebus omnibus intelligitur, nullum officium generi humano utilius a Philosophis præstari posse, quam propagationem earum notitiarum, de quibus locuti sumus. Ac felices quidem essent populi, si Philosophi quantum temporis in inutilibus quæstionibus frustra terunt, tantum intendere vellent in artes, & cognitiones generi humano necessarias publice augendas, & perpoliendas, ac parvis catechesibus comprehendendas, quo communitati sese utiles præstarent: catecheses autem dico Agriculturæ, Pastoralis, Artium reliquarum. In primis desiderandum esset, ut qui populos regunt, aut in iis principes sunt, curarent, ut plebeji quoque homines legere saltem, & scribere scirent

(a) *Nam qui artes vitæ agitandæ negligunt, ac, ut ait Lucretius*, sæcla ferarum *vivunt, cum egestas ac vis naturæ imperat, rapto vivere debent. Ita agrestes gentes mutuis latrociniis vitam hominibus infestam faciunt. In utraque Continente quicunque artes aut ignorare, aut odisse reperti sunt, hoc genus vitæ ducunt, quod nostri Arabes. Iidem urbes turbant, efficiuntque ut simus sæpe in Civitate velut olim genus humanum in agris.*

rent (*a*): vix enim dici poteſt, quantopere inde mores, & artes perficerentur. Itaque ego ſubiraſcor ſæpiſſime iis opulentis hominibus, qui vana memoriæ ſuæ monumenta relinquunt, hæc vero officia, quibus vere immortales fieri poſſent, prætereunt. Veteres enim populi non aliam ob rationem Orpheum, Amphionem, Herculem, alioſque inter Deos retulerunt, niſi quia humanitatem barbaras gentes docuerunt. Sunt adhuc apud nos veteris veſtigia ruris, quæ ſi qui excolere aggrediantur, illos ego inter Heroas meritiſſime retulerim.

§. VI. Jam vero excolendus eſt & appetitus, quo proprie vir bonus, aut malus quisquam eſt, & dicitur. Nempe finis legis naturæ eſt perfecta hominis beatitudo: media vero, quæ ad eum finem ducunt, ſunt amicitia Dei, noſtri, aliorum, virtutes nempe. Comitantur autem tres iſtas amicitias tria virtutum genera, Theologicarum, Monaſticarum, & Politicarum; quarum primæ Deum, ſecundæ nosmetipſos, tertiæ ſocietatem humanam ſpectant. Ad hæc ergo omnia formanda eſt voluntas, & tota natura aſſuefacienda, ut ſit perfecta. Jam ea perfectio a tribus potiſſimum cauſis progignitur, temperamento, intellectu, & habituum moralium exercitio; tres ergo illæ cauſſæ vehemen-

(a) *Scio id averſari Politicos quoſdam. Ajunt artes deſeri, quum delinimenta literarum libantur. Sed factis revincuntur. Illa vera, & triſtia, & ſcholarum moribus vim ac virtutem puerorum infringi. Cur igitur nulla pene ſcholarum cura? Nam integris diebus ſeſſitare paganos plebejoſque pueros, garrire, pugnis & calcibus pugnare, ora radiis & libris ſibi contundere; oſcitantem, aut ineptientem pædagogum ſpectare, aut, veluti in triremi, ſævis plagis tanquam in ſervos animadvertentem habere; abſentes, ac venerandos viros proſcindentem dicteriis, longiſque cachinnis; crapulam ructantem; grandia & ſancta balbutientem; inurbane, aut obſcœne boantem; hæc, inquam, quis probet? Nec infimas modo ſcholas everrendas cenſeo, ſed ſublimes quoque ipſas corrigendas, ne vanis futilibuſque diſciplinis juvenes corrumpant. Nihilne nos pudet in hac tam polita ætate, non prius nos ſapientes putare, quam barbare educti inſtructique ſimus? veluti ſi quis neget præclarum hominem eſſe poſſe quempiam, qui prius egregie bellua non fuerit.*

menter excolendæ, & ad perfectionem nostram inflectendæ sunt.

§. VII. Cultura autem trium illarum naturalium causarum in his præsertim posita est: primum, agreste, & ferox ingenium cicurendum est, ut ne transversum nos rapiat, quum ad officia conamur. Deinde iracundum, inconstans, turbulentum flectendum paullatim, ut mitescat, & assuescat fræno. Tum præclaris justi & honesti notitiis instruendus est intellectus, qui voluntatis lumen est. Tandem exercitatione ipsa virtutum ea acquirenda est indoles, qua quasi altera natura, recte, juste, & honeste vivamus. Atque postremum hoc est illud, quo proprie appetitus & natura formatur: nisi enim continuato exercitio virtutis naturam bonam induamus, & præcepta honestatis in succum, & sanguinem convertamus, formari voluntas ad beatitudinem nequit. Ad hoc autem efficiendum juvat in primis exempla nobis proponere ad imitandum, eorum scilicet, qui justam, honestam, liberalem, magnanimam vitam duxerunt, quorum exemplorum copiosam segetem suppeditat historia sacra, & ecclesiastica: plura quoque subministrat historia ipsa profana; atque in hunc præcipue finem historiæ lectio suscipienda est. Eam ob rationem historiam vocat Cicero *Magistram vitæ*. Sed quoniam ea de re in secunda parte dictum est copiose, quo in loco de virtute egimus, a longiori oratione hic supersedebimus. Unum hic addam, præsentem puerorum educationem & institutionem literariam eam non esse, quæ tam nobili animanti ad virtutem & felicitatem manuducendo omnium sit magis consentanea. Nempe descivimus jamdudum a naturæ simplicitate, eamque omnibus machinis alio fleximus, quam qua flectere debebamus. Tota præsens educandi ars in hominis exteriora formanda tendit: animi vim, corporis sanitatem negligimus, ac ita, ut ad nos minime pertinere videantur. Ausim hic dicere, hominem nec tam ineptum gigni, nec tam pravum; quam vulgo putant, sed nostris machinis domesticis, publicisque, fieri. Dicam iterum, longe eos hominum educatores falli, qui quidquam egregii præ-

stare

ſtare animos noſtros putant, ubi infractum imbecillumque, ſeu nimium premendo, ſeu laxando nimium, evaſit corpus. Velim ab his legi inſigne ſuper ea re Ballexſerdi opuſculum (*a*).

CAPUT V.

De affectibus, officiiſque inde manantibus.

§.I. DIſſeramus nunc de ea noſtri cultura, quæ ad affectus pertinet, quæque eſſe debet prima & præcipua: nam inde hominis tota beatitudo, aut miſeria pendet, unde vis eſt omnis agendi, ceſſandique, & principium. Horum natura generatim in tertia parte explicita eſt: hic eos ſingillatim expediemus, & de eorum in vita animali ac morali vi dicemus paullo copioſius. Carteſius *de Paſſionibus Animæ p.2. art. 69.* ad ſex primaria genera perturbationes animi omnes contulit, admirationem, amorem, odium, cupiditatem, lætitiam, mœrorem. Earum ordinem ſic deſcribit. Principio quum novum aliquod objectum, vel circumſtantia aliqua nova modificatum nobis occurrit, ob novos motus in cerebro, rationis organo, excitatos, reflexivam animæ facultatem ſiſtit, & in extraordinariam quamdam attentionem mentem rapit, quæ eſt admiratio, quam affectuum omnium primum eſſe cenſet. Deinde ſi oblatum objectum anima attentius conſideret, ejuſque cum natura noſtra relationes inſpiciat, tum ſi quidem malum vel bonum reperiat, amor, aut odium excitabitur. At ſi bonum hoc, aut malum fuerint præſentia, orietur lætitia, vel mœror: ſi vero futura, cupiditas, vel timor.

§. II. Henricus Morus in Enchiridio Ethicæ lib.1. cap. 7. arbitratur, numerum affectuum breviorem fieri poſſe, ut omnes referantur ad amorem, & odium, quorum duorum ceteri aut cognati ſunt, aut effectus. *Quid enim*, inquit, *eſt deſiderium, niſi amor porrectus verſus*

(a) *Editum Pariſiis ann. 1762. præſcriptumque*. Diſſertation ſur l'education phyſique des enfans, *par M. Ballaxſerd*.

versus bonum futurum? Quid fuga, seu aversatio, & timor, nisi odium se avertens ab imminenti malo, vel se contra ipsum muniens? Quid lætitia nisi amor exultans præsentia boni adamati? Quid tandem mœror, sive mœstitia, nisi odium præsenti malo oppressum & implicitum? Manifestum est, in omnibus his semper amorem & odium varie modificari. Hæc ille. Fuerat hæc doctrina B. Augustini, quæ latius explicatur a Malebranchio in 5. libro *de inquirenda veritate*. Nec vero dubitare possumus hisce velis, amore, inquam, atque odio, totam hominum vitam agi.

§. III. Veteres Philosophi Platonici, Peripatetici, Stoici, & hinc Scholastici, partem animæ sensitivam, quam & inferiorem vocabant, in duas alias partiebantur, irascibilem nempe, & concupiscibilem. Quum autem affectus dicerent perturbationes inferioris animæ partis contra rationem, vel præter rationem, eos ad duas sedes referebant, concupiscibilem, & irascibilem. In quo illi minime errabant: nempe omnes affectus nihil sunt aliud, nisi varii modi concupiscentiæ, & excandescentiæ. Nam quum omnes nascantur ex opinione boni, vel mali, sive directa, sive reflexa, qui ex opinione boni gignuntur, sub concupiscentia continentur: qui vero ex opinione mali, sub irascibili. Videri potest Cicero, qui ex doctrina Stoicorum accurate super ea re copioseque differit in 4. Tusculanarum disputationum libro.

§. IV. Possunt itidem affectus dividi in duas alias classes, & quasi sedes, ut alii rationem magis, alii magis sensum spectent. Affectus, qui ex contemplatione bonorum, vel malorum spiritualium, idest bonorum vel malorum rationis, proveniunt; vel ex ratione quidem bonorum, vel malorum corporeorum, non tamen directa, ut in sensationibus, sed reflexa; hi, inquam, ad rationem magis spectant, seu partem animi superiorem, quam ad sensum, & partem inferiorem. Affectus vero, qui originem ducunt ex bonis corporeis ope sensationum, sensum magis, quam rationem sequuntur. Atque postremi quoque isti affectus, si naturam rationis induant, quantum a sensu recedunt,

tantum ad rationem accedunt. Illud eſt inter utroſque diſcrimen, ut poſteriores turbulentiores ſint, & mutabiliores; priores vero pacatiores & diuturniores. Non autem ignoro quantopere inter Philoſophos concertatum ſit, ſint nec ne in ratione affectus; quam quæſtionem perdiligentiſſime tractat Picolominus in ſecunda Philoſophiæ moralis parte. Sed vix iſtud negari poteſt ab iis, qui naturam humanam paullo attentius contemplantur. Rationem porro quum dico, non ſeparatam intelligo: neque enim me latet nullum eſſe in anima noſtra motum, quin totam animalem naturam afficiat (*a*).

§. V. Sed illud præterea animadvertendum eſt, affectus omnes eſſe peculiares modos generalis in voluptatem propenſionis, & averſationis a malo, quibus omnes animantes ſtatim ac natæ ſunt naturaliter concitantur; ut intelligere poſſimus, quemadmodum inclinatio, & averſio illa ex temperie naturæ noſtræ procedunt, ita ex eodem fonte omnes manare affectus. Nempe quum generalis propenſio erga bonum a bonis peculiaribus ſeu præſentibus, ſeu futuris varie modificatur, & determinatur, primam claſſem affectuum conſtituit, eorum ſcilicet, qui ex opinione boni naſcuntur. Eodem modo naturalis averſatio mali varie excuſſa, ac determinata a particularibus malis, ſeu præſentibus, ſeu futuris, alteram claſſem affectuum, eorum qui vel opinione mali progignuntur, efficit. Jam quum propenſiones illæ ac repugnantiæ, non alia ratione in natura noſtra locum habeant, niſi quia ita ſtructi ac temperati ſumus, ut nos & felicitatem noſtram neceſſario amemus, eamque quum in nobis non habea-

(a) *Affectus ſunt ſenſationes: at nihil in phyſica exploratius, quam ſenſationum omnium organum eſſe ſyſtema, ut aiunt Medici, nerveum. Hoc ſi a cauſis externis, aut internis corporeis ullo modo convellitur, ſenſatio exſiſtit, ac voluptas, aut dolor: ſi phantaſia, vel ulla animi ratio, pathemata, ſeu affectus. Si* το καλον, *bonum ipſum ac genericum, afficit, ille appetitus* voluntas *dicitur, ac rationis appetitus: ſi peculiaria*, ſenſitivi motus. *Horum vis tota magis in corporis temperie eſt, quam in animi ratione.*

habeamus, in omnibus extra nos objectis quæramus; & quidem impetu naturæ, ideſt affectu; perſpicuum eſt, affectus omnes eſſe modificationes amoris proprii; adeoque tum eſſe vitioſos, quum amor ille proprius vitioſus eſt; quod fere ſemper vitioſitate rationis fit:

Tentat enim dubiam mentem rationis egeſtas.

§. VI. Jam vero quum valde ſit ſimile veri ſenſationem doloris præcedere in hominibus omnem voluptatis ſenſationem; quia infantes ſi nulla præcedat in eorum machinulis perturbatio, veriſimile non eſt æquabilis voluptatis ſtatum perſentiſcere ac animadvertere poſſe; nec, niſi præceſſerit dolor, voluptates geſtientes; videtur affectus mortalium omnes a dolore, & ægritudine originem primam habere. Itaque omnes ſunt naturæ voces, quibus commonemur, eam aut bene ſe non habere, nec in ſitu eſſe naturali; aut naturalem & conſentaneum tandem ſitum nactam, ſibique perplacere (*a*).

§. VII. Qua ex re & illud ſequitur, affectus eſſe non poſſe, niſi in natura finita, eſſeque argumentum manifeſtum naturæ & finitæ circumſcriptæque & mutabilis. Scilicet ſola natura finita hujuſcemodi eſt, ut nec in ſe habeat totum illud bonum, quo eſſe poſſit perfecta atque beata; nec tanta potentia polleat, qua mala omnia propulſare poſſit, atque perpetuo in ſtatu ſibi conſentaneo vivere. Hinc & inclinationi genericæ erga

(a) *Quibus qui ſpoliari homines ſtudent, præterquamquod ſutilem inanemque operam aggrediuntur, omni nos naturæ voce orbari volunt, eaque vi ac natura privare, qua animantes ſumus:* hominem de homine tollere, *ut ait eleganter Cicero. Quos ego opinor, cum divina humanaque alios ſuperbe docent, ſe penitus ignorare;*

Quandoquidem ſapiunt alieno ex ore, petuntque
Res ex auditis potius, quam ſenſibus ipſis.

Sed valere jubeamus ſententia Stoicos, opera Epicureos, ac affectus, quos nulla, nec naturæ poteſtas, nec doctrina revellere queat, diſcamus ad rationis ſanctam virgulam componere. Id eſt enim ſapere.

erga bonum velut in sui complementum; & aversationi a malo, ac proinde affectibus, obnoxia est. Deus vero, qui & perfectissimus est, sibique ad beatitudinem sufficientissimus, & potentissimus, nec rapi potest in externa bona, velut in perfectiones naturæ suæ, nec mala ulla timere; itaque nullo dolore, nullaque gestiente voluptate, ac nullis adeo affectibus perturbari.

§. VIII. Igitur persequamur quam brevissime præcipua affectuum genera, eorumque usum & abusum in vita morali, ac civili paullo distinctius demonstremus. Primus ordine & natura qui in nobis progignitur affectus, ex partitione Cartesii, est admiratio, quæ ut superius diximus, est conturbatio animi novitate & insolentia alicujus objecti perculsi, atque in eo contemplando attentissime occupati. Itaque genus καταλήψεως est, seu nervulorum contractio. Nempe quum mens suis in operationibus ab impressionibus in cerebro factis pendeat, si nova quædam & insolita motio excitetur in cerebro, tota ab ea motione rapitur, ac veluti lethargo quodam corripitur, aliisque contemplandis inepta evadit. Sed duæ distingui possunt admirationes, altera quæ pendeat ab amore sciendi, altera, quæ a quadam cerebri torpedine nascitur. Illa rationalis vocari potest, estque eorum propria, qui & amore sciendi aguntur, & temperamentum habent aptum attentioni continuandæ: hæc vero dici potest bruta, estque argumentum stupiditatis. Prioris indicium est, si quis post admirationem ad inquisitionem excitatur: posterioris vero, si admirationem nulla sequatur perquisitio.

§. IX. Usus admirationis insignis est & multiplex. Principio nisi eo affectu natura nostra tangeretur, quasi stupidi essemus, nec unquam excitaremur ad perquisitionem rerum magnarum, pulchrarum, & utilium, aut certe minori ardore ad illas investigandas aggrederemur, quam quo ea incitat. Quemadmodum enim corpora elastica quo magis premuntur, eo majori renisu repugnant, ita animus, quo majori admiratione percellitur, eo vehementius in inquisitionem veritatis enititur. Hinc Plato, & Aristoteles principium Philosophiæ fecerunt admirationem, qua primi mortales in curiosi-

tatem impulsi, rerum naturalium caussas perquirere cœperunt. Qui historiam literarum & artium legerit, is discet quot, & quam præclara curiositas ex admiratione nata, aut vellicata in rempublicam quum civilem, tum litterariam invexerit (*a*), ut intelligere possimus, quam bruti sint ii, qui hunc affectum, quem alere & fovere magno studio in pueris deberent, extinguere conantur. Non sum nescius, plura quoque absurda aut perniciosa inde excitata: sed hæc abusui potius humanæ libertatis naturæque humanæ imbecillitati, quam huic caussæ tribuendæ sunt.

§. X. Deinde admiratio, ut alii animi affectus, non minimum memoriam nostram adjuvat, quemadmodum perspecte observat Cartesius: scilicet affectus omnes attentionem nostram acuunt, & intendunt: ex acuta vero & intenta attentione memoria firmatur. Ad hæc, admiratio animum eo in situ ponit, quo in situ, res attentius contemplari & vestigare potest, earumque cum natura & fine nostro relationes despectare, quod ii non facile efficiunt, qui hoc affectu non satis agitantur, quique proinde incuriosi sunt. Ceterum ut alii affectus, si fuerint frequentiores, indicium sunt naturæ nimium phantasticæ & mutabilis; ita admiratio nimia & frequens etiam ob res minime admira-

ra-

(a) *Primi mortales multo certe fuere illi in arvis durius, ut nunc Americæ agrestes.*

Necdum res igni scibant tractare, nec uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora, atque cavos monteis, silvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra.

Dolore igitur primum permoti vitæ commoda reperere. Hæc mox auxere experientia

Navigia atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, vesteis, & cetera de genere horum,
Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,
Carmina, picturas, & dædala signa polire,
Usus, & impigræ simul EXPERIENTIA mentis
Paullatim docuit pedetentim progredienteis.

Lucret. lib. v. *Sed quis neget plurimos usus rerum admirationi tribuendos? quæ primum defixit animos; mox perculit; tum subagitavit, [illegible] explorare coegit.*

rabiles, argumentum eſt brevitatis, imbecillitatis, & ſtupiditatis mentis. Itaque videmus, nullos hominum tam frequenter, etiam ob res leviſſimas, admiratione tangi, quam ignorantes, præſertim diſciplinarum naturalium, & hiſtoriæ humanæ, quarum rerum periti vix quidquam admirantur, niſi quæ admiratione etiam ſapientium digna ſunt. Quocirca ad ſtupidam admirationem vincendam nihil tam aptum eſt, quam hiſtoriæ naturalis & civilis peritia. Sed & ſi quis rerum novitate facile ſe percuti perſentit, eoque in opiniones aut ridiculas rapi, aut iniquas, aut ſibi ſtatuique ſuo noxias (quod iis, qui peregrinantur, accidit interdum), animo ſuo recolat, hæc eadem, ſi familiaria evaſerint, nullo ſæpe in pretio eſſe, ſpernique adeo. Accidit idem iis rerum uſibus, ac formis, quas in dies permutat luxus.

Sic volvendo ætas commutat tempora rerum:
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore . . .

Lucr. *(a)*.

§. XI.

(a) *Jam admirationem ſæpe graves moleſtæque curæ ſequuntur.* Sequaces curas, & alatas, *dixit Lucretius. Horat. od.* 16. *lib.* II.

Scandit æratas vitioſa naveis
Cura, nec turmas equitum relinquit.

Sed & Regum ſcandit turreis, & doctorum ſubſellia. Teognis venuſte lepideque, φροντιδες ανθρωπων ελαχον πτερα ποικιλ' εχουσαι, mortalium curæ alas ſortitæ ſunt variegatas. *Memini ego aurora boreali anni* 1737. *adeo plures e ſtupore in tremorem collapſos, ut ad imos talos frigidus ſudor manaret, diſſolvique mundi machinam brevi opinarentur. Quibus ecquod alexipharmacon propinabis, præter quam illud, diſce ſodes? Virg.* II. *Georg.* 490.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus . . . . .

Quid vero illi, qui ſummos fortunæ apices, tanquam beatorum ſedes, mirantur, depereuntque? O genus infelix humanum!

. . . . Quoniam ad ſummum ſuccedere honorem
Certantes, iter infeſtum fecere viai,
Et tamen e ſummo quaſi fulmen dejicit ictos.
Invidia interdum contemptim in Tartara tetra

o illud præclarum

Divitiæ grandes homini ſunt, vivere parce,
Æquo animo; neque enim eſt unquam penuria parvi.

Lucret.

Sed

§. XI. Amor est affectus animæ, qui cum motione fluidi corporei calidiore excitatur ad se voluntate jungendum cum iis objectis, quæ naturæ nostræ consentanea videntur. In amore igitur ex sensatione, vel idea rei nobis nostroque fini consentanea, excitatur in sanguine calor quidam placidus, qui quum habitualis evaserit, magnum animi vigorem efficit. Itaque amantes alacres sunt & fervidi, ac plerique etiam natura paullo stupidiores eo affectu ad præclara facinora excitari solent. Quocirca hic affectus, nisi modum excedat, magnus esse potest stimulus ad virtutem.

§. XII. Amoris plures sunt species, quum pro diversitate objectorum & finium, tum pro intensiori, aut minus intensa sanguinis agitatione. Amor erga objectum natura nostra superius, & a quo speramus, vel metuimus, vocari solet amor devotionis. Is cum timore quodam conjunctus est; est igitur affectus mistus. Amor erga æquale in natura nobis objectum triplex est, concupiscentiæ, amicitiæ, & caritatis. Priori amore amamus propter voluptatem nostram ea omnia, quæ velut naturæ nostræ animalis bona apprehendimus, & in quæ excita natura incitat. Eo spectant amor venereus, cibi ac potionis desideria, cupiditas divitiarum, honorum ambitio &c. Altero amamus alios propter se: tertio eos, qui aut sunt nobis sanguine conjuncti, aut quos tanquam sanguine communique stipite conjunctos spectamus. Prior amor naturæ est animalis magis, quam rationalis: itaque & brutis animantibus communis est. Posteriores duo plus habent naturæ rationalis, quanquam & in animantibus eorum alia cernamus vestigia.

§. XIII. Amor, ut ceteri affectus naturæ humanæ, necessarius est & utilis, modo ratione regatur. Principio amore concupiscentiæ venereæ species humana ser-

va-

Sed & illud Horatii nostri grave monitum Lib. II. 18.

. . . Æqua tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris: nec satelles orci
Callidum Promethea
R[illegible]ntus . . . .

vatur; ut si demas, intra seculum hominibus deserta erit tellus. Itaque & in animantibus, ut dictum est, brutis locum quoque habet, magis incitante natura, quam ulla cognitione perducente, ut scilicet brutorum species conserventur. Præterea eodem amore humana industria & solertia fovetur, ut nisi ea concupiscamus, quæ nobis voluptatem aliquam, naturæque levare dolores, afferre possunt, inertes simus & crudi lateres necesse est. Deinde amore caritatis & amicitiæ primum continentur, & conservantur familiæ, quæ, ut eleganter Aristoteles appellat, sunt elementa civitatis: tum vincula majorum societatum junguntur. Nec sane hominum genus sine mutua caritate & amicitia esset aliud, quam ferarum multitudo sese mutuo horrentium, aut dilacerantium. Delirant igitur ii, qui hujusmodi affectum ex hominum natura evellere student. Cicero de Amicitia 7. *Quod si exemeris ex natura rerum benevolentiæ conjunctionem, nec domus ulla, nec urbs stare poterit, ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur, quanta vis amicitiæ concordiæque sit ex dissensionibus atque ex discordiis percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis atque dissidiis funditus possit everti? Ex quo quantum boni sit in amicitia, judicari potest*. Quibus adde, nullum esse animal homine imbecillius, eoque miserius, si a similium amicitia ac cœtu distrahas.

§. XIV. Interim in amore concupiscentiæ tum veneris, tum aliarum voluptatum, plurima inesse possunt vitia, & incommoda, nisi ex lege honestatis componatur. Paullatim enim agitata natura, & ratio opprimitur, & in omne vitiorum genus itur. Incommoda & mala hujus perturbationis quod ad voluptates venereas spectat, elegantissime more suo describit Plautus in prologo Mercatoris, quæ operæ pretium facient adolescentes in hunc affectum proclives si attente considerent. Nam quemcumque hic affectus arripuit paullo vehementius,

Magno atque solido multat infortunio;
Nec pol profecto quisquam sine grandi malo
[illegible] *lus-*

Plusquam res patitur studuit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Insomnia, ærumna, error, terror, & fuga,
Ineptiæ, stultitiæque adeo, & temeritas,
Incogitantia excors, immodestia,
Petulantia, cupiditas, & malevolentia,
Inhæret & aviditas, desidia, ignavia,
Inopia, contumelia, & dispendium.

§. XV. Nec minoribus malis ceterarum voluptatum cupiditates subjectæ sunt, nisi ratione, ac validissime, regantur; inde enim nasci possunt immania vitia, quæ & singulos homines, & integras civitates perdere possunt, cujusmodi immoderata divitiarum cupiditas, ferox & stulta ambitio gloriæ, ingluvies, ebrietas, ceteræ. Scilicet in homine nulla ferme sunt alia vitia, nisi quæ ex abusu cupiditatum, depravata ratione, aut consuetudine, pullulant atque adolescunt: eaque ubi adolevere, non domos tantum, sed Remp. postremo perdunt (a).

§. XVI. Odium est ea animi perturbatio, qua incitamur ad nos separandos ab iis objectis, quæ nobis ingrata videntur, vel noxia. Odium non est simplex affectus, sed veluti mixtus ex ira habituata, & tristitia. Itaque ut amor rarefacit sanguinem, & æquabilem calorem gignit; ita odium adigit ad cor atque latiora vasa. Hinc pallor vultus. Quum odium refertur ad

(a) *Sallustius in Catil.* 15. Postquam (*Romæ*) divitiæ honori esse cœpere, & eos gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci cœpit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere, sua quisque parvi pendere, aliena cupere: pudorem, pudicitiam, divina, atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati haberi . . . . Sed lubido stupri, ganeæ, ceterique cultus, non minus incesserat, viros pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere: vescendi causa terra marique exquirere . . . . Hæc inventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant, animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat. *Est quisquam qui præterea miretur, tam corruptæ Civitatis opes retro lapsas, postremo intercidisse funditus? Quod illi tamen non semel atque iterum accidit, iisdem manantibus causis.*

ad mala generatim conſiderata, odium appellari ſolet. At ſi referatur ad objecta deformia, dicitur averſio, & horror. Ceterum neceſſe eſt, ut natura humana hujus affectus ſit patiens, quo poſſit ſe conſervare: nam ut ſine amore objecta naturæ noſtræ conſentanea minime conſectaremur; ita ſine odio infeſta & pernicialia non caveremus. Eſt igitur odium in animantibus præcipue memorioſis & calculo utentibus: in ſtupidis vix ullum. Sed quemadmodum amor in vitium abit, ſi excedat aut intenſitate, aut extenſione; ita odium in vitium convertitur aut nimia extenſione, ea ſcilicet objecta odio habendo, quæ amare debemus; aut nimia intenſitate, nimirum plus odio habendo, quam par eſt; aut nimia duratione, nempe tum etiam odio habendo, quum objectum deſinit eſſe malum. Huc pertinet illud veteris Philoſophi, *non decet mortalem odia gerere immortalia*: excipio, niſi objecta perpetuo fuerint mala; nam averſio a malis natura fit, eaque quouſque eadem naturæ noſtræ cum objecto malo relatio perſtat.

§. XVII. Sed magna hoc in loco ſuboritur quæſtio, utrum in his affectibus amoris & odii animus mere, ut ajunt, *paſſive* ſe habeat, an etiam *active*, ita ut ii imperio libertatis ſubſint. Ea profecto quæſtio magni eſt momenti. Nam ſi animus in his affectibus mere paſſive ſe habet, in poteſtate noſtra non erit amare, vel odiſſe. Ex quo conficitur, ut leges præcipientes, vel vetantes hujuſcemodi affectus id videantur præcipere, vel vetare, quod in poteſtate noſtra nullo pacto eſſe poteſt. Ac quum affectus omnes ſint commotiones naturæ humanæ ex opinione boni vel mali proficiſcentes, videri poteſt, nullo modo eos imperio libertatis ſubeſſe, ſed ex utilium infeſtarumque rerum phantaſiis neceſſario exſiſtere; quomodo imperio libertatis ſubjectum non eſt, non ſentire odorem ubi res odoriferæ nares vellicant, aut non videre lumen apertis ad lumen oculis. Affectus, inquiunt, natura conſtant, non voluntate.

§. XVIII. Cui quæſtioni ita reſpondemus. Vigilius bonorum, vel malorum phantaſiis, haud liberi ſu-

mus in amoris, aut odii, qui inde neceſſario naſcuntur, affectibus perſentiendis: ſed poſſumus tamen curare, ut exquiſitis aliis, & veris adſpectibus boni, vel mali, quod vetamur amare, illud abhorreamus, aut amemus, quod prohibemur odio habere. Præterea efficere ne ultro temereque accendamur, quod ſtulti, pravique faciunt. Tum operam dare ne, quoad ii affectus durant, actionibus extrinſecis iis abutamur ad ſcelera quævis perpetranda, ad quæ ardentes illi ſuadent. Quantumvis enim affectibus agitemur, liberi adhuc ſumus, ſi non in iis ſentiendis, ſaltem in iis obſecundando. Quod ſi quæſtio agitetur de homine ab affectibus adhuc libero, dum ſerena eſt ratio & purgata, omnem profecto habemus libertatem eas occaſiones vitandi, ex quibus illi in nobis excitari poſſunt: primas illorum ſcintillas ſuffocandi, ne adulti ipſi nos ſuffocent. Atque ex his intelligitur, qua ratione interpretandum ſit præceptum Evangelicum de amore inimicorum, quod cum natura pugnare quibuſdam videtur. Nam & ipſum duplex bonum eſt: quippe plenam in nobis honeſtatem informat, & Deo, æque omnium patri, carum eſt. Tert. contra Scapulam: *amicos diligere omnium eſt: inimicos, ſolorum chriſtianorum*. Cur ita? quia chriſtianis tantum vera plenaque imperatur virtus, animoque concreta.

§. XIX. Tertia claſſis affectuum ex Carteſii partitione continetur ſub cupiditate. Cupiditas eſt affectus animi, quo fertur in bonum futurum. Sub ea comprehenditur etiam averſatio a malo futuro. Nempe quum abſentia mali æque ac præſentia boni ſit bona & concupiſcibilis, in utramque fertur cupiditas. Ceterum ſi quis cupiditatem circa bona futura deſiderium appellare velit, cupiditatem vero circa abſentiam mali futuri, fugam & averſationem, nihil repugnamus: turpe enim eſt Philoſophum de vocabulis concertare. Jam *amorem* quoque & *odium* eamdem ob cauſam appellare poſſis.

§. XX. Inter cupiditates excellunt eæ, quæ ex amore ſunt honeſtatis, horrore turpitudinis. Illæ magis ad amorem accedunt, licet non eo calore, qui in amore

ſen-

ſentitur, accendant, quippe natura animali celſiores: hæ vero ſimiles ſunt odio, & timori, eodemque pene modo atque odium & timor animum concutiunt. Inter bona autem, quæ maxime ad cupiditatem nos accendere debent, excellentiſſima ſunt bona animi: ut omnium malorum nullum magis timendum ſit viro honeſto, quam animi vitium. Interim vulgo non ita exiſtimatur. Animus enim magnæ hominum partis complacentia erga bona corporis, aut fortunæ magis abripitur, quam erga bona honeſta. Magna in primis hæc hominis eſt inſania, peritura curare, negligere æterna (*a*).

(a) *Cujus rei ea eſt cauſa, quod plerique omnes corporis voluptate magis, quam animi tanguntur. Nam eſt hæc ſine ulla controverſia pacatior: illa tamen incitatior vehementiorque. Brevius illa quidem conficitur, ſed ſapit penitius: hæc durabilior, ſed permulcet leniter. Brevi, corporis voluptates animali ſapidiores ſunt: animis animi gratiores. Quotus autem quiſque ſe animal natum non ſubinde ſentit? animum pauci, iique ſapientes, commeditantur. Quo pertinere puto, quod ait Apoſtolus*, hominem animalem ignorare ea, quæ ſunt ſpiritus. *Illud dignum hic quæſitu fuerit, cum Stoici hanc naturæ perturbationem ac imbecillitatem a ſapientibus abeſſe oportere præciperent, docerentque interea, eos naturæ convenienter vivere debere, ecquid illi hiſce verbis*, naturæ convenienter vivere, *ſignificaverint? Cicero de off. III.* I. Etenim quod ſummum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturæ vivere, id habet hanc, ut opinor, ſententiam, cum virtute congruere ſemper: cetera autem, quæ ſecundum naturam eſſent, ita legere, ſi ea virtuti non repugnarent. *Ridicule: virtutem enim ante naturam conſtituiſſe oportuit, aut natura inſitam; quum illi tamen frequentiſſimi docerent longo ad eam itinere iri. Vis igitur dicam? ad naturæ præſcriptum accipio. Ac præſcribit quidem natura, cum dolore aut ægritudine imperat quidquam. Levare igitur dolorem: animi moleſtiam aut ægritudinem expellere: irritatam exaſperatamque naturam placare: id illi naturæ convenienter vivere appellant. Virtutem igitur coluere, quod ea efficiens utilitatis hujus eſſet, quæ pacata natura continetur. Epicurei, dicet aliquis, fuere! Opinor, irato alioquin M. Tullio: verbis enim, non re, ſecernuntur; aut ſi quod eſt, quo diſtent, barba ſola & pallio ſegregantur. Hic noſter convenientem Stoicum egit: nec tamen minus aut ambitioſus, aut opipararum cœnarum appetens; aut villis ſuperbiſque ædificiis excellere avidus. Sed abſtinens alieni fuit, dicet aliquis. Id quidem fateor, ſpolia ac rapinas abſtinuiſſe: clam habere ſi potuit, & honeſtis in ſpeciem nominibus, haud adſpernatus eſt. Na-* [illegible] *tura* [illegible]

§. XXI. Ad cupiditatem autem referri ſolent primo quidem ſpes, metus, zelotypia, ſecuritas, & deſperatio: deinde etiam animi fluctuatio, animoſitas, audacia, puſillanimitas, æmulatio, & conſternatio. Spes eſt animi affectus, quo ita efficitur, ut facile credat id eventurum eſſe, quod cupit. Quumque non evenire id, quod deſideratur, ſit malum; malum vero metuatur; hinc fit, ut nulla cum ſpe non metus aliquis ſit conjunctus, niſi forte cum ea, quæ ob certitudinem rei futuræ, fiducia appellatur. Spes ſanguinem rareſacit, ejuſque motum expeditiorem reddit: metus contra condenſat, atque impeditiorem ad motum reddit. Hinc ſpe lactati lætiores & opimiores eſſe ſolent; metu vero turbati exſangues pallenteſque. Sed & palleſcunt quoque qui ingenia magnorum inceptorum cogitatione vaſtant; quippe in quibus plurimum eſt metus (*a*).

§. XXII. Plerumque ſpes & metus oriuntur magis ex corporis temperamento, aut animi imbecillitate, quam ab objectis externis, eorumque actione. Hæc ſpes dicitur *falſum gaudium*, metus vero *panicus* (*b*).

Ob-

turæ ſcilicet convenienter vivebat. Nam cum emere vellet in Palatio domum, & pecuniam in præſens non haberet, a Publio Sulla, qui tum reus erat (*Catilinariæ conjurationis*) mutuum ſextertium vicies (*ducatorum millia* 50 *circiter*) tacite accepit (*Gell. Noct. Att.* XII. 13.). *Id primum in Senatu inficiatus eſt: detectus poſtremo, irriſit velut* ακοινονοντες, ſenſus communis expertes, *qui redarguebant. Hoc Stoici vocant*, naturæ convenienter vivere. *Sed nullo ævo ejuſcemodi non defuere Stoici*.

(a) *Salluſtius Catilinam paucis, ſed vix imitandis, depinxit*. Namque animus impurus, Dis, hominibuſque infeſtus, neque vigilia, neque quietibus ſedari poterat; ita conſcientia mentem excitam vaſtabat. Igitur color exanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus inceſſus: prorſus in facie vultuque vecordia inerat.

(b) *Timores panici vulgo dicuntur, quibus nulla ſubeſt metuendi cauſa*. Παν, *Pan, ajunt, deus Paſtorum perhibebatur: pineam coronam geſtans in capite, cornutuſque fingebatur: pedibus caprinis inſtructus: altera manu fiſtulam ſeptem calamis conſtantem, altera baculum inflexum tenens: [illegible] ſeſe oblectans. Quum nulli ſint magis avidi auricularum, ut ait Lucretius, quam agreſtes ſimpliceſque homines, affirmabant, ſi veteribus credimus*,

. . . . . . late ſentiſcere quom Pan
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans,
[illegible] ntus . . . .

Jnco

Obſervatum eſt Ariſtoteli, homines & bruta, quorum cor habita ratione ad corpus, magnum eſt, timiditate laborare; quorum vero minus, audacia. Ejus rei ratio eſt, quod cor magnum minus ſit aptum ſanguini vegetando ac movendo: ejus enim fibræ quo longiores ſunt, eo minus ſunt elaſticæ: deficiente in corpore ſanguine, deſit ejus vis neceſſe eſt: inde vero naſcitur corporis habitus meticuloſus. Contra vero homines, & bruta, quorum cor parvum eſt proportione ad corpus reliquum, animoſa eſſe ſolent & audacia, quia vi ſanguinis majori ſeſe valentiora perſentiſcunt. Præterea iidem affectus plurimum pendent a corporis totius temperamento & robore, fibrarum præcipue elaſticitate. Hinc temperamento cholerico, aut ſanguineo præditi, corpore quoque robuſti, audentiores ſunt, & fortiores: timidi contra & imbecilli, qui præditi ſunt temperamento melancholico, aut phlegmatico, quique corpore ſunt tenui & imbecillo. Tandem hujuſmodi affectus pendent plurimum ab animi conſtitutione. Qui enim rerum, in quibus verſantur, imperiti ſunt, timore agitantur; qui autem periti, ſpe pleni, aut audacia eſſe ſolent.

Unco ſæpe labro calamos percurrit hianteis
Fiſtula ſilveſtrem ne ceſſent fundere muſam.
Cetera de gene[illegible] monſtra ac portenta loquuntur.

Huic igitur Pani, quem qui eſſet ignorabant, panicos tribuebant timores. Sed & Faunos pariter extimeſcebant,

Quorum noctivago ſtrepitu, ludoque jocanti
Affirmant, volgo taciturna ſilentia rumpi,

ut ait ibidem (lib. IV. *586.) Lucretius. Igitur Lexicographi a* πχω, paſco *dictum* πανα *putant. Indocte. Servius ad Virg. Ecl.* II. 41. *a* παν, omne, *derivat; ſiquidem naturæ totius partem aliquam in eo effingendo contulerant. Idem ſtatuit Plato in Cratylo, qui duos Panas diſtinguit, verum, & falſum.* και εστι, *inquit,* διπλυς, αληθης τε, και ψευδης. *Illum vult eſſe vim ipſam veri ac* λογου *divinum: hunc, falſi; ac illum* ανωθεν *eſſe, cælitus: hunc* κατωθεν, *inferius. Prob*[illegible]*eque. Namque ſic accipio, ut Pan ſit lex univerſi, ac inſita* δικης νεμεσις, *qua & Deum, & inferos metuimus. Itaque Mercurii filius eſt: Mercurius autem* λογος *ratio ac ſapientia Dei. Igitur timores panici ii primum dicti, quos non ſenſus excitaverat, ſed conſcientia, ac divinitus: mox vani per inſcientiam ac ſocordiam, ſimiliter nominati.*

§. XXIII. Hæc, quæ adnotavimus, probe ſunt unicuique perpendenda. Plerumque enim fit, ut a magnitudine animi decepti, aut ab ejus puſillanimitate exterriti, objecta externa majora, aut minora, quam revera ſunt, æſtimemus, atque hinc in mala graviſſima præcipites ruamus. Dicamus hoc in loco ſemel ſaltem, quod omnibus ſcitu maximopere neceſſarium. Tota hominis tranquillitas in hoc eſt poſita, ut veras relationes, quas cum rebus externis habemus, cognoſcamus, dimetiamur, ſi fieri poteſt, atque iis conſentanee vivamus. Hoc illud eſt, convenienter naturæ vivere: hoc *το μετρον*. Quotieſcumque igitur contingit, ut hunc ordinem turbemus, quieti & beati eſſe nullo pacto poſſumus. Nihil hunc ordinem turbat vehementius, quam affectus falſi, qui ſcilicet rebus aut intenſitate, aut extenſione, aut duratione non ſatis pares ſunt.

§. XXIV. Spes, quæ omnem metum excludit, dicitur ſecuritas, &, ut dictum eſt, fiducia: metus vero omnem excludens ſpem, deſperatio appellatur. Quod ad ejuſcemodi affectus pertinet, obſervandum eſt primum, in rebus humanis nulla in re plena fiducia adhærendum eſſe, niſi ſolis animi ſui bonis: ſola enim hæc ſunt, quæ nunquam nobis deeſſe poſſunt, quum cetera nutent perpetuo, & magna fallant ſæpe ſpecie, quibus idcirco plene fidere nequeamus, ſi ſapimus. Deinde nemini deſperandum eſſe quo[illegible]que periculo, vel malo urgeatur: rerum enim eventus ab infinitis propemodum cauſſis innexi pendent, quæ commutari, atque alia ratione copulari poſſunt, & in bonum verti. Tertio, neminem ad deſperationem adigendum; potentiſſimus enim affectus eſt deſperatio (*a*). Præterea neminem

(a) *Itaque ſapienter Themiſtocles, pontem, qua in Græciam Xerſes trajecerat, devictis terra marique Perſis, intercidi vetuit: ſat enim eorum ſupererat adhuc; ut ſi in deſperationem vergerent, totam poſſent funditus Græc[illegible] vide Plutarchum in Xerſe. Ac vero tota vis hominis animal[illegible] in nervis eſt ac muſculis: hos inflat tenditque ira: iram ſuccen[illegible]it deſperatio. Animantia timida alioquin & imbellia, nonnihil ſæpe is affectus terribilia efficit. Poſtremo cuicumque ſemel decretum eſt mori, omni enititur vi [illegible] ſolus, ac inultus moriatur [illegible]a res devictos inter[illegible]*

[illegible]ntus . . . . [illegible]

nem magis timendum esse, quam hominem spe & metu vacuum: hujusmodi enim homo omnibus feris truculentior est, nec ab eo quisquam, quantumvis potens, satis tutus esse potest. Perstant ejus rei exempla lucu-lentissima in tota humana historia. Exemplo sint duo Galliarum Reges, Henricus III. & Henricus IV. inter suos trucidati.

§. XXV. Zelotypia est metus perdendi bonum, quod impense amamus, & æstimamus, sed ex parvis suspicandi caussis ortus. Itaque est excessus timoris, ac proinde naturæ imbecillis, quum temperamento, tum præsertim ratione. Est vero Zelotypia magnorum & plurimorum malorum caussa, præsertim cum ea laborant ii, qui regimen quodvis gerunt: nam ut animi nimia securitate mala alioquin magna negliguntur, quæ proinde maxima evadunt; ita Zelotypia parva mala, quæ neglecta evanescerent, maxima interdum fiunt. Prudentis enim viri est ut non negligere, quæ alicujus momenti sunt, ita non magni ea facere, quæ minima sunt, nec ullius momenti, quæ esset utilis zelotypiæ natura. Sed agnosco hoc præceptum nisi naturæ & rationis robur accedat, inutile esse.

§. XXVI. Animi fluctuatio est metus errandi in electione mediorum. Audacia vero est animi commotio, qua determinatur ad promte & viriliter agendum. Animi fluctuatio plerumque ex magnitudine contrariarum rationum nascitur: plerumque vero ex infirmo temperamento & ratione imbecilli. Eodem modo audacia aut a temperamento exsistit, aut a magna & robusta ratione. Vir prudens, ne ab hujusmodi affectibus aut impediatur, aut præceps agatur, attentus esse debet continenter ad tempora consultandi, & tempora agendi. Est enim tempus, quo consultandum est, non agen-

dum fugatosque exercitus victores fecit, dum nimium premendo metum mors certa excuteret. Sed & idem in populis verendum. Neminem præterquam [illegible] *potestque tolerari, sine ingenti periculo vexaveris. Præclare igitur Plato (de Rep. II. pag. 428. Ficini Lugd.)* ανικητον θυμον, invictum quid iram *vocat; quippe* ȣ παροντος, ψυχη πασα προς παντα αφοβος τε και αηττητος, quæ cum adest, animus totus imperterritus est ac domari nescius.

dum : eſt vero etiam tempus, quod non conſultatione, ſed mature facto opus habet. Qui tum agunt, quum conſultandum eſt, quales ut plurimum, qui temperamento ſanguineo ſunt præditi, non poſſunt non in graviſſima mala ob nimiam audaciam ire præcipites. Contra qui tum conſultant, quum agendum eſt, ob intempeſtivum timorem rem omnem perdunt.

§. XXVII. Ex iis, quæ dicta ſunt, intelligitur, quæ ſuperius explicatæ ſunt perturbationes, exceſſus eſſe cupiditatis, aut timoris, quæ oboriantur aut a temperamento, aut a ratione imbecilli, aut a prava, vel ruvida educatione. Quocirca qui ab iis cavere ſibi vult, ſi non poteſt temperamentum corrigere, quod procul dubio difficillimum eſt, is ſaltem operam det, ut ratio, ſi fieri poteſt, emendetur & augeatur: ita enim, ut non omnino compeſcantur, ſaltem eo rediguntur, ut minus noceant. Emendatur autem augeturque ratio rerum experimentis atque intelligentia; quod & multo tempore indiget, & patientia. Quid? inquit aliquis: cum temperamentum corrigere nequeo, ſola ratio inutilis eſt ad eos affectus intra ſuos cancellos continendos. Hobbes, ajunt, extimeſcebat larvas, quas fabulas eſſe prædicabat. Ita fieri quoque poteſt, ut quis ſperet, quæ ſibi perſuaſit ſe conſequi non poſſe. Reſpondeo principio, non omnem rationem ad id eſſe aptam, ſed eam, quæ in ſuccum & ſanguinem evaſit, quæ ſcilicet habitu conſtet. Deinde nego homines extimeſcere aut ſperare ea, quæ ſibi perſuaſere eſſe falſa, plurimumque diſcrimen eſſe ajo inter *velle ſibi perſuadere*, & *perſuaſiſſe*, ut inter *velle dubitare*, & *revera dubitare*. Illud moleſtius, quod ſæpe ſtulta, aut imbecilla ratio corporis temperiem ſequatur; ut, niſi hoc revulſo, illi nullo pacto acies dari poſſe videatur. Sed ut in ceteris naturæ rebus, ita ſunt in homine quædam, quæ poſtquam induruerunt facilius reſecueris, quam emendaveris; nec eſt ars ulla aut diſciplina, quæ de bruto hominem faciat; ſi natura reſiſtat.

§. XXVIII. Interim hoc in loco animadvertendum eſt, ſpem & timorem eſſe affectus non ſolum utiles, verum etiam neceſſarios naturæ humanæ, cum primis

in cœtu ac aliorum cum aliis ſocietati viventibus. Itaque qui eos homini adimere ſtudet, de homine laterem crudum facere conatur. Totam quoque vitam humanam, & ſocietatem ſubvertere aggreditur. Primum ſpes non ſolum temperat præſentes moleſtias, verum etiam alas virtuti addit; ut ſi ſpe nulla tangi poſſint natura noſtra, in eo, in quo eſt, ſtatu, miſerrima ſit neceſſe eſt, quippe neſciens mollire præſentia ac dura, & nullo ſtimulo ad longinqua bona perſequenda agitata. Deinde metus velut ſepimentum eſt, quo mala arcentur, quum a natura ſingulari, tum a tota ſocietate. Bellua nulla ferocior eſſet & infeſtior homine, ſi nullo metu tangi poſſemus, quod & ſuperius adnotavimus (*a*).

§. XXIX. Quæſitum eſt, cur ſpe lactati homines, quæ tamen moderata ſit, & ſine æſtuante deſiderio, bene ſe habeant? Deinde cur qui timent, expalleſcant & contremiſcant? Paucis ac eleganter explicat primam quæſtionem Hieronymus Cardanus lib. 14. de rerum ſubtilitate. *Spes*, inquit, *ſenſim naturalem calorem diffundit. Unde inter omnes affectus animi ſola ſpes hominibus utilis eſt; concoctionem enim, & dulces ſomnos parit, unde etiam corpus bene coloratum reddit & pingue.* Ex quibus intelligi poteſt, qui potuerint viri quidam ſancti in ſummis anguſtiis corporis poſiti, dum tamen bona divinaque ſpe pleni expectarent beatam retributionem, pulchro oris adſpectu videri. Ac vero cum totum

(a) *Nihil æque cogit eſſe bonos: cupiditatem enim compeſcit metus. Themiſtocles verebatur Ariſtidem, quo fiebat, ut ne ambitioni ac dominatui fræna laxaret: Cimonem Pericles: Germanicum Druſumque Tiberius; quibus occiſis, quantum naturæ malignitatis tegeret, patefactum. Quare ſapienter Plato in* v. *de Rep.* (*pag.* 462. *Ficini Lugd.*) *magnos eſſe ait in Rep. ad arcendam injuriam cuſtodes ac miniſtros* δεος τε και αιδω, metum ac pudorem. *Quid, quod ejus, quæ vera eſt ſapientia, metus initium eſt? Quapropter a Chryſoſtomo hom.* xv. *ad popul. Anthioch. timor dicitur* τειχος, [illegible] ασφαλεια, και πυργοι ακαταγωνιστος, murus, munitio, turris inexpugnabilis. *Horat. ad Romanum populum lib.* III. *od.* VI.

Dis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.

tum corpus cordis quasi explicatio & propagatio sit, ut docebunt Physici; cor vero afficiant commoveantque affectus; nihil æque sanitati confert, quam jucundis motionibus demulceri.

§. XXX. Quod spectat ad alteram quæstionem, caussa in promtu est. In timore enim colligitur statim sanguis, & cogitur in interiores corporis partes. Quumque artus sanguine & spiritibus destituantur, tremunt timentes, vox aufertur, totumque corpus pallescit. Sed qui fieri potest, ut subito timore canescant quandoque etiam juvenes? Scilicet quum magnus timor humorem, quo nervuli ac capilli virescunt (nam nervorum sunt propagines) retrahit, tum subitam canitiem inducit, non secus atque frigus dum succum nutrititium ex ramis plantarum retrahit ad vasa interiora, plantarum frondes arescunt.

§. XXXI. Supersunt gaudium & tristitia cum sua sobole. Bonum præsens perceptum, quod nos spectat, aptumque sit naturæ nostræ perficiendæ, conservandæ, beandæ, lætitiam & gaudium excitat: malum vero præsens perceptum, quod aptum sit naturæ nostræ destruendæ, vel minuendæ, vel infelicitandæ tristitiam seu ægritudinem parit. Positum est gaudium in æquabili quodam & tenui calore, qui paullatim sanguinem rarefacit, ac præterea in intensiori fibrarum & nervorum tensione. Nullus est affectus æque sanitati hominis conservandæ aptus; siquidem eo vasa fluidorum lente dilatantur, motus fiunt expeditiores, & expiratio ac perspiratio liberior, quod plurimis observavit Sanctorius in Statica corporis humani medica. Hinc lætantes vegeto sunt & rubicundo colore, quoad temperamentum patitur. Tristitia consistit in retardatione motus sanguinis, & caloris quadam remissione: itaque videre est tristes squallido vultu & lurido. Quum in tristitia vasa fluidorum coarctentur, motus retardetur, respiratio impediatur, apparet quænam sit causa, cur tristes tam frequenter ægrotent (a).

§. XXXII.

(a) *Itaque aut nulla, aut hæc sola est ars beate vivendi, si hilariter, ex animique sententia vitam agitemus perpetuo. Hisce,* *si* [illegible]ntus . . . . [illegible]*ais,*

§. XXXII. Quemadmodum lætitia præsenti hominum statui utilis est, tristitia vero noxia ; ita si tota vita moralis spectetur, nimia lætitia noxia est, parum tristitiæ utile. Nam nimia lætitia aut nos superbire facit, aut omnia contemnere ; parum vero tristitiæ nos singulis in rebus attentos efficit. Nihil unquam præclarius est a Tacito dictum, quam illud, *secundæ res nos acrioribus stimulis exagitant ; quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur*. Ceterum si tristitia modum excedat, quod contingit aut ob magnitudinem malorum, aut ob temperamentum melancholicum, aut ob alias causas ; nos in fanatismum præcipitat, atque ineptissimos quum ad privatam, tum etiam ad civilem vitam efficit. Nam nimium tristes, & secum ipsi perpetuo irati videntur, & in societate civili suspiciosi omnia turbare conantur. Refert Plutarchus in Cæsare, illum timuisse neminem magis, quam Brutum Stoicæ Sectæ hominem & perpetuo tristem. Nec sine ratione timebat hominem ingentium spirituum & inquietum, a quo tandem trucidatus est. Quare lætitia gestiens inepta est : magna tristitia periculosa ; medius animi status utilissimus (a).

§. XXXIII. Sub capitibus superioribus plures alii continen-

ais, nostris moribus, [illegible] in his magnorum affectuum officinis, quas urbes appellavimus? Ludovicianæ incolas nihil nisi lætitiam, animosque sua sorte contentos expirare, nostri, cum eo delati sunt, repererunt. Seminudi, literis ineruditi, perpetuo infantes. Igitur & ludibundi perpetuo, & hilares. Itaque ego quoque Prometheo subirasci incipio, qui raptum ætherea domo ignem *tot curis nos oppressit*.

(a) *Sunt &* gaudia turbida, *ut vocat Horatius, cum bono, quo lætamur, aliquid immiscetur aut suspicionis, aut mali. Virgilius* = Lætitia metuque avidi = *Claudianus* = mixtoque metu perterrita gaudet = *Neque alio, dum hic agimus, hominum gaudia. Animi igitur virtute, eaque unica, nobis gaudendum lætandumque ; quippe ea, si radices jecit, [illegible] duruitque, perpetuo constare potest. Horat. ep. x. lib. 1.*

Quem res plus nimio delectavere secundæ
Mutatæ quatient. Si quid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna : licet sub paupere tecto
Reges & Regum vita præcurrere amicos.

tinentur affectus, quos ſingillatim recenſet Carteſius (*a*), & quorum phyſicam naturam, ſine cujus cognitione ne moralis quidem eorum uſus intelligi poteſt (*b*), diligentiſſime inveſtigat. Nos ad majora feſtinantes, minuta quædam prætermittimus, quæ induſtrii lectores aut ipſi per ſe intelligere poſſunt, aut aliunde petere: illa accuratius deſcribemus, quæ noſtra magis interſunt, quæ commiſerationem, invidentiam, & iram ſpectant. Commiſeratio eſt triſtitia orta ex conſideratione alicujus mali, quod ei accidit, quem eo malo indignum putamus. Coaleſcit hic affectus ex amore & triſtitia ſibi mutuo occurrentibus, ut nempe amore ferveſcat ſanguis, triſtitia torpeat. Atque hinc ſcire licet, cur fiat, ut nullo affectu tam facile illacrymentur homines, quam commiſeratione: id enim evenit eodem prorſus modo, quo creatur in aëre pluvia. Videlicet quemadmodum pluviam efficiunt calor, qui aquas terreſtres ſublevet in vapores; & frigus aliquod, quo vapores illi in aëre condenſentur, & coaleſcant; ita ut quis illacrymetur, neceſſe eſt, ut commotione quadam ſanguinis excitetur calor, atque motus in cerebro augeatur, faciatque quaſi vaporationem quamdam; deinde ut ſanguis paullo refrigeretur, & vaſa, ac glandulæ lacrymales comprimantur. Prius efficit amor, ex quo initium habet miſericordia; alterum vero

(a) *Nemo tamen copioſius & accuratius quam* M. de la Chambre *in opere prope dixerim divino*, de natura & characteribus affectuum.

(b) *Mihi & abſurdi & perridiculi oppido ii videntur, qui Ethicas Politicaſque diſciplinas pertractandas aggrediuntur, omni prorſus Phyſiologiæ cognitione deſtituti. Nam ſi cui rei ejuſcemodi diſciplinæ ſunt utiles (ac ſunt enimvero) affectibus ſunt componendis ac regendis; quorum nec naturam, niſi phyſiologus, intelliget; nec vim componet, moderabiturque, niſi qui, quibus aut delinimentis ferox hominum natura demulcetur, aut fulcris ſuſtinetur, e phyſiologia acceperint. Neminem Pericli vetus Græcia parem, nec gerendæ Reipublicæ, nec hominum a[d] nutus, quo vellet, ducendo, peperit: ſed eum nec morum quæſtiunculæ fecere, nec inanes incomprehenſibilium rerum diſceptationes, ſed Anaxagoræ ſummi phyſiologi diſciplina ac conſuetudo, ut perſpecte judicavit Plutarchus, cujus Periclis vita hic perlegi velim.*

vero tristitia, quæ concepto amori supervenit. Inde quoque intelligitur, cur post lacrymas sereniori simus mente: scilicet ea evacuatione humoris liberior evadit motus fibrarum cerebri & fluidorum. Idem contingit & in ceteris corporis aut perspirationibus, aut evacuationibus.

§. XXXIV. Hic affectus utilis est & machinæ humanæ, si illacrymationem creet, nec tamen nimiam; & societati hominum. Ac quod attinet ad posterius, quum potissimum societatis vinculum in hominum inter se communicatione & amore sit positum, ii affectus, qui hoc vinculum fovent, arctiusque efficiunt, omnium maxime hominum societati utilissimi sunt. Id quum efficiat commiseratio, satis aperte ejus utilitas intelligitur. Itaque jure ac merito eos efferatos & inhumanos habemus, qui eo affectu non tanguntur, quos inde potissimum cognoscere licet, quod ad hominis miserabilis præsentiam nec illacrymentur, nec oculos torqueant, nec colorem mutent. Ii omnino cavendi sunt tanquam infestissimæ feræ. Itaque quotiescumque Plautinum servum audio misero irridentem, *oculos habeo pumiceos: nequeo exorare lacrumam*, stomachus commovetur. Illud verum, *siccoculum esse servorum genus*. At videndum, acceperimus ne tales, an fecerimus (a)?

Ce-

(a) *Qui, dicet forsitan aliquis, genus humanum, quo pauperius, eo clementius ac miserantius? Quia nempe minus cupidum, eoque liberalius. Qui igitur primi homines intra urbes coegerunt, luxumque docuerunt, humanitate exuisse videntur. Legi hæc in vita gestisque Christophori Columbi, quæ Ferdinandus Columbus literis mandavit, versaque sunt italice* = Tanto è la gente amorevole (*in incolis Antillarum*), e senza avidità, trattabile e mansueta, che io giuro alle A. V. (*ad Ferdinandum & Isabellam Castellæ Reges scribit*) che nel mondo non vi è nè miglior gente, nè miglior terra. Amano questi il prossimo come se stessi; ed hanno un ragionare il più dolce e mansueto del mondo, allegro, e sempre accompagnato dal riso. *Tantæ virtutis causas quæret aliquis. At ille statim suppeditat.* Ben è il vero che vanno nudi, [illegible] siccome son nati. Pur credano le A. V. che hanno costumi molto lodevoli, *cap.* 32. *Quid vero nos auro fulgentes & gemmis, severisque literis exculti? Subit animum præclarum Theognis dictum apud Platonem in Menone pag. 23. A. Ed. Lugd. Fic. . . .*

[illegible] . . .

Ceterum nimius commiserationis usus etiam erga illos, qui commiserationem nullam merentur, naturam arguit nimis imbecillem. Hujusmodi homines rerum humanarum regimini minus apti sunt: nam perpetuo sunt aut infantes, aut senes.

§. XXXV. Invidentia definita est a Stoicis ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil nocent invidenti: nam si quis doleat ob ejus res secundas, a quo ipse lædatur, magis vindicta, odium, ira, quam invidentia dicetur. Quum invidentia sit continuata & lenta ægritudo ac dolor, inde intelligitur illud Horatii,

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

Ex quo sequitur alterum, quod idem Poëta scribit, quodque eandem habet rationem physicam,

Invidia siculi majus non invenere tormentum
Tyranni.

§. XXXVI. Est invidia excessus amoris proprii & odii: itaque est animi parvi, & parvæ mentis: magnanimi enim & boni viri nulli invident (*a*). Quum porro invidia sit excessus tristitiæ, semper vitium est, invidenti non modo inutilis, sed etiam perniciosa, quippe propter quam in nefaria fertur. Tacitus quia magis quod fit, quam quod fieri nefas sit, videtur spectasse, in primo libro historiarum scripsit, *ita naturæ comparatum est, ut præsentem aliorum felicitatem ægris oculis*

. . . . . αλλα διδασκων
Ουποτε ποιησεις τον κακον ανδρ' αγαθον.
Neque enim docens
Unquam bonum feceris hominem qui pravus sit.

(a) *Qui, dicet quispiam, & ubi terrarum, homines infinitæ mentis, atque animi? Sed & ob idipsum nullum non invidum animal, eaque maxime, quæ homini viciniora. Jam & civitates, & luxus invidiam exacuisse videntur. Quo spectare opinor, quod lepide Plato in Philebo scribit* το τοινυν δε ρηθεν ονομα φθονε, novum esse & recenter invectum invidiæ nomen, *rem potius, postquam nimirum tanta ex[illegible]titit [illegible]. Nam cui puerorum ignotum nihil in Homero ac Hesiodo frequentius, quam verbum* φθονεω? *A cupiditate est invidia: illa a dominatu & luxu. Igitur recte invidia* λυμη της φυσεως, pestis naturæ, *a Chrysostomo appellatur.*

[illegible]ntus . . .

oculis intueamur. Scilicet quanquam dubitandum non est, quin immoderato nostri ipsorum amore maxima hominum pars ita affecti simus, ut præsentem aliorum felicitatem non sine dolore oculorum adspiciamus; tamen totum hoc aut depravatæ fuerit naturæ omniaque stulte ad se trahentis; aut fortunatorum superbiæ ac immanitati tribuendum, qui tum insultant, quum beatos se opinantur. Vir ergo bonus & honestus ad præsentem aliorum felicitatem ita rationes inibit, ut seu alter felicitatem illam ob virtutem adeptus est, & ipse virtuti comparandæ studeat: seu ob malas artes, & glorietur potius, non ita se esse comparatum, ut ejuscemodi artibus virtutem fœdet; seu ob *fortunæ temeritatem*, ut dici solet, & arcana providentiæ divinæ veneretur, quum nihil sit aliud, quæ dicitur fortuna, nisi Providentia divina, quæ nihil temere agit. Sed ex invidia magnas utilitates capere possumus, si sapimus. Invidi enim sunt omnium oculatissimi exploratores virtutum & vitiorum nostrorum. Itaque non aliunde accuratius discere possumus vitia nostra, nec aliunde vehementius incendi ad virtutem. Præclara & magno Philosopho digna sententia illa est; oportere invidentes ulcisci profectu nostro. Hæc sola ultio viro honestatis studioso licita est. Legatur aureus Plutarchi Libellus *De utilitate ex inimicis capienda* (a).

§. XXXVII. Ita est libido ulciscendi ejus, qui nos videatur læsisse injuria. In ira sanguis subito ebullit, atque in vultu, & oculis cernitur. Existimat Hieronymus Cardanus, iram temperamentis pituitosis, & phlegmaticis esse affectum utilissimum, quod scilicet machinam suapte natura molliorem excitet, & faciat agiliorem. Sed in societate civili tum utilis est, quum mo-

(a) *Sæpe aliorum aut felicitas aut gloria urit* = urit enim fulgore suo qui prægravat artes = infra se positas, *ut ait noster Horatius. Itaque naturam vellicat, paritque æmulationem: æmulatio & laborem cumulat, & artes perficit. Tametsi igitur invidentia vitium est, habet tamen aliquid effecti, quod laudare possis. Sed id utile, quousque malis moribus repagulum est aliquod: luxuriantibus illis, ac libere vagantibus, pervertit id ipsum, in quod intente tendit.*

modum minime excedit: necessaria enim est, ut nos defendamus, & injurias propulsemus. *Elasticitas animalis* appellari potest. Sed si modum excesserit, aut frequens fuerit, abeatque in habitum, nihil vitæ civili infestius. Hanc iram jure veteres dixerunt *brevem insaniam*. *Hominem nimium iratum, ruinis simillimum* dicit Seneca, quæ super illud, quod oppressere, franguntur. Legendi sunt hujus Philosophi libri *De ira ad Novatum*.

§. XXXVIII. Postremo id etiam in affectibus observandum est, omnes ferme in vultu apparere, atque inde discerni posse. Id non sine Providentia divina fit. Primum enim si affectus sint noxii, ex vultu ejus, qui iis agitatur, nobis cavere possumus. Deinde ex eodem vultu ceteri spectantes nobis conjunguntur ad defensionem, si fuerint affectus ex malo provenientes. Tertio si affectus fuerint amoris, & benevolentiæ, iisdem signis adstantes concitantur, atque eodemque affectu commoventur. Itaque nulla ex re clarius intelligi potest, homines ad societatem, & vitam communem creatos esse. Qua ex re præclaras deinde consequentias deducere possumus (*a*). De conjectandis animi motibus ex vultus forma ac signis, scripsere plures, nec sine magna verisimilitudine. Scipionis Claramontii extat *Semiotica*: Portæ nostri *Physiognomia*. Mediocria. Ego his in rebus physicum, eumque Anatomicum, audio facilius, quam Ethicum. Illi perspecta natura: huic *expromta imaginatio*.

CA-

(a) *Noverunt id Oratores, qui non aliam vehementiorem accendendæ multitudinis artem habent, quam ut ita vultu, atque gestu concitentur, ut eos incendi volunt, ad quos loquuntur. Inde fuere illæ in vetustis Rebusp. turbæ: inde factiones. Ceterum nemo incendi potest, nisi magnarum seu utilium, seu terribilium rerum imaginibus. Quo illæ & grandiores fuerint, & vividioribus depictæ coloribus, eo spectatores concitantur fortius. Cum nulla re penitius commoveamur, quam natura ipsa, præsertim si insolens sit: eam oculis spectatorum vel lectorum objicere aut orator aut poeta debet, qui eos irasci, aut metuere, aut amare vult.*

CAPUT VI.

De officiis erga alios perfectis, & absolutis.

§.I. EX iis, quæ in I. Libro demonſtrata ſunt, perſpicuum eſt, hominem qua hominem debere aliis hominibus natura ſibi æqualibus eadem jura, ac ſibi; adeoque amicitiam non minorem, quam ſibi ipſi, etſi non priorem. Ita ergo jure ſuo uti poteſt, ut nullo modo alienum invadat. Ea igitur amicitia duo exigit officiorum genera, alia ut ne quemquam lædamus; alia ut aliorum bona pro virili provehere, & amplificare ſtudeamus. Quæ ambo ex natura amoris proficiſcuntur: nam qui amat, nec lædit, quem amat; & quatenus poteſt, juvat. Eadem ex lege efficiuntur Univerſi, *jus ſuum cuique tribue*. Priora officia juſtitiæ appellari ſolent, poſteriora humanitatis, & beneficentiæ. Jam vero quum aliorum bona vel naturam ipſam humanam conſequantur, ac nobiſcum connata ſint; vel ſint extrinſecus arceſſita ad nos conſervandos, qualia præſertim ſunt bona fortunæ; quæ officia ſpectant, ne priora bona deteriora efficiamus, *abſoluta* conſueverunt appellari: quæ vero pertinent, ne lædamus poſteriora, *hypothetica* dicta ſunt, quia hominum facta, & pacta conventa ſupponunt. Ut autem de iis omnibus via & ratione differamus, primum de perfectis & abſolutis agemus; deinde de perfectis hypotheticis; tandem de officiis quæ ex humanitate, liberalitate, & beneficentia ducuntur.

§. II. Ac principio conſtituendum eſt, hominem homini natura, nempe qua homo eſt, eſſe æqualem. Nam quanquam intenſitate qualitatum & perfectionum ejuſdem naturæ humanæ alter alteri ſæpe præſtat, externaque forma, aut moribus ab altero differt; natura tamen ipſa non antecellit, nec differt: id eſt *eſſentialia* naturæ humanæ ſunt in omnibus hominibus eadem, licet non eadem ſint adventitia, quæ educatio, legislatio & regimen civile, ars, imitatio, exercitatio, clima, commercium, aliæque externæ cauſæ efferunt.

Quare iniquos cenſeo, qui ſcribunt, ſtupidos & barbaros homines plus ſpecie a perſpicacibus & cultis differre, quam ab hominibus ſtupidis animantia bruta perfectiora. Stupiditas enim aut perſpicacia, ignavia aut induſtria, barbaries aut cultura, non ſunt argumentum diverſæ naturæ, ſed tantum aut diverſorum temperamentorum corporis, aut diverſorum habituum, ex quibus diverſitas tantum *accidentalis*, non etiam naturæ naſcitur. Et quemadmodum idem eſt homo quod ad ſubſtantiam, infans, adultus, ſenex, licet non iidem ſint in infante, adulto, & ſene habitus intellectus, voluntatis, corporis; eodem modo homines indocti, ſtupidi, ignavi, & docti, ac perſpicaces, non plures, ſed eamdem ſpeciem conſtituunt, atque ad idem animantis genus pertinent. Nam quod cenſet Ariſtoteles, homines diſpari conditione naſci, alios natura ſervos, ut barbaros ſtupidoſque, ac ignavos; alios natura dominos, ut egregiæ indolis homines, gnavoſque; id ita accipio, ut naturæ conſentaneum ſit, in ſocietate civili prudentiores gubernare, ſtupidiores parere, quia regimen politicum eſt ſapientiæ & prudentiæ opus.

§. III. Ceterum quum dicimus homines natura eſſe æquales, eas hominum proprietates ſpectamus, quæ omnibus naturales ſunt, & inſitæ: alioquin non levis, ut dictum, eſt inter eos diverſitas ex proprietatibus adventitiis, & ſtatibus humanis. Proprietates enim adventitiæ, modo ſecundum naturam, velut gradus quoſdam perfectionum inter homines pariunt; qui idcirco diverſa quoque jura invehunt, ac nova officia exigunt. Præterea diverſi hominum ſtatus, quibus fit ut alii ſint Patres, alii Filii, alii Senes, alii Juvenes, alii Magiſtratus, alii Populus, alii Imperantes, alii Subditi, alii Sacerdotes, alii Laici, atque innumerabiles alii; & ipſi non parvam differentiam inter eos conſtituunt; quam obſervare, & propriis officiis proſequi, æquum eſt; quia id ſecundum naturam eſt, & ad hominem ipſum ſervandum pertinet. De his autem ſtatibus inferius dicturi ſumus. Illam nunc naturæ æqualitatem conſideremus, atque inde profluentia officia explicemus.

§. IV. Quoniam ergo omnes homines quod ad naturam ſunt æquales; ideſt æqualia ſunt eademque ingenita cuique jura; ſequitur, ut in eo, in quo ſunt æquales, ex æquo eos lex naturæ ſpectet, & ex æquo omnibus conſulat, & ut ſint, & ut bene, beateque ſint. Ergo omnibus omnino præcipit, ne quemquam ullo modo lædamus, ideſt ne cujus perſectiones, ſeu naturales, ſeu juſte acquiſitas, deteriores efficiamus, neve cujus juri detrimentum ullum aut impedimentum afferamus. Nam ſi cuiquam liceret quemquam lædere, non omnes iiſdem juribus præditi naſceremur; nec omnes ex æquo lex naturæ ſpectaret; nec omnibus ex æquo conſuleret; nec propterea omnes ut æquales haberet. Ipſa nos conſcientia ejus præcepti admonet: nempe nemo eſt, qui non clare perſentiſcat egregiam illam naturæ vocem, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, &, *quo jure alios tecum agere vis, eodem ut cum aliis agas*. Quin id e re noſtra eſt; niſi enim hæc lex obtineat, nihil cuique certum & ſalvum eſſe poteſt, ut perpetuo incerta ſit vita noſtra, fama, bona, neceſſe ſit. Nulla major privata utilitas, quam in commune conſulere. Stulti atque indocti, qui contra, quam hæc ſancit regula, quidquam commoliuntur.

§. V. Præclare Seneca eam rem demonſtrat ex natura ſocietatis, in qua vivimus: *Nefas eſt*, inquit, *nocere patriæ: ergo civi quoque: nam hic pars patriæ eſt: ſanctæ partes, ſi univerſum venerabile eſt; ergo & homini: nam hic in majori tibi urbe civis eſt. Quid ſi nocere velint manus pedibus, pedibus oculi? Ut omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſervari totius intereſt; ita homines ſingulis parcent, quia ad cœtum geniti ſunt: ſalva enim eſſe ſocietas niſi amore & concordia partium non poteſt*. Hæc ille *de beneficiis*. Et certe cum eo, qui ne vilia quidem humanitatis officia nobis præſtare paratus eſt, dummodo ne lædat, vitam ſocialem inire utcumque poſſumus, & ſæpiſſime inimus: at cum paratis ad læſionem nullo modo ſociari: quilibet enim quodam naturæ impetu ab eo cavet, qui lædere promtus eſt. Copioſe hæc explicat Puſendorffius de jur. natur. & Gentium. Lib. III Cap. I. §. I.

§. VI. Atque hæc adeo perſpicua ſunt, ut inter ſcita nationum omnium, ſaltem non omnino moribus efferatarum, hoc maxima cura repetitum legamus, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Certe inter præcepta honeſtatis naturalis illud retulerunt Romani, *neminem læde*. In eadem ſententia explicanda atque inculcanda, & veterum Romanorum exemplis confirmanda, plurimus eſt Cicero in I. Lib. de Offic. Præclarum eſt & illud, quod de Alexandro Severo Lampridius refert in ejus vita, adeo nimirum placuiſſe ei ſententiam iſtam, ut non ſolum juſſerit eam præſcribi in Palatio, & in publicis operibus, verum etiam quum aliquem increparet ob illatam alteri injuriam, vel damnum, per præconem præceperit clamari, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Idipſum prædicatum apud veteres nationes, in primis apud Græcas, plurimis demonſtrat Grotius. Plato, & Ariſtoteles, atque alii Græci Philoſophi copioſiſſime idem dogma explicant, atque inde omnes leges juſtitiæ derivant. Obſervavi ego ſæpe, infantes, cum validior eos aliquis ſine ulla cauſa aut percuteret, aut terrefaceret, reſpondere ſolitos, *quum nihil tibi ſit a nobis mali, cur verberas?* Quæ naturæ profecto vox eſt (*a*).

§. VII. Suum igitur cujuſque jus omnes leges naturales lædere vetant. Id quod eo vel maxime ſervandum eſt, quod qui alterum lædit, ne ipſe quidem tutus

(a) *Quid igitur cauſæ fuiſſe dicamus, ut cum hæc non ſolum non ignorent, ſed ultro profiteantur agreſtes indoctique homines, magnis in urbibus, noſtriſque Achillibus, ignavorum animorum ac degenerum, ignota eſſe videantur? Nempe eo tandem aliquando luxuriei venimus, ut quo cultiores, eo vehementius vitam agitemus ferarum; quibus, ut ait Heſiodus, hanc legem Saturnius dedit Jupiter, ut ſeſe mutuo captent, vorentque. Itaque ea hodie ſapientia eſt celebraturque maxima, ut, quemadmodum noſter ait Horatius, ſi quis intelligentior eſt, tum ſapit, cum*

. . . rara tendit retia
Turdis edacibus dolos,
Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem
Jucunda captat præmia.

Nempe hæc eſt illa pernicies, quod alios bonos, alios ſapientes exiſtimant. *Cic. III. de off.* 10.

tus a læſione eſſe poſſit, nec propterea tranquille vivere, ad quod omnes, niſi ſtulti ſimus, contendere debemus: Quum autem hoc cujuſque ſuum jus ad varias perfectiones pertineat, animi nempe, corporis, publicæ exiſtimationis, bonorum fortunæ; omnia hæc quocumque modo efficere in alio deteriora, eſt adverſus primarias naturæ leges peccare, ſeque ipſum infelicitare, aut cur miſere ſit, cauſas ſtruere. Sed de ſingulis juris cujuſque partibus ſingillatim diſſerendum eſt. Ut autem initium ab animo faciamus, poſſumus alterius mentem lædere vel in ratione, vel in voluntate. In intellectu tripliciter: primo omiſſione culturæ, ſi aut natura, aut conventione ad eam obligemur: ſecundo prava inſtitutione: tertio pravis doctrinis.

§. VIII. Ac principio parentes, aut qui parentum ſunt loco, tutores, curatores, pædagogi, doctores, pactis tenentur, eam liberorum curam ſuſcipere, qua eorum intellectus ea cognitione imbuatur, quæ naturæ & conditioni eorum eſt neceſſaria: quæ utilis ſibi, aliiſque. Hanc curam qui negligunt, aut non recte exercent, ii non minus adverſus naturæ officia peccant, quam qui dedita opera alienas mentes depravant. Tum Magiſtri omnes omnium diſciplinarum & artium ex conventione obligantur rite atque recte commiſſos ſibi diſcipulos erudire. Qui ſi aut minus ſint ipſi in iis verſati, aut artem docendi ignorent, & vel nimia prolixitate, vel ineptiis rebuſque minime intelligibilibus faſtidium creent, atque ab honeſtis ſtudiis avertunt; vel nimia brevitate mentibus tenebras offundant: aut perturbatione doctrinarum & præceptorum rationem pervertant: aut tandem nimia ſeveritate odium in literas arteſque ingenerent in ſuis, vel nimia indulgentia laſcivire ſinant ingenia; graviſſimo crimini ſunt obnoxii (*a*). Et quandoquidem omnis læſio natura ipſa re-

(a) *Nec vero velim, ut quis arbitretur, in perſonas modo, familiaſve ab his peccari: in civitatem ipſam ac Remp. peccant; in qua, ut ſubtiliter, vereque diſputat in* III. *de Legibus Plato, cum tria ſint maxima* νοσήματα, mala, *ignorantia ruſticitaſque* πικρὰ acerba *civium, error, improbitas; omnia ab illo fonte, rerum utilium ignorantia, manant, probatque illud, quod & noſtri*

reparationem exigit; nisi illata damna resarciant quoad sciunt & possunt, in lædendo perseverant.

§. IX. Quid, inquit aliquis, si nec meliora sciant, nec melius? Nempe posteriores, idest magistri, cedere de instituto suo debent, quod sine crimine exercere nequeunt. Priores autem, idest parentes, nihil prius neque antiquius habere debebant, si sapere volebant, & honeste agere, quam, ut ait Plato, ea primum discere, quæ sunt ad educationem liberorum necessaria, quam nuptiis animum intenderent. Id si neglexerunt, atque brutorum animantium in morem non ratione, sed veneris stimulo in nuptias irruerunt, nec grandiores discere possunt; quoniam fieri nequit, quin patres sint, saltem sapientes institutores liberis dare debent; aut, si inopia prohibet, publicis committere. Nihil clarius ex jure naturali sequi video: natura enim exigit, ut homo homines generet & educet, non aut bruta, aut feras. Interim nihil latius aut frequentius negligitur. Publicum malum, ex quo pessimi quique mortalium proveniunt, & inquinatæ scelestis aut ineptissimis civibus civitates. Nihil ego hoc fœditus & nefandius habeo; quia civitatum seminaria inficit (*a*).

§. X.

stri dicunt, omne peccatum esse ignorantiam. *Enim vero superbia, luxus, crapula, injuria, dolus, superstitio, impietas, quæque crimina urbes gentesve corrumpunt, ac postremo perdunt, huic causæ debentur omnia, quod, ut ait ille,* cum pudendum est, non pudet; pudet, cum pudere non oportet.

(a) *Id Lycurgus prospexit, qui sanxit, non privatam rem esse liberos, sed publicam, publicæque institutionis & disciplinæ: itaque non parentibus, sed Reip. credidit, ab eaque educi, exercerique voluit: qua de re vide Plutarchum in Lycurgo. Ac vero quam sumus rustici rerumque civilium imperiti, qui existimamus quidquam esse posse magis publicum, aut quod magis Reip. intersit, quam sunt infantes! Quasi si aliud sit, ex quo Resp. coalescat, quam familiæ. Hoc ipsum in christianis civitatibus sapienter ac divinitus constitutum est: nam quam aliam partem in iis ecclesiastici gerunt, nisi educatorum, ac præmonstratorum virtutis & sapientiæ? Sed nescio quo fato factum est, ut postquam de imperio ac divitiis disceptari cæptum, acriterque contendi, pro virtute vitia, pro sapientia petulans ignorantia provenerit. Quo in loco grave illud Hippocratis dictum usurpare quis possit,* quæ juvare sueverunt, si noceant, lethalem scito esse morbum.

§. X. Deinde gravius etiam multo adversus naturæ leges ii peccant, qui scienter & prudenter pravis vel disciplinis vel doctrinis aliorum mentes inficiunt. Nam & id lædunt dedita opera, quod est in homine præcipuum; & causas ponunt atque semina immensæ scelerum segetis: depravato enim semel intellectu non potest non & appetitus quoque corrumpi, atque inde per totam vitam scelera continuari. Scilicet ii tandem sunt omnium mortalium sceleſtiſſimi, qui ex statis animi sententiis & susceptis olim persuasionibus ad peccandum incitantur; quippe qui scelera perpetrent audentiſſime, & veluti præclara facinora turpiſſima crimina habent. Nam qui aut affectu aliquo prævalido, aut ignoratione delinquunt, ii nec perpetuo mali sunt, & emendari facilius possunt. Argumento esse possunt tot persecutiones in Christianos ab Ethnicis excitatæ non aliam ob causam, quam ex falsa Ethnicæ superstitionis persuasione: tot item fanaticorum sectæ, unde sæpe ad internecionem usque deletæ gentes. Itaque ego sic existimo, plus mortalium Orco dedisse falsas acresque persuasiones, præsertim superstitiosas, quam aut bella, aut pestes, aut ullam aliam naturæ calamitatem. Nulla igitur in Rep. res magis accurari debet, quam educatio: nullaque in re periculosius peccatur. Itaque Plato in VI. de Rep. eum, qui educationi præest, & omnium esse vult supremum magistratum, & sapientiſſimum, probiſſimumque, nec quinquaginta annis minorem. Quid igitur faciemus nostris imberbibus adolescentibus, qui pædagogo indigi alios procurant?

§. XI. Porro nec alterius corpus lædere fas est: itaque alium verberibus, plagis, aliisque injuriis afficere; vulnera infligere; membris aut membrorum partes mutilare; inedia, vinculis, tormentis excruciare; venenis aut extinguere aut inficere; res, quæ vitæ sustentandæ sunt necessariæ, subtrahere, aut corrumpere dolo malo, quo alter damnum in vita animali patiatur, & similia, jus naturæ prohibet, præcipitque, ut qui talia egerit, quoad potest, & scit, resarciat. Enim vero ejus ratio manifestiſſima est, quodcumque super

legibus naturæ adhibere systema placuerit : nam ex Grotiano & Pufendorffiano systemate id pugnat cum societatis custodia, cum socialitate, adeoque cum naturæ lege : ex aliis vero systematibus non minus adversus naturæ legem esse comperitur ; quia pugnat videlicet cum benevolentia communi : cum amore hominum reciproco : cum rerum ordine & relationibus: cum ingenitis naturæ humanæ juribus : cum nostris tandem ipsorum veris utilitatibus ; nemo enim potest in alios esse injurius, quin sibi invidiam iramque ceterorum consciscat. Quo fit, ut plus ovium pacifice vivant, quam Luporum, Vulpium, Tigrium.

§. XII. Quid, inquit aliquis, si hæc ad alterius emendationem fiant ? Respondeo non omnes homines æquale jus emendandi habere. Maximum enim inter homines habent Imperantes supremi : secundum locum obtinent Parentes: tertium Magistri: quartum ex officio humanitatis & societatis jure ceteri homines. Ergo prout cujusque jus est emendandi, ita magis, aut minus late illud exercere potest. Et Imperantes quidem supremi jus habent vitæ & necis, ut suo loco demonstrabimus : ergo habent jus corpus affligendi. Sed ut illud, ita hoc, tum demum jure exercent, quum nulla alia superest via, qua aut is, qui peccavit, emendari possit, aut damna societati illata reparare : alioquin proculdubio peccant, si cum alia suppetunt blandiora remedia, severissima hæc & atrocissima adhibent. Imitari oportet Deum supremum Mundi opificem, & sapientissimum gubernatorem, a quo jus omne imperandi derivatur : neque enim Deus statim ad extrema supplicia venit, sed monet, atque primum blandissima remedia experitur. Igitur patris potius nomine, quam Judicis appellari amat (*a*).

§. XIII. Parentes vero vitæ & necis in liberos jus non

(a) *Tacitus de Agricola*. Optimum quemque fidelissimum putare : omnia scire, non omnia exsequi : parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare : nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentum esse : Officiis & administrationibus potius non peccaturos, quam damnare cum peccassent. *Cap.* 19.

non habent, nisi quum Imperantes simul sunt, idest in statu naturæ. Quare tum demum uti pœnis corporis afflictivis adversus liberos possunt, quum & nulla adest alia emendandi ratio, & ita sunt moderatæ, ut nec sanitas, nec vita periclitetur. Quantumvis enim immorigeri sunt liberi, parentibus (nisi in statu naturæ, in quo sunt & Imperantes supremi) tale non inest jus, ut aut eorum sanitatem, aut vitam lædere per modum pœnæ possint: totum enim eorum jus ab amore & custodia proficiscitur: amor autem & custodia liberorum minime ad vitam attingit. Accedit quod hujusmodi castigationes, quæ bruta magis animantia, quam homines decent, nunquam animos meliores efficiunt, sed pejores: in pueris enim extinguunt mentem omnem, & naturalem pudorem, animumque humilem ac servilem ingenerant; in adultis vero odium, iram, ferociam progignunt. Nulla ego re homines pejores fieri expertus sum, quam nimia severitate, ac legitimæ libertatis compressione. Sunt hominum ingenia elastica, ut quo magis premas, eo vehementius dissiliant, ferocire promta, nisi demulceas.

§. XIV. Idem dictum esto de Magistris (quo loco sunt & Ecclesiastici Pastores, ac Doctores (*a*)) nisi quod in his, qui animum efformare debent, quique propterea nullum habent jus puniendi, sed docendi tantum & exhortandi, tanto sunt indigniora verbera, corporisque alias severas castigationes, quanto ineptiora ad eum finem. Is tantum præceptoribus jus inest moderate castigandi, qui infantes educant, idque non quum intellectus emendandus est, ne studiorum doctrinarumque horror in iis ingeneretur, sed quum flectenda

(a) *Eo pertinet præclarum S. Bernardi dictum serm. 66. in Cant.* Fidem suadendam, non imperandam. *Quod & Cassiodorus scripserat lib.*II. *ep.*27. Religio imperari non potest. *Cujus rei rationem protulerat olim Lactantius lib.* v. *cap.* 13. Quis mihi imperat necessitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim non credendi? *Nempe a Deo est persuasio: docendus igitur sum, non pulsandus. Itaque Christus D. N. tametsi naturæ auctor ipse, persuasione egit, non vi ac imperio, Petrumque coarguit, qui armis uti voluit.*

da natura, naturæque appetitus regendus: hic enim tantum, non intellectus, modica castigatione corporis inflecti potest. Tandem in iis, qui jus imperandi nullum habent, castigationes corporis nullo modo probari possunt, nec ab injuriis, & læsione excusari. Solum Lacedæmone omnibus natu majoribus jus tributum patrium in minores; lege tamen civitatis. At ubi non a civili imperio, sed a natura tribuitur, magna cum moderatione usurpandum: nam utilia alioquin remedia ac lenia non assuetis acerbissima videantur.

§. XV. Jam vero nec alterius existimatio lædi potest sine magno adversus naturæ legem crimine. Est autem existimatio duplex, altera *simplex*, altera *intensiva*. Illa est quum quis pro non malo habetur neque inutili; hæc vero quum quis ob sua facta egregia, aut egregias virtutes velut excellens inter alios reputatur ac civitati perutilis. Ad utramque existimationem quilibet jus habet, usque dum publico suo facto ipse illam non corrumpat. Itaque alterius existimationem lædere adversus naturæ leges est, & quidem cogentes; ut idcirco lædens ad resarciendum damnum teneatur: nemini jus suum impune eripi aut corrumpi potest. Sed idipsum potest facillime demonstrari ex utroque illo legis naturalis principio, amicitia nimirum & custodia societatis. Principio, bonorum omnium, quibus homo in societate frui potest, fundamentum est bona existimatio: inde enim est hominum inter se communicatio, ac cum ea, communicatio earum rerum quibus bene beateque vivere possumus; ergo omnium dolorum intensissimus est is, qui nascitur ex læsa existimatione: eum autem dolorem alteri afferre est contra amicitiam, quam naturaliter cum omnibus hominibus habere debemus. Præterea hic dolor omnium maxime sanctissima societatis vincula dissolvit, hominesque adversus homines armat; ergo est contra naturæ legem, quæ præcipit, *sancte societatem humani generis servandam tuendamque*.

§. XVI. Duobus autem modis lædi alterius fama potest, primo fictis ignominiis, quod dicitur calumniari: secundo occulta & ignota aliis vitia vulgando, quod

ap-

appellant *diffamare*. Primum proculdubio contra officia justitiæ est, ut idcirco in perspicuis sit, eum, qui hoc modo alium læsit, ad reparationem teneri, etiamsi ex ea reparatione ejus, qui læsit, infamia sit sequutura. Quemadmodum qui me læsit in bonis aliis, obligatur in priorem statum me restituere, etiamsi de statu suo casurus sit: malum enim illatum omni modo reparandum est, si legi satisfacere velimus: ita qui læsit in fama. Nihil hic indulgendum est: aut servandæ sunt leges, aut totum genus humanum funditus evertendum. Illud quæritur, utrum quis obligetur ad reparationem existimationis, ubi vita sua periclitetur? Non putaverim, nisi læsio alterius famæ gravissima fuerit: modica enim læsio mille potest modis refici. At si læsio alterius famæ gravissima sit, & morte ipsa atrocior, nec supersit ullus alius modus famam ablatam restituendi, etiamsi ejus, qui læsit, mors sequutura sit, efficiendum puto. Lex enim naturæ omnino reparationem existimationis exigit. Durum, inquiunt, est. Falso: non est dura lex, sed tuum te scelus ad id adduxit, ut duram putares. Si inceptemus indulgere, nihil sancti & tuti erit in humana societate. Solve, quum debes, sodes; tuque ipse reputato, quo solvas modo: sed solve tamen.

§. XVII. Qui autem posteriori modo læsit, ex aliquorum sententia generis caritatem violavit, non etiam justitiam; ac consequenter non obligatur ad reparationem: scilicet famam non adimit, quæ jam alterius crimine læsa est, sed vulgat; id quod contra amicitiam, non contra justitiam esse videtur. Ego contra sic sentio, quemlibet habere jus ad bonam famam, quousque publico facto suo illam non amisit, adeoque qui occulta adhuc privata crimina detegit, eum id proximo adimere, quod ille adhuc possidet, ac propterea reparare teneri. Excipiamus tamen ea crimina, quæ Reipublicæ totius interest nosse; jus enim civitatis totius antiquius est, majusque, quam privatorum; itaque ea vera caritas, parcere patriæ. Ei rei & pactis nos nostris, cum coivimus, adstrinximus. Porro cum publica sunt prava aliorum facinora, perque

que ora omnium, modo ne aſtu, malitia, odio, aut intendendo vera, remandantur, recoquanturque, eloqui profecto licet. Quin interdum utile eſt: famam ſaltem vereantur, qui legem in animo jam antiquaverunt.

§. XVIII. Jam vero læditur alterius fama dicteriis, convitiis, geſtis ironicis, ſcriptionibus ſatyricis, factis, aut quocumque alio ſigno, quo alter in ſuſpicionem trahitur. Itaque homini honeſto attente obſervandum eſt, quemadmodum loquatur, geſtiat, ſcribat, operetur, præſertim ii, quorum magna eſt in ſocietate civili auctoritas & fides. Idque eo vel maxime, quod nihil tam pronis auribus audiatur, aut tam jucunde ſpectetur, ut ſunt hominum mores corruptiſſimi, quam obtrectatio, & livor. Accedit quod quum nullius alterius læſionis reparatio ſit difficilior, nullum alterum crimen tanto attentius cavendum eſt, quanto hoc, de quo diſſerimus. Sed quoniam ex quo literæ inter homines adoleverunt, ut loquacitatem, ita alios mordendi pruriginem magnam adduxerunt; ut tum bene ſapiant Literatorum ſcripta, quum amarulentiora ſunt; de controverſiis Literatorum ut pauca dicamus locus exigit.

§. XIX. Aliorum opiniones refellere, non odio perſonæ, ſed veri amore, non modo licet cuique, ſed eſt potiſſimum Philoſophiæ, ideſt inquiſitionis veri, officium: neque enim ex humana ratione ii fructus ſperari poſſunt, quibus hominum vita melior ac beatior fiat, niſi errores publice graſſantes, præſertim aut magnorum virorum auctoritate, quod ſæpe fit, ſuffulti, aut rudi vetuſtate confirmati, deleantur, quo illa liberior ſit, & expeditior hilariorque artibus humano generi utilibus perficiendis intendat. Sed intra modum honeſtatis & urbanitatis hujuſmodi confutationes contineri debent. Primum doctrina impetenda eſt, non auctor; ne de Philoſopho Satyricus fiat. Quocirca ferri vix poſſunt ii, qui tum bene alios refutaſſe arbitrantur, quum aut humiles & infames eorum genealogias contexerint, aut adoleſcentiæ impuritates amarulente deſcripſerint, aut mores corruptos vel perridiculos graphi-

phice depinxerint. Nam id præterquamquod ſolet eſſe argumentum injuſtæ cauſæ, animique imbecillis, & impotentis, ad rem quoque nihil pertinet. Neque enim idcirco minus verum eſt, *tres angulos trianguli duobus rectis eſſe æquales*, quod ab homine moribus depravato, aut vili loco nato dicatur. Veritas perpendenda eſt, non is, cujus ratione aut detecta eſt, aut involuta (*a*). Deinde ita confutandæ ſunt aliorum ſententiæ, ut argumentis, non verbis demonſtretur, eſſe eas abſurdas, & ineptas. Quare dicteria illa, auctores illarum ſententiarum eſſe ineptos, perridiculos, pueriles, ſtultos, & ſimilia, quæ comparata ſunt ad aliorum exiſtimationem minuendam, pugnant cum naturali honeſtate & juſtitia: pugnant cum amicitia generis humani totius honeſtatis fundamento: pugnant cum urbanitate: poſtremo cum artium utilium incremento. Non poſſum hac in re ſatis laudare Beatum Thomam, veteriſque alios ſcholæ philoſophos, qui quum res graviſſimas pertractent ad mores & pietatem pertinentes, non ſolum adverſus imperitos auctores abſurdarum opinionum, verum etiam Hæreticos, & Atheos, nullam unquam animi commotionem præſeferunt, nunquam incenduntur; tantum abeſt ut pugnent conviciis, quibus deinceps, poſtquam humaniores literæ perpolitæ ſunt, refertæ Philoſophorum ſcholæ fuerunt. Quamobrem & me, ut dixi, quoque piget, in iis opuſculis, quæ junior edidi, aut ab ignea adoleſcentiæ vi, aut a conſuetudine, cui veluti Fato cuidam interdum vel a ſapientiſſimis paretur, quandoque ad falſa hæc dicteria abreptum. Aliorum igitur ſententias aut falſas, aut pravas, aut perridiculas, *non probare* dicamus: refellamus audacter: *aliud nos ſentire* profiteamur: ab injuriis omnino abſtinendum, ſi juſti probique eſſe volumus.

§. XX. Quid de apophtegmatibus acuteque dictis dice-

(a) *Et me igitur pœnitet, licet iniquiſſime provocatum, plurimum interdum ironiæ tribuiſſe. Quod cum ego horream, nolim aliis exemplo eſſe. Ignoſcant igitur, ſi poſſunt: ſin accuſare volunt, & me adverſus me judicem habebunt exorari neſcium.*

cemus? nam hiſce ſæpe ludere, ac pugnare interdum viri, in primis literati, ſueverunt. Quin id adeo in delitiis haberi ſolet, ut ii homines, qui ea in re valent, promti ſcilicet, alacres, perſpicaces, acuti, homines ingenioſi vocentur. Eſt hæc præcipua aulæ profeſſio. *Motteggiare*, & *motteggio* vocant noſtri. Non eo inficias id fieri quandoque magna animorum voluptate, ac ſine ullius injuria: quod quum fit, ſatis id ingenii laudari nequit. At non raro cum alterius aut oppreſſione, aut injuria ingenioſi homines ludere ſolent: quod & cum naturæ lege pugnat, & periculi plenum eſt. Nam ut qui corpore validior eſt non jure imbecilliorem premit; ita qui animo major perſpicaciorque, ingenio & lingua promptior, abuti his nefas eſt ad alterum deprimendum. Ac ſæpe evenit ut qui ingenio ſeſe defendere adverſus aggreſſorem nequit, manibus velit. Quin ſi neutrum poſſit, certus hoſtis eſt, premitque altum corde dolorem, paratus ulciſci, ſi occaſio ferat. Id autem e re nullius eſt, & graves interdum turbas in civitate concitat (*a*).

§. XXI.

(a) *Illud quærat quis, quid vir honeſtus & gravis adverſus conviciatores, ac dicteriis laceſſentes efficiet? Socratis vox fuit, cum dilacerari ſe abſentem dicerent quidam*, illi vero abſentem & verberent. *Zeno conviciatori*, non didicit, *inquit*, bene loqui. *Fabius Maximus*, *Romanis qui* unus cunctando reſtituit rem, *amicis hortantibus, ut ſe a calumniis, atque ignominiis, quibus illum adverſarii proſcindebant, liberaret, neque taciturnitate aliquid iis concedere videretur*, ὥυτω μεν τ' αν, *inquit*, δειλοτερος ἡ νυν ειναι δοκω γενοιμην, ει σκωμματα και λοιδοριας φοβηθεις, εκπεσοιμι των εμαυτων λογισμων, *h. e.* næ ego, quam nunc videor, timidior ſim, ſi probri & contumeliæ metu a rationibus abducar meis. *Plut. in Fab. Max. p. 177. tom. I. Sed illud in primis egregium, ac memoratu pulcherrimum, quod idem Plutarchus de Pericle rettulit. Namque cum aliquando magnus quidam ac impudentiſſimus conviciator a Comitiis ad domum uſque eum inſectatus fuiſſet, ac probra continenter ingeſſiſſet, & contumelias graviſſimas, ille, tametſi in civitate princeps, ac præpotens, quaſi ſi aliud ageret, ne torſit quidem oculos, neque gradum celeravit, nec cæptos cum amicis ſermones interrupit: domum vero cum ſero veniſſet, videreturque ille aliquantum pauſæ feciſſe*, fer, *inquit, domeſtico*, tædam (*jam enim tenebræ erant*) huncque revertentem comitare: nolo enim homo diſertiſſimus offendat. *Quorum in tota hiſtoria ſunt ſimilia plura magnanimorum & ejuſcemodi impro-*

§. XXI. Sed de verborum uſu & abuſu in civili ſocietate hic dicere res ipſa poſtulat. Sermo ſeu verba in uſum ſocietatis nobis a Deo data ſunt: nam officia noſtra nec adverſus nos ipſos, nec adverſus Deum, ſi homo ſolus in Tellure eſſet, verborum adminiculo indigerent. Eſt nempe ſermo potiſſimum ſocietatis ineundæ & conſervandæ vinculum. Enimvero ſocietas ſine communicatione ſenſorum animi nulla eſſe poteſt: nec talis communicatio ſine ſermone, aut aliis ſignis, quæ vicem verborum gerunt, peragi poteſt. Ex quo fit, ut ſocietas inter homines nec contrahi, nec ſtare poſſit, ſine verborum uſu, aut uſu eorum ſignorum, quæ vocum vicem obtinuere.

§. XXII. Duplex autem eſt verborum uſus, unus Philoſophicus, ſeu reipublicæ literariæ, alter Civilis, ſeu civilis reipublicæ. Ac primus eſt Philoſophorum veritatem indagantium, aut docentium, de quo nunc non diſputo: alter eſt hominum omnium in ſocietate conviventium, atque inter ſe animi ſententias communicantium, aut contrahentium & paciſcentium, ad vitam civilem commode tranſigendam, de quo hic diſſerendum eſt. Hic uſus exigit, ut verba adhibeantur cum iis notionibus, quæ cum illis conjuncta ſunt inter eos, quibuſcum loquimur, tanquam ex communi taci-

probitatum incurioſorum exempla. Itaque Antonius Muratorius, noſtrarum literarum quaſi novus in Italia parens, quem ego honoris veteriſque amicitiæ gratia libenter commemoraverim; is, inquam, ac tantus vir dicere ſolebat, multum ſibi otii abs rebus ſeriis habere eos ſapientiæ ſtudioſos, qui in ſe recipiant, omnibus, a quibus undecumque petantur, reſpondendi. Philoſophus quantum fuerit vere dictum, ac jure, proficiet: cetera eodem loco habebit, quo cicadum clangores. Quid, dicet aliquis, ſi quis ineptias, aut inepte conſarcinata vulgaverit? Exſibilat populus. Jure ne, an injuria? Jure, inquam! Nam ut in theatro amatorem ſenem, aut Thraſonem pyrgopolinicem, aut ſtultum ſervum ridemus: ita inficetum perridiculumque in hoc ampliori mundi theatro, dum facetum ſe, ſapientemque venditat. Nam id juris eſt, ut quiſque eam gerat perſonam, qua eſt a natura præditus; quam ubi migrat, etiam invitis riſus excutitur. Poſcit tamen humanitas, ne quid πικρῶς amarulente *ac maligne fiat. Qui ſic vero exibilatur magnum ſibi habet operæ pretium, ut dediſcere diſcat, quod in vita, ut eſt omnium commune, qui ſapere volunt, ita optimum.*

tacitoque pacto: Ejus ratio est, quia alioquin verborum finis, in quem consensum est, non obtineretur, sed frustraretur. Nummorum loco sunt verba, ut iis nemo sine dolo malo alium valorem dederit, quam quo valent apud eos, quorum civitatis effigiem impressam cernunt. Peccat autem gravius, aut minus grave, qui verba adhibet in usu civili cum alia notione, quam quæ recepta semel est, prout magis, vel minus jura societatis, vel singulorum lædit. Genericum jus est omnium, ne verbis ludificemur: igitur etiamsi nihil aliud intersit, mentiri tamen nobis nolumus. Injuriæ genus est, gratis decipi. Si quid aliud refert, eadem proportione crescit injuria, eoque mentientis crimen.

§. XXIII. Porro regulæ generales circa hunc vocabulorum usum ad duas sequentes referri possunt. Prima est, quum nullius interest nec jure perfecto, nec imperfecto me eloqui, tum tacere crimini verti nequit: jure vero crimini vertitur taciturnitas, ubi alterius interest me loqui. Ea regula demonstratur facillime ex fine pacti societatis. Hic finis est societatem aut inire, aut conservare, ut dictum est: at quum nullius interest, me loqui, nulla jura societatis aut ineundæ, aut conservandæ exigunt, ut eloquar; ergo quoniam in hoc casu, omnis cessat finis sermonis, cessat & pacti; nullo ergo jure cogor loqui. Quod si aliorum intersit me eloqui, tum jura societatis silentio lædo: publica pacta violo. Sed sciri velim, ibi esse societatis pacta, ubi communes voces.

§. XXIV. Itaque dissimulare, seu studiose animi sensa tegere, quum nullius interest neque ex jure perfecto neque imperfecto scire, licitum semper est. Scio Ciceronem pertinaciter contendere, dissimulare non esse viri boni. Cujus opinionis, nisi ita accipiatur, ut intelligatur ea dissimulatio, qua alter læditur, nullas video rationes (a): neque vero his in rebus tantum au-

(a) *Ciceronis species sunt in III. de off.* 8. Vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia & fame, summaque annonæ caritate; si idem sciat, complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu frumento onustas

auctoritas valere debet, ut etiam sine ratione defendatur. Dissimulare vero, ubi agitur de bono aliorum vel non lædendo, vel promovendo, ad quorum primum jure perfecto obligamur, ad alterum jure imperfecto; non modo viri boni non est, sed scelerati: est enim contra justitiam; nam læduntur jura aut amicitiæ, aut societatis.

§. XXV. Sunt quibus placet, non eodem modo omnes peccare, qui tacent, ubi aliorum interest, eos eloqui. Nempe contendunt eos, qui ex peculiari conventione aut pacto loqui tenentur, veluti custodes publicos, Reipublicæ gubernatores, administros, testes publica auctoritate interrogatos, ex justitia teneri ad loquendum, ut si taceant, vel dissimulent, indeque damnum nascatur aliquod, justitiam lædant, & ad reparationem damni teneantur: ceteros vero, qui loqui ex speciali fœdere non obligantur, si taceant, lædere cari-

onustas petentes Rhodum viderit; dicturus ne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? sapientem & bonum virum fingimus .... Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipse novit, ceteri ignorent; pestilentes sint, & habeantur sanæ; ignoretur in omnibus cubiculis apparere serpentes; malæ materiatæ, ruinosæ; sed hoc præter dominum nemo sciat. Quæro, si hoc emptoribus venditor non dixerit, ædesque vendiderit pluris multo, quam se venditurum putarit; num id injuste atque improbe fecerit? *Quas ita persolvit cap.* IX. Non igitur videtur nec frumentarius ille, nec hic ædium venditor celare emptores debuisse: neque enim id est celare: quidquid reticeas: sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui caussa velis eos, quorum INTERSIT ID SCIRE. Hoc autem celandi genus quale sit, & cujus hominis, quis non videt? Certe non aperti, non justi, non viri boni; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. *Quæ tamen, nisi ullum illis subsit naturale jus, sunt vocabula, quibus, nisi in concione, nemo permoveatur. Quare illud videndum erat*, quorum intersit id scire: *quid est istuc* interest scire? *Hoc nimirum, ut non mihi aliud ostendas, aliud vendas: id jus æqualitatis violat, quam ejuscemodi contractus suapte natura postulant. Quæ iniquitas est in ædium venditione manifesta: sed occultior in frumentarii dissimulatione; nec tamen minus est: quippe in frumenti copia tanquam in inopia vendere, est id pretium frumento constituere, quod renuit natura: pretia enim sunt in reciproca rerum quantitate. Itaque celare copiam est furti genus. Atque id* INTERERAT *emptores scire.*

ritatem tantum, nec idcirco obligari ad damnum resarciendum.

§. XXVI. Hujusmodi autem doctrinæ posterior pars est manifesto falsa; præsertim si agatur de iis rebus, quæ ad publicam tranquillitatem & securitatem pertinent; omnes enim, qui in societatem convenerunt, seu diserte, seu tacite, sese obligaverunt ad ea omnia, quæ societatis intersunt; nam sine mutuis hujusmodi pactis nulla societas nec iniri, nec conservari potest. Inter pacta autem hujusmodi præcipuum est, ut in mutuam tranquillitatem & securitatem conspirent omnes. Quare in societate ex pactis primis ac insitis alter alterius custos esse debet. Ergo quicumque silentio suo alterum perdidit, aut alterius bona lædi permisit, aut effecit quominus justitia locum haberet cum publica pernicie; justitiæ leges violavit, ac proinde ad damnum reparandum lege naturæ primaria obligatur. Illud verum est, neminem obligari cum suo damno vel periculo ubi non jus perfectum, sed imperfectum loqui exigit: nam jus mutui auxilii poscit quidem, ut alterius bona procuremus, sed ita tamen, ut ne nos lædamus.

§. XXVII. Altera regula est, contra legem naturæ esse, alterum verbis, aut aliis signis, quæ vicem verborum gerunt, circumvenire, decipere, atque idcirco lædere; & qui id efficit, reparare læsionem debere. Generalis est ejus regulæ ratio, cum ex lege naturæ primaria, quæ jubet, ut neminem lædamus; tum ex fine sermonis, & eorum signorum, quæ vicem sermonis gerunt, ut scilicet, ne illis utamur contra receptum sensum. Mendacium ergo, idest abusus vocabulorum ad alterum decipiendum, atque ita lædendum, jure naturæ primario prohibitum est. Ob eandem rationem jure naturæ prohibitæ sunt omnes *æquivocationes, & restrictiones mentales*, ut vocant, ex quibus alterius jus perfectum aut imperfectum læditur. Quare mirum est quum hujusmodi equivocationes damnaverint Ethnici ipsi Philosophi, imprimis severissime Cicero, inventos esse Philosophos Christianos, qui eas defendere potuerint, atque viam aperire infinitis modis alios ludificandi ac defraudandi, moresque fictos pravosque

vosque contra naturæ simplicitatem, & evangelica præcepta, in societates humanas invehendi.

§. XXVIII. Læditur autem alter sermone mendaci, quum ejus, ut dixi, jus perfectum, aut imperfectum violatur. Principio omnes Reipublicæ administri jus habent perfectum a nobis exigendi, & ut loquamur, & ne mentiamur, vel æquivocemus in iis rebus, quæ ad publicum regimen pertinent. Itaque si nostris mendaciis, vel æquivocationibus eos ludificemus, indeque damnum quodcumque in societate nascatur, contra naturæ legem peccamus, & damnum resarcire tenemur. Præterea omnes homines, cum quibus in naturali societate positi sumus, eodem jure pollent, ut ne a nobis in contractibus, conventionibus, promissis, lædantur. Quare si his modis læsi sint, jure ipso naturali reparationem exigere possunt. Ad hæc omnes homines jus habent perfectum, ut nullo modo quibuscumque in rebus fallaci oratione circumveniantur, ex qua quidquam damni eorum animo, vitæ, bonis externis, famæ inferri possit. Igitur si hujusmodi damna illata sint, reficere tenemur. Tandem omnes homines jure mutui præsidii exigere a nobis possunt, ut, quocumque modo scimus & possumus, eos juvemus: id si detrectemus facere aut mentiendo, aut equivocando, officia humanitatis violamus.

§. XXIX. De mendacio officioso, ut vocant, disputatum est olim acerrime, hodieque disputatur inter doctos. S. Augustinus ad Consentium hanc quæstionem vocat *latebrosam, & inter doctos alternantem*. S. Gregorius Epist. CCXVIII. hac in re se valde æstuasse scribit. Est mendacium officiosum, quum verbis utimur aut contrario, aut diverso sensu, quam quo recepta sunt, ut alteri prosimus, nullius jus lædendo. Recentiores quidam scriptores *falsiloquium* appellant, atque in eo distinguunt a mendacio, quod mendacium semper conjunctum sit cum violatione juris alterius. Sed & sic dicitur *mendacium officiosum*. Ut Ulpianus in *L.* 1. §. 3. *ff. de dolo malo* memorat apud antiquos & *dolum bonum dictum: veteres*, inquit, *dolum etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant*.

Nam dolum malum definit eodem loco Labeo, *omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam*, quæ eadem locum habent in doloso mendacio.

§. XXX. Sanctus Augustinus in laudato loco negat mendacia officiosa esse licita. Eum sequuti sunt Theologi ferme omnes Occidentales. Duplici ratione utuntur. Prima, quod in scripturis sacris omne omnino mendacium prohibeatur. Altera, quod mendacium etiam officiosum cum Dei veracitate pugnet; quæ autem cum divinis perfectionibus pugnant vitia esse constat: nam pugnant cum perfectissima regula, ut obliqua sint necesse sit. Accedit tertia ratio, quod pugnet cum sinceritate viri boni; quæ cum sit nobilissima virtus; necesse est, ut quod ei adversatur, sit vitium. Præterea quærunt, utrum cum mendacio officioso jurare possimus? Quum id nemo affirmaverit; concludunt, hæc mendacia conscientiæ dictamini refragari.

§. XXXI. Grotius vero, & Pufendorffius, ac quidam ex Theologis nostris, in contrariam abeunt sententiam, putantque nullo nec naturæ, nec positivo jure hujusmodi mendacia prohiberi. Principio, inquiunt, neque jura cujusquam lædunt, neque amori aut erga Deum, aut erga nos, aut erga alios adversantur: quinimo amorem erga proximum continent præclarum. Ut, quum quidquam tibi debeo, non licet nummi alium valorem tribuere, quam qui ei publice tributus est: si vero nihil debeam, tibique velim dono dare, quid caussæ esse potest, ut nummo, quem do, id tribuam pretium, aut nomen, quod placuerit, modo inde nihil tibi damno inferatur? Tu rem non meis verbis, sed tuis sensibus æstima. Deinde verba sunt instrumenta societatis. Ergo licet iis uti in societatis beneficium, quocumque tandem modo adhibeantur, dum nullum nec Dei, nec hominis ullius jus lædunt. Accedit, quod non videntur posse damnari tot hominum honestorum exempla, ut Medicorum, & Administrorum Reipublicæ, qui ut secreta tegant, ad hujusmodi falsiloquia sæpe confugere solent. Tandem veteres aliquot, & doctissimi Patres, imprimis S. Johannes Chrysostomus in Libris

Libris de Sacerdotio, non audent hæc falsiloquia damnare.

§. XXXII. Quod pertinet ad argumenta partis oppositæ, primo respondent, prohiberi in Scripturis mendacia perniciosa, nec ullum esse in iis verbum, ex quo possit intelligi, vetari etiam falsiloquia officiosa. Argumento vero a veritate Dei desumto reponunt, nimis illud probare; probat enim mendacia quoque jocosa esse contra legem naturæ, quæ tamen ipse Augustinus non semper damnat. Præterquamquod regula, inquiunt, actionum humanarum, quæ justas efficit, & honestas, est lex a Deo lata, non vero Dei natura quanta quanta est. Nam homines quantumcumque conentur, nunquam possunt actiones suas ita componere, ut toti Dei naturæ omnibusque Dei proprietatibus sint consentaneæ. Quod pertinet ad tertium argumentum, ajunt sinceritatem tum esse virtutem, quum dissimulatio vel falsiloquium sunt contraria officiis, quæ Deo, aut aliis debemus: alioquin aliis omnia nostra secreta propalare esset virtus, quum ut plurimum magnum sit stultitiæ vitium: *os stulti in ore ejus: os autem sapientis in corde*, ait in Proverbiis Salomon.

§. XXXIII. Quarto tandem argumento respondent, jusjurandum non homines tantum spectare, sed præterea obsequium Deo debitum: esse duas leges distinctas ac duabus distinctis rationibus constantes, alteram *ne mentiamur*, alteram, *ne pejeremus*; ut possit quis contra unam peccare, altera salva. Addunt esse quædam quæ separata liceant, conjuncta non item.

§. XXXIV. Ego in quæstione ancipiti intelligo satius esse, ut ab iis quoque mendaciis vir bonus se abstineat: neque enim dubitari potest, quin iis uti levitatem quamdam contineat, & sinceritatis virtutem adumbret. Vitium est, ac imbecillitas, ut ut non sit crimen: quomodo blæso ore loqui vitiositas est, non delictum; quam tamen si vitare possis, præclarius te facturum ac pulchrius dicemus omnes. Nam licet in posteriori sententia aliquid sit rationis, plurimum tamen est in priori dignitatis. Videtur enim aliquid concedendum tot viris doctis, & honestis, qui priorem il-

lam amplexi ſunt. Ceterum ubi quis hæc titubanti pectore falſiloquia admiſerit, putare non debet ea ipſa per ſe levem culpam excedere.

CAPUT VII.

De officiis Juſtitiæ hypotheticis, ac primum de Dominio, ejuſque acquirendi modis originariis.

§. I. QUæ officia hypothetica dici ſolent, ea omnia ex duplici ferme fonte derivantur, dominio, & pactis. De Officiis, quæ ex pactis proficiſcuntur, inferius diſſeremus: hoc in loco de iis, quæ ex rerum dominio naſcuntur, quæ longe lateque patent, & in quibus (ea eſt hominum cupiditas) ſæpius pertinaciuſque peccamus, dum intra naturæ fines vivere dedecori attribuimus. Certe non ſine ratione quidam philoſophi dixiſſe videntur, maximam ac primævam corruptorum hominum cauſam fuiſſe dominium, ſeu proprietatem (*a*). Nulla certe ex alia cauſa majora, & atrociora hominibus mala accidunt, quam ex hac, de qua loquimur. Quin hiſtoria docet, eas nationes, quæ in quadam rerum communitate vivere repertæ ſunt, ceteris eſſe humaniores, & beatiores. Prius vero quam id efficiamus, de natura ipſa dominii ejuſque juſtis acquirendi modis ſecundum naturæ leges dicemus.

§. II. Dominium Philoſophi atque Juriſconſulti diſcrepantibus definitionibus definiverunt, ſuperque ea re non minus contentioſe diſceptarunt, quam ſuper ipſo rerum dominio inter mortales concertari ſolet. Quoniam vero hujuſmodi concertationes ex jure civili magis,

(a) *Namque ea factum eſt illud, ignotum Kanadenſibus, Huttentottis, aliiſque agreſtibus, quod Horatius noſter ait*

At bona pars hominum decepta cupidine falſo,

Nihil ſatis eſt, inquit . . . . . *Illud fœdius, nec ferendum, ut ii hoc cupidius ſequantur, qui non ignorant, ſe profeſſos, mihi adhærere Deo bonum eſt. Pergitis*

. . . . pugnantia ſecum
Frontibus adverſis componere? . . . . . .

gis, quam ex naturali oriuntur; ſubtilitates vero pleraſque juris civilis natura ferme ignorat; hujuſmodi diſputationes miſſas faciemus. Placet igitur hæc definitio, *jus utendi, omnemque alium uſu rei excludendi, perpetuum, propriumque*. *Uti* autem hoc in loco pro omnem omnino utilitatem capere poſitum eſt. Itaque fit ut dominii natura in duobus juribus poſita ſit, utendi, & excludendi alios.

§. III. Dominium autem eſt *vel proprietatis*, *vel communionis poſitivæ*: illud eſt jus utendi & omnes alios præter nos ab uſu rei excludendi. Hoc vero jus excludendi ceteros, præterquam paucos. In illo res in unius ſunt poteſtate & uſu: in hoc ſunt in uſu & poteſtate paucorum. Cum dominium ſit *jus proprium*; dum plures ejuſdem rei ſunt domini, velut pro una perſona morali reputandi ſunt; quo in genere ſunt inter ſeſe plures Reſpublicæ, aut Regna, aut Civitates. Hoc & apud veteres quaſdam nationes obtinuit, quæ majorem rerum partem in communione poſitiva habuerunt, quales Germani quidam Populi, de quibus Tacitus de moribus Germanorum: & hodie apud nos inter Monachos obtinet (*a*). Quæ vero res ita ſunt in

 medio

(a) *Priſcis moribus ſingulis in diœceſibus communia Clericorum & pauperum omnium Eccleſiæ erant bona: ac vero talia ſunt etiamnum ex inſtitutione. Igitur Oeconomi inſtituebantur, qui colligerent, ac partirentur; ne ea cura ſæculari Epiſcopi a diviniori diſtinerentur.* *Canon* XXVI. *Calcedonenſis* = quoniam in nonnullis Eccleſiis, ut ſæpe a nobis auditum eſt, Epiſcopi abſque Oeconomis tractant res Eccleſiaſticas (εκκλησιαςικα πραγματα, *res Eccleſiæ totius*, *ideſt* congregationis *fidelium*, *non Templorum tantum*); placuit omnem Eccleſiam Epiſcopum habentem ex proprio Clero Oeconomum quoque habere, qui ex Epiſcopi ſui ſententia res eccleſiaſticas diſpenſet; ut nec ſine teſtibus ſit Eccleſiæ adminiſtratio; neque ejus res diſſipentur &c. *Sed erat & tertia cauſa, ne divini paſtores ac cæleſtium doctores negotiari atque avaritiæ ſervire occiperent. Oh divina regula! Quid, quod eadem fuerat prima Chriſtianæ Civitatis forma? Nulli quidquam habere proprii licebat: in commune omnia conferebant. Nemo igitur pauper, nemo dives: nulla re alter alteri præeminebat, niſi virtute, ac regimine. Vide Act.* IV. 31. *Auguſtini Clerus ex illa eadem forma fuerat expreſſus.* Cum in ea (*inquit de quodam ſuo Clerico*) ſocietate viveret, ubi nemini LICEBAT DICERE ALIQUID SUUM, ſed eſſent illis omnia communia. *Serm.* 356.

medio omnibus expositæ, ut nulli sit jus ullum ab earum usu excludendi, eæ in negativa communione positæ esse dicuntur. Vide Pufendorff. de jure naturali, & Gent. lib. 4. cap. 4. In hac communione si quis jus habeat rebus communibus utendi, nullum vero alios excludendi, non dicitur dominium habere. Quocirca duo sunt necessaria, ut dictum est, ut quis rei alicujus integrum habeat dominium, & proprietatem, jus scilicet utendi proprium, & jus excludendi omnes alios: alterum sine altero verum & certum dominium, ac proprietatem non facit.

§. IV. Ut igitur demonstrari possit, homines dominium rerum Telluris, in qua nascuntur, legitime habere posse, ostendendum est primum, eos habere a natura ipsa jus iis utendi. Deinde habere & jus quasdam res ita in usum suum traducendi, ut ab earum contrectatione jure possint ceteros excludere. Utrumque perfacile factu est. Principio Deus vult ut homines conserventur, quandoquidem vult ut exsistant. Quum autem ea sit hominum conditio, ut rerum externarum indigeant, queis aut nutriantur, aut contra ea, quæ ipsorum compagem destruere possunt, muniantur; profecto eas omnes assumendi, iisque ad vitam conservandam, & tutandam utendi jus a Deo habent: alioquin frustra ille & hominibus vitam dedisset, & hujusmodi res, quarum pars major nullum alium habet usum, produxisset, earumque genera perpetuo conservaret. Consule Pufendorff. de Officio hominis & civis lib. 1. cap. 12.

§. V. Deinde quod possint homines res quasdam exhausti usus ita in potestatem suam redigere, ut ab earum usu jure alios arceant, sequentes rationes demonstrant. Prima quod quarumdam specierum individua, aut sui exiguitate, aut brevi duratione, non possint nisi uni, aut paucis sufficere; ergo dum harum rerum aliquam occupavi, jus habeo utendi, & excludendi ab ea alios; quum nec possit pluribus esse satis, & in ejus usu qui prius occupavi ceteris præferri debeo. Secunda, quod quædam rerum genera sunt, quæ, nisi industria humana excolantur, aut nullius sunt usus, aut

aut admodum exigui. Si igitur earum partem aliquam ita ego excolui, ut fructus mihi familiæque meæ necessarios vel utiles producat, habeo jus ceteros excludendi; siquidem natura ipsa fit, ut tam sit meum quod ex industria mea est, quam illa, ex qua est. Tertia quod utcumque communio negativa inter paucos homines commode & pacate servari possit; in tanta tamen humani generis multitudine sine continuis discordiis servari nequit; quas discordias proculdubio non amat Deus, cujus leges omnes ad pacem, unitatem, & publicam felicitatem tendunt; ut idcirco dubitare nequeamus iis facultatem fecisse, ab eo datis occasionibus discedendi, ac res quasdam proprias sibi faciendi. Quibus adde, licuisse pacisci super rebus communibus, seu expresse, seu tacite. Quando ergo omnibus ab ea communione discedere placuit, jus excludendi sat constitutum firmatumque est pactis (*a*).

VI.

(a) *Hujus rei vestigia quædam in utraque America videre adhuc licet: siquidem pars etiamnum nulla terrarum partitione utitur: alii vix aliquam, nec admodum veterem, habent. Sed & illud considerari velim, eos qui primi longas latasque bellorum expeditiones fecere, suis mox tellurem partitos. Ita Tartari Gengbiskano Duce, Sinarum, Indiæ, Persidis provincias sibi diviserunt. Romani terras, seu quas vacuas occupassent, seu quas victis populis rapuissent, coloniis partiebantur. Item Græci. Itaque hinc ego factum esse opinor, quamobrem Jovis, aut Deorum concilii decreta* μοιρας Parcæ *nomine appellarentur ab antiquis Græciæ auctoribus: satis enim constat Titanum illam coloniam irrepsisse in Græciam adhuc silvestrem, sibique terras attribuisse. Nec a vero abludit eodem spectare, quod homines tam sæpe* μεροπες *Homero ac Hesiodo dicantur, quasi scilicet* coloni, *quibus sua cuique veteris telluris portio excolenda attributa esset. Quæ vox inde deflexa tam pugnantibus notionibus ab interpretibus usurpata est. Hoc ipsum corroborat historia sacra, in qua nihil antiquius, quam Chananitidis partitio. Postremo eodem spectare ajo Saturni fabulam, qui tripartitum imperium filiis fecerit: quam viri antiquitatum studiosi, cumprimis Bochartus, Noemo quasi ex veteri traditione aptam: nec animadverterunt, nullam fuisse gentem paullo vetustiorem, quæ suum Saturnum non habuerit, Sinenses, Indos, Peruanos: jam Scythas, aliosque ad Septentrionem sitos. Itaque ad ejusmodi bellatores, terrarumque metatores; rem admodum verisimiliter referas. Ceterum cum ejuscemodi, quæ memorantur, bellicæ expeditiones, ac velut reciprocantes nationum æstus, recentiores sint dominiis ple-*

risque;

§.VI. Quoniam ergo homines legitimum dominium bonorum Telluris habere possunt, illud superest perquirendum, natura ne in rerum dominio naturali sint, an pactionibus & justis factis a communione negativa in illud venerint? Melioribus juris naturæ interpretibus placuit, primos homines in communione negativa creatos fuisse, atque in ea mansisse, quamdiu genus humanum intra paucos extitit. Grotius ferme solus in communione positiva primos mortales procreatos opinari videtur, ut ceteri post illos modis tantum derivativis rerum dominium acquisiverint. Sed prior sententia probabilior profecto est: nisi ab altera solis vocabulis discordet. Enim vero quum Deus res Telluris in omnium animantium usum creaverit, non est credibile, ita primis duobus hominibus earum usum dedisse, ut jus quoque dederit ceteros omnes excludendi, si vellent; præsertim, quum necessarium non fuerit. Vere ergo Cic. lib. I. de Offic. cap. 7. scripsit. *Sunt privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, lege* &c. Sic quoque S. Ambrosius lib. I. de Offic. cap. 18. *natura*, inquit, *omnia omnibus in communi profundit: sic enim Deus generari jussit omnia, ut pastus omnibus communis esset, & terra foret quædam possessio communis. Naturæ igitur jus commune fecit, usurpatio jus fecit privatum*. Conferatur Pufendorff. lib. 4. de jure Naturæ & Gentium cap. 2.

§. VII. Nec vero dubitare possumus, quin in hoc statu homines per aliquod temporis intervallum permanserint. Est hoc conforme primævæ hominum naturæ, & magna veterum consensione firmatum. Nam principio non est verisimile paucos homines sanguine & primæva caritate conjunctos, quum bona Telluris non solum sufficerent, sed abundarent, atque nec dum luxus, & ex luxu cupiditas & avaritia natæ essent, ab ea communione voluisse discedere. Accedit eodem, quod post diluvium veteris illius communionis vestigia quæ-

risque; haud ego negabo, sæpe non jure, sed vi adversum jus terras fuisse occupatas. Qua de re alibi dicetur.

quædam reperiamus in familiis Patriarcharum (*a*). Sed reperimus & inter barbaras ac efferatas gentes utriusque continentis, quibus nil dum proprii, nisi quod manu cepere. Tandem idem tradidere plures veterum scriptorum, in primis Plato, Thucydides, Aristoteles, Lucretius, Horatius, Iustinus, Seneca, & illi, qui seculum aureum descripserunt (*b*). Huc pertinet locus Virg. lib. 1. Georgicorum vers. 125.

. . . . nec subigebant arva coloni,
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipsaque Tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

§. VIII. Quibus autem ex causis a primæva illa rerum communione discessum sit, pluribus edisserunt Grot. de jure Bell. & Pac. & Pufendorff. Lib.4. Cap.2. Nec vero id explicatu difficile est: nam jure naturæ, quod *permissivum* dicitur, potuisse homines, ubi illa rerum communio minime apta esset vitæ pacate transigendæ, ab ea discedere, satis ostensum: totius enim juris naturæ finis, ut sæpe dictum est, publica felicitate & tranquillitate continetur: communionem autem rerum adulto humano genere publicæ concordiæ ac tranquillitati adversari, præsertim ut esse cœperunt hominum mores & affectus depravatissimi, cum per se manifestum est, tum barbaræ illæ nationes probant, quæ in statu naturæ viventes, in mutua etiam ac perpetua sunt rapina. Ergo jure suo homines ab illa communione discedere potuerunt. Illud videtur in quæstionem adduci posse, fuerit ne naturæ consentaneum, ut pauci immensa jugera & divitias occuparent, major pars nuda bonis cresceret; nisi exploratum esset, id non jure, sed cupiditate, nec ea necessaria, factum, positaque semina futuræ hominum improbitatis & miseriæ. Sed veterem hanc labem deflere licet, delere qui licet?

§. IX. Iam justi modi, quibus & olim dominium pri-

(a) *Vide & Tacitum de mor. Germ.*

(b) *Vitam primorum post diluvium hominum in montanis, ac* σπεσσι γλαφυροισι concavis antris, *graphice, ac minutatim descripsit Plato in III. de Legib.*

privatum inductum est, & potest etiamnum occupari, in *originarios*, & *derivativos* secundum Grotium dividi solent. Primi sunt *occupatio*, & *accessio*. Secundi vero *divisio*, *cessio*, *traditio*. Scilicet vel a communione rerum negativa usurpatione ad dominium transitur, & modus acquirendi dominii dicitur *occupatio*: vel rebus occupatis natura vel industria aliquid adjungit, & appellatur *accessio*. At res, quæ in dominio sunt, vel sunt in *communione positiva*, vel in *proprietate*. Si primum ad proprietatem devenire licet *divisione*, & *cessione*: si alterum, *traditione*. Paucis hæc nunc sunt explicanda, ut, quæ ex dominio nascuntur officia adversus alios, intelligi & dimetiri possint. Ac in hoc quidem capite modos originarios expediemus: in sequente de derivativis differemus.

§. X. Ex iis, quæ dicta sunt, patet, licere sub dominium nostrum conferre, quæ vacua sunt, hoc est in medio posita, & usus finiti: saltem tot ac tanta, quot vitæ nostræ ac nostrorum commode degendæ necessaria sunt: eo enim spectant communes generis humani pactiones. Ea dicitur occupatio. Justa autem est & secundum naturæ leges sola occupatio rerum aut nullius, aut derelictarum. Quare si res dominum habeat, sitque ab eo vel amissa, vel abducta furto, rapina, incendio, vento, flumine, raptu feræ, vel invite projecta, nulla occupatione nostra fieri potest: non dum enim dominus animum eam possidendi abjecit, nec propterea vacua est (*a*). Contra vero, si vel animi gratia

(a) *Tenenda est his in rebus naturæ regula*, nemo invitus jure suo spoliari potest, aut nisi arbitrio suo reus. *At posse censuit Helvetius, nisi reciproco pacto teneamur, ne nos mutuo lædamur* (*De l'Esprit discours. III. cap.* IV.) *Cum vero gentes, saltem a se dissitæ, nullo tali pacto teneantur; ita conficit, nulli prævalenti non licere alterius aut mobilia rapere, aut occupare terras, aut in servitutem adducere: justitiam a singulorum utilitate natam paullatim pactis conventis civilem evasisse: hinc gentium. Cujus ego viri ingenium cum plurimi faciam, ob idque maxime quod humani generis multam* φιλανθρωπιαν *præseferat; mirari interim vix satis possum, causas ab eo latæ gravisque miseriæ necti, provehique longius, repugnante veritate. Quid est enim in hominum natura exploratius, & singulos homines sibi primum nasci, reliquis pro-*

tia projecit, ut Polycrates annulum in mare, vel amissam sciens prudensque pro derelicta habeat, ea cedit occupanti; est enim vacua.

§. XI. Ex his sequitur, venationem, piscationem, aucupium esse species occupationis licitas, non modo in locis desertis, & vacuis, verum etiam in territoriis jam occupatis, sicubi tanta sit ferarum, piscium, aut avium multitudo, ut sufficere omnibus videantur. Nam quum eæ rerum species sunt ita copiosæ, ut inexhausti sint usus, semper in medio positæ censendæ sunt, præsertim si nullis locis cohiberi possint. Contra vero si sint talia rerum genera, quæ non omnibus sufficere queant, eaque locis claudi possint; jure enim occupari possunt, ut in iis venatio, piscatio, aucupium locum amplius habere nequeant; nisi si ita evaserint e custodia, ut nulla domino sit amplius spes recuperandi: nam naturæ libertate quidquid nullius est, occupantis est, si vitæ serviat.

§. XII. Quæritur hoc in loco, possitne Mare occupari? Quæ controversia acerrime inter Grotium, & Seldenum, aliosque Belgas & Anglos, sæpe quoque inter Principes ferro & igne, disceptata est. Ejus controversiæ historiam contexuit Baeclerus ad Grot. lib.2. de jure Bell. & Pac. cap. 2. §. 3. Placuit quibusdam Mare non posse occupari; quia corporali possessione reti-

propter se: & sua ita habere propria, ut pugnet esse aliena; & justitiam pactis anteire; nec procreari, sed adversus vim firmari? Nam dicere nullam esse, nisi ex pactis, justitiam, tantundem est, ac si dicas, nihil nos proprii a natura habere: aut si habeamus, propria nihilominus non esse: quo quid absurdius? Igitur si habemus, justitiæ est, sua cuique tribuere. Id non pactis, sed naturæ debeo. Præclare Aristoteles Magn. Moral. lib. 1. cap. 34. To *δικαιον, inquit, εστι το εις ετερον το ισον: το αδικον, το ανισον εστιν:* justum est, quod est alteri æquum: injustum, quod iniquum. *Igitur δικαιοσυνη μεσοτης τις αν ειη υπερβολης και ελλειψεως, και πολλȣ και ολιγȣ*, justitia medietas quædam est inter excessum & defectum, multum & parum. *Nihil alteri tribuere, sibi, velut potentiori, omnia, ex ambobus lateribus iniquum est. At qui nihil tribuit, nisi ex pacto, nihil tribuit, nisi quatenus prævalidior vult. Ita justitiæ fundamentum pervertit, hominesque lege belluarum vivere docet.*

tineri nequit : nam occupatio animo simul & corpore facienda est. Id falsum & ineptum jure censet Pufendorffius. Nam Mare navibus, portubus, propugnaculis, præsertim ad freta, & promontoria, non secus atque Tellus, corporali possessione coërceri potest. Quare aut non licet per naturæ legem quidquam occupare; aut si licet, & Mare quoque, quando in possessione non aliter atque Tellus esse potest. Dicere autem non licere quidquam, quod vacuum sit, occupare, est præsentem totius hominum generis statum, nec jure, nec ullam ob utilitatem, turbare velle. Distinguendi potius sunt duo marium usus; quorum alter sit navigatio, alter piscatio piscium, aliarumque rerum exhausti usus, cetorum, gemmarum &c. Primus usus natura liber esse debet (*a*): natura enim humana constitutum est, idque generis humani utilitas exigit, ut inter plures nationes commercium intercedat agiteturque. Atque inde factum est, quemadmodum præclare observat Grotius, ut non omnibus ferat omnia Tellus, quo nationes dissitæ necessaria communione inter sese jungantur. Hunc usum occupare velle contra naturæ legem est. Id tamen non vetat, quin si alicujus nationis navigatio possit esse infesta, vel perniciosa alteri, possit hæc altera illam impedire, non jure occupationis Maris, sed jure defensionis, quod ita nationibus adversus nationes convenit, ut hominibus singulis adversus singulos. Alter vero usus, idest piscatio, quum est rerum finiti usus, jure naturæ occupari potest; modo ne in iis sinubus, quos coërcere possumus, coërcemusque; nec licet adversus eos, qui semel occupaverunt, depugnare, ut de possessione ejiciantur: nemo jure suo, nisi inique, expoliari potest. Exceperim tamen, nisi qui occupavit, luxui magis, quam vitæ sacraverit; alter, qui quærit, tuendæ vitæ quærat: nam nullo naturæ jure homines ab usu vitæ excludere licet; terra omnium est patrimonium.

Nec

(a) *Quod non vetat, ut si aliquid in eo commodi habeas, arcis, portus, tutelæ &c. & incommodo subjaceas alicui: nam & hæc naturæ lex est.*

Nec si facta repugnent, minus est id iniquum: non enim factis dijudicanda est justitia, sed jure.

§. XIII. Illud etiam quæritur, an occupationum bellicarum justitia ex iisdem principiis demonstrari possit? Ex quo tempore Martis furor homines adversus homines armavit, captis urbibus, aut direptis, capientium existimatæ sunt non tantum urbes ipsæ, & agri, verum homines quoque, *divina, humanaque omnia*, creditumque justas esse hujusmodi occupationes. Historici omnes, quam ea narrant, *jure belli, jure Gentium*, ea omnia fieri victorum dicunt (*a*). Quum nulla occupatio justa esse queat, nisi rerum vacuarum, aut non jure occupatarum, ut demonstratum est; res vero in bello captæ nullo modo dici possint vacuæ; quinimmo quædam, ut homines, ne per fictionem quidem esse possint nullius; sequitur earum rerum omnium occupationem non posse esse justam ex eo principio, quod sit rerum vacuarum. Laborarunt igitur viri docti, ut tale invenirent principium juris naturæ, quo hujusmodi bellicas occupationes defendere possent a furto & rapina, ac belluinis moribus.

§. XIV. Pufendorff. de Jure Naturæ, & Gentium lib. 4. cap. 6. §. 14. sic rem componere studet. In bello res hostis respectu ad alium hostem evadunt dominio veluti vacuæ, non quod hostes per bellum ipso jure rerum suarum domini esse desinant; sed quia illorum dominium non obstat, quo minus victor res eas auferre sibique habere possit: quippe qui sibi mutuo bellum inferunt, videntur quasi ludo quodam pacisci, ut victi regnentur, omnique jure spolientur. Sed quando id facto ipso refellitur; non enim juribus suis cedunt, sed ne cedant, belligerant; hæc doctrina huc redit, eas res esse vacuas, quia alter hostis ob majorem potentiam haud difficulter auferre potest. Quod si verum est, *omnia sunt virorum fortium*, ut ille prædicabat; adeoque principium juris naturæ, idest justi & in-

(a) *Quemadmodum hoc belli jus intelligeret Gallorum dux, ac quo ex fonte duceret, disserit Plutarchus in Camillo, loco prorsus egregio. Lege sis.*

injusti criterium, positum est in armis & viribus; quod & a tota natura dissidet, & ne Pufendorff. quidem ipse dixerit.

§. XV. Ego rem sic explico. Occupationes bellicas non posse esse justas, nisi in bello justo, exploratum est. Bellum autem justum tum geritur, quum aut jura nostra defenduntur defensione inculpata, aut ablata repetuntur (*a*). In his casibus secundum principia superius demonstrata licitum est eo usque bellum protrahere, quousque hostis in eo statu constituatur, quo aut non possit amplius nos injuria lacessere, aut nostra nobis jura refecerit. Quod si ad hostem comprimendum necessarium sit ei vires incidere, urbes, divitias, homines auferre, quin id sit justum nemo dubitabit, non secus ac privato homini in naturæ statu licet auferre arma, quibus nos lædere sese parabat. Accedit quoque, quod justitia ipsa poscat, ut dum initur pax, tantum rerum hostilium retineatur, quantum sufficit ad justi belli impensas compensandas. Quare etiam in privatorum decretorum formulis usu obtinuit, *una cum impensis*.

§. XVI. Præterea licitum est in bello justo retinere ea, quæ reddita hostes, iterum adversus nos armare possint. Homines vero, nisi refractarii & perpetuo contumaces, nullo modo haberi possunt sub servitute, licet in custodia retineri queant ii, qui bello originem dedere; aut milites, donec res pace componatur: ne scilicet si restituantur, hostem adversum nos potentiorem efficiant. Sic enim statuo, totam Ethnicorum philosophiam, qui opinabantur, posse in captis urbibus homines omnes aut ad internecionem usque delere, aut

(a) *Inter ablata jura & infamiam, contumeliam, calumniam atrocem, locum habere debent: reparationem enim poscunt. Tum exclusio a rebus communibus, quibus vita sustentatur. Ita si ingens populus peste, terræmotu, aliaque calamitate patrias sedes deserere compellatur, nequit naturæ jure prohiberi etiam in occupatis regionibus lares figere. Nam ei dicere, qui nihil habet,* ne tangito, *perinde est, ac si dicas,* morere. *Quo vero jure tantum nefas imperare licet? Homo homini, quatenus homo est, nihilo præstat.*

aut servare ad justam servitutem, iniquam impiamque omnino esse; nec locum habere posse, nisi in uno tantum casu, quum scilicet nullus alius modus superest, quo ad justam pacem ac obedientiam redigantur. Sed & imperium in homines in naturali statu viventes jure belli occupari nequit; nisi si occupetur, aut ad eos conservandos, ne videlicet illa naturali libertate abutentes in mutuam perniciem ruant; aut ad nos tutos reddendos ab eorum incursionibus. Horum omnium una est ratio, quod homines omnes liberi nascantur, nec liceat ullos in servitutem adducere, nisi aut ob talia crimina, quæ sola servitute expiari possint: aut ob eorum liberam deditionem: *nemo jure suo privari potest, nisi aut libera voluntate, aut crimine*. Ex his, quæ dicta sunt, dijudicari facile potest, an S. August. de imperio Romanorum disputans recte scripserit, *Romanis, si vellent esse justi, redeundum fuisse ad casas*. Quanquam & illud quoque in devictas gentes imperium tolerabile fuisset, si fuisset jure & legibus administratum: nam hominibus conservandis natum est imperium. At qua avaritia, qua crudelitate, qua superbia in victos sævitum sit, quando nemo nobilium Romanorum historicorum tacuit, supervacuum fuerit dicere.

§. XVII. Ad justam quoque occupationem pertinent Thesauri, de quorum prioribus dominis nullo certo argumento vel indicio constat: ii enim naturaliter sunt inventoris, veluti res nullius. Quanquam aliter legibus quibusdam civilibus populorum constitutum quandoque est; id quod in antecessum fieri potest: nam potest populus, aut Princeps, cujus est territorii imperium, in antecessum propter publicas utilitates hæc sibi reservare, & quodammodo occupare; quo casu inventor nihil juris habet in hujusmodi res, ut qui publico pacto juri suo renunciaverit. Sed leges Populorum civiles super thesauris legi apud eos possunt, qui ea de re ex instituto differuerunt. In primis consuli possunt Grot. de jure Bell. & Pac. lib. 2. cap. 8. ibique commentatores, Seldenus lib. 6. Juris Naturalis & Gentium cap. 4. & Gotofredus tom. 3. Codicis Theodos. pag. 286.

§. XVIII. Veniamus ad acceſſiones. Alter modus, ut dictum eſt, acquirendi dominii originarius eſt acceſſio, per quam intelligimus jus ea, quæ ſubſtantiæ a nobis acquiſitæ accedunt, incrementa nobis attribuendi, aut vindicandi. Quum autem res noſtræ incrementum accipere poſſint vel naturæ ipſius beneficio, vel induſtria noſtra, vel natura & induſtria ſimul; inde factum eſt, ut Juriſconſulti acceſſionem partiti ſint in *naturalem*, *induſtrialem*, & *mixtam*. Sic, ex. gr. ſolius naturæ beneficio debemus fœturam animalium, acceſſionem per alluvionem, & ſimilia; induſtriæ tantum ſpeciem rei noſtræ inductam, ſcripturam, ſculpturam, picturam, omniaque artium artificia, quibus metalla, lapides, lanam, ſericum, linum, ligna &c. in uſum vitæ vertimus, cetera. Denique meſſem, vindemiam, alioſque fructus ſoli noſtri, naturæ ſimul & induſtriæ debemus.

§. XIX. Quod autem pertinet ad juſtitiam ac probitatem hujuſmodi acceſſionum, in naturali diſtinguendum putat Grotius, utrum res noſtra tale ceperit incrementum, de cujus origine & priori domino nullo certo argumento conſtet; vel aliquid, quod in alterius dominio eſt, rei noſtræ acceſſerit. Priori caſu, quum res illa, de cujus domino nihil certi conſtat, pro re nullius merito habeatur, ea jure nobis cedit, veluti vacua, ſeu nullius. At in poſteriori caſu res habet dominum, qui alios uſu rei ſuæ jure excludere poteſt; ea igitur noſtra effici nequit. Quare ſi poſſit ſeparari a re noſtra, reddenda eſt priori domino: ſi non, dandum eſt pretium. Hæc omnia manifeſto fluunt ex iis regulis, quæ ſuperius poſitæ ſunt. Bona fide modo agamus, omnique dolo malo remoto, nihil implexum eſſe poteſt. Illa ſi deeſt, nihil eſt plani apertique (*a*).

§. XX. Porro ſuper acceſſionibus induſtrialibus, & mixtis ſequentes regulas ex principiis juris naturæ ſtatuit

(a) *Quam hoc divinum*! Non enim mihi eſt vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei cauſa. *Cic.* III. *de off.* 3.

tuit Heineccius de jure Naturæ, & Gentium lib. 1. cap. 9. Quum agatur de acceſſione rei alienæ ad rem noſtram, nobis invitis, aut inſciis, (nam ſi conſenſerimus, res utraque in communione poſitiva erit) diſtinguendum eſt, utrum ea acceſſione res noſtra evaſerit deterior, vel plane inutilis, an vero melior, præſtantiorque. Primo caſu, qui id fecit, accepta re corrupta, ubi eam dominus concedere velit, tenetur ad omne damnum nobis reſarciendum, ideſt ad reſtituendum non ſolum rei pretium, etiam juſtæ affectionis, verum etiam quidquid in bonis noſtris læſit. Id ſequitur manifeſto ex regulis de nemine lædendo, quas natura omnibus præſcripſit, quaſque ſuperius explicuimus. Aut enim nihil eſt inter homines juſti; aut ſi eſt (ac eſt enimvero) nihil alieni per dolum malum retinendum eſt.

§. XXI. In ſecundo caſu iterum diſtinguendum eſt, poſſint nempe res junctæ ſine notabili diſpendio & damno ſeparari, necne. Primo caſu, quum utriuſque rei domino jus ſit alterum rei ſuæ uſu excludendi; id vero aliter fieri nequeat, quam rebus illis ſeparatis; conficitur eas eſſe ſeparandas. Poſteriori caſu alteri addicenda eſt, qui alteri pretium rei ſuæ reddat. Addicenda autem eſt, ex regulis prudentium, ei, cujus pars nobilior eſt, & præſtantior. Scio Juriſconſultos Romanos cenſere, ubi duæ res dolo malo junctæ ſint, acceſſionem ſequi dominum principalis, qualis eſt ædificatio in ſolo alieno. Si id fit ex legibus ſocietatis civilis, idque in pœnam ejus, qui prudens ac videns rem ſuam alteri conjunxerit, non audeo damnare, dummodo ne res juncta ſit magni pretii. At id ex lege naturali non ſequitur; quippe quæ æqualitatem ſpectat dati acceptique; neque conſentaneum eſt mutuæ hominum caritati. Quibus ex rebus reſponderi poteſt infinitis quæſtionibus, quas ſuper his rebus Juriſconſulti, & Caſuiſtæ excitaverunt: nos principia explicanda ſuſcepimus, non ſingulas ſpecies definiendas. Ac opinamur, ſæpe nimium ſecando, minutaſque etiam quæſtiones regulis comprehendendo, & legum fuiſſe

majestatem imminutam, & stimulum ingeniis conatumque ad magna ademtum.

CAPUT VIII.

De modis acquirendi Dominii derivativis.

§. I. QUæ in dominio jam constituta sunt, vel sunt in communione positiva, vel in proprietate ut supra dictum est. A communione positiva ad proprietatem fit transitus, aut divisione, aut cessione. Divisione quidem, si quilibet partem rei juri suo æquam in proprietatem accipiat: cessione vero, si rem totam reliqui socii ei cedant. Res autem in proprietate positæ transeunt in alterius dominium libera *traditione*, cujus nomine intelligo omnem omnino liberam alienationem, quæ jure fit.

§. II. Alienationes dividi solent ab iis, qui hæc subtilius disputant, primo *in voluntarias*, & *involuntarias*, seu *necessarias*. Necessariæ appellantur eæ, quæ ex anteriori acquirentis jure proficiscuntur, quæ necessariæ dicuntur in effectu, non in causa: neque enim ulla alienatio in causa necessaria concipi potest; quia nemo rerum suarum dominio exui potest, nisi aut voluntate sua, aut voluntario crimine. Voluntariæ vero sunt, quæ de novo decernuntur, libere consentientibus tradente & accipiente. Secundo dividuntur in *puras*, & *conditionales*. Primæ dominii translationem nulla conditione suspendunt; secundæ vero conditione aliqua vel circumstantia. Tertio dividuntur in alienationes *de præsenti*, & *de futuro*. Primæ sunt, quum vivi voluntate nostra rerum nostrarum dominium in alios transferimus: secundæ quum transfertur post nostram demum mortem. Jam consensus in futuram alienationem vel *est expressus*, & dicitur *alienatio testamentaria*: vel *ex fine*, intentione, & conjectura voluntatis colligitur, quemadmodum putat Grotius, & dicitur *successio ab intestato*.

§. III. Quum res in communione positiva est, jure naturæ, nisi aliud pactis constitutum sit, cuilibet li-

licet provocare ad divisionem, portionemque suam repetere, præsertim si ea communio minus sit ei commoda, ut nimirum dominium juris sui plenum habere possit. Nisi enim id liceret, inutile esset rerum dominium. Quid, inquit aliquis, si communio illa his legibus statuta sit, ut esse debeat perpetua (*a*)? Respondeo pacta sancte servanda esse: sed eas communionis illius leges non posse semper intelligi ita, ut etiam si perniciosa sit sociis communio, perpetuo retinenda sit: neque enim credendum est, socios his legibus communionem inire voluisse; quia natura fit, ut quisque statum sibi pernicialem aversetur. Quare ea pacta interpretationem aliquam admittere possunt. Id tantum vetat non pactorum modo fides, sed lex naturæ primaria, ne tunc a communione discedere velimus, quum fieri nequit sine aliorum sociorum damno: aut non ex gravi incommodo, sed ad libidinem confícto.

§. IV. Res autem communis vel dividua est, vel individua. Si primum, nihil magis æquum est, quam ut scindatur in partes, ac sua cuilibet addicatur. Si posterius, uni addicatur, qui ceteris sociis pro ratis portionibus satisfaciat: neque enim ad divisionem jure provocari potest, quippe qua res corrumpitur cum damno omnium. In addicenda uni præ aliis re indivisibili, aut eligenda est persona ex communi sociorum consensu; aut, ubi plures contendunt, sorti res committenda. Nam quod quidam docent, rem addicendam ei personæ, quæ prærogativa aliqua ab aliis distinguitur, id ex jure naturæ non est, quando agitur de Justitia commutatrice; quia in rebus ejuscemodi naturæ jure omnes sumus æquales.

§. V. Sunt res quædam pluribus communes, ad quas licet omnes simul jus perfectum habeant, nemo tamen habet singillatim, e. g. ad eleemosynas, quas montes Pietatis dicti elargiri ex legato debent, omnes pauperes jus habent acquisitum ex eorum legatis, qui hu-

(a) *Etiam si pacto aliud conventum sit, adhuc societatem dissolvi posse Romanæ leges statuunt.*

hujusmodi montes fundaverunt: sed nemo habet singillatim jus perfectum. In his rebus attribuendis locum non habet perfecta æqualitas rei dividendæ, sed proportio Geometrica; nec ex jure singulorum perfecto, sed imperfecto. Proportio Geometrica in hoc posita est, ut sit ratio ejus, quod uni datur, ad jus, ut ratio ejus, quod datur alteri, ad ejus jus. Ita si sit 6 ad 2 in ratione tripla, erit 12 ad 4 in eadem ratione. Quare in his rebus dividendis servandum non est illud, ut totum ad totum, ita pars similis ad similem, sed potius illud, ut sit datum X ad indigentiam, e. g. pauperis A ut est datum Z ad indigentiam pauperis B Explicemus hoc exemplo: Mille pauperes habeant jus ad mille aureos natum ex alterius benignitate. In his aureis distribuendis non est servanda prior illa proportio, ut singulis pauperibus dentur singuli aurei, sed hæc potius, ut si pauperi A cujus indigentia erat 6 datum sit 2: pauperi B cujus indigentia est 12 detur 4: ita servabitur proportio Geometrica. Eadem porro proportio servanda est in justitia distributrice, quum agitur de pœnis, præmiis, aut officiis ex cujusque meritis distribuendis, modo nihil præcesserit, quo jus justitiæ distributricis evaserit jus strictum justitiæ commutatricis. Ea vero quæ dicitur ab Aristotele proportio Arithmetica, quæ posita est in medio indivisibili & æqualiter ab utroque extremo distante, quale est 6 a 2 & 10 & 8 ad 10, & 12 &c. locum in his rebus nullum habere potest, sed ne in iis quidem semper virtutibus, quæ nostri custodiam & culturam spectant, quod ipse Aristoteles animadvertit.

§. VI. Quæritur hoc in loco, quænam harum proportionum in pœnis infligendis servanda sit? Distinguendum est: habent enim pœnæ duplicem finem, satisfactionem injuriæ alterius datæ, & publicum exemplum, ne scilicet similiter peccetur. Quod ad primum finem attinet, æqualitas servanda est; agitur enim de jure alterius perfecto reparando. Quod ad alterum, Geometrica proportio locum habere debet: nam plerumque ob publicam utilitatem licet esse paullo severio-

riorem, seu gravius punire, quam crimen absolute considératum meretur. Quandoque ob eandem rationem licet aliquid remittere de constituta pœna, si id futurum sit in publicam utilitatem.

§. VII. Si res communis uni sociorum attribuatur, ea vocatur cessio. Quum autem unus in reliquorum omnium locum succedat, sequitur eum succedere quoque in jura omnia eorumdem, atque idcirco subire debere, ut omnia commoda, ita incommoda. Ex quo naturali principio recte deduxerunt Jurisconsulti Romani, easdem omnino exceptiones opponi posse cessionario, quibus adversus cedentem locus fuisset. Sed ex eodem principio sequitur, seu res dividatur, seu concedatur uni, intelligi traditum liberum dominium rei: ac propterea socios efficere debere, ut ne dominus in in eo dominio impediatur a causa aliqua antecedente. Id totum dicitur a Jurisconsultis *evictionem* rei præstare. Quocirca præstatio evictionis ex ipso naturæ jure proficiscitur.

§. VIII. Veniamus ad traditionem. Homines rerum dominos dominium patrimonii sui, aut totum, aut ex parte in alios transferre posse, juris est naturalis post introductum rerum dominium: inest enim hoc jus in ipsa dominii pleni natura, quæ posita est in jure omni modo re sua utendi. Itaque præclare Aristot. *proprietatis*, inquit, *definitio est, ubi penes nos est jus alienandi*. Ceterum nulli dubium est, quin possit per societatem, aut eum, qui in societate summum habet imperium, constitui, ut nonnisi sub certis conditionibus dominium transferatur, quod rerum privatarum dominia non debeant ita administrari, ut publica civitatis felicitas lædatur. Quod ita statutum est, ad pacta publica refertur; servandum igitur ob privatam publicamque felicitatem. Quare jure prodigis alienare prohibetur: jure prohibetur alienare iis, qui nondum plenam rationem habent. Eadem de regula in quibusdam civitatibus prohiberi potest alienare in extraneos quædam rerum genera. Eæ autem prohibitiones naturæ dominii non adversantur: siquidem ipsa naturæ lex præcipit, ut ita rebus nostris utamur, ut neminem inter-

ea lædamus, ne ipsis quidem nobis exceptis (*a*).

§. IX. Ex doctrina Jurisconsultorum, dominium traditione translatum non intelligitur, nisi rei possessione tradita. Apud plerasque etiam Europæ Gentes exigitur, ut traditionis apud Populum, aut Magistratum fiat professio, & relatio in acta. Quæ omnia ex jure sunt civili, prudenter licet statuta ad fraudes cavendas. Nam alioquin jus naturæ hujusmodi formas ignorat (*b*): sufficit

(a) *Eodem pertinent leges Judaicæ*, ut ne quis extra familiam alienet: ut ne quis extra tribum. *Hinc nuptiæ non extra tribum. Sed & ob eamdem causam, vetitum ne Sacerdotes fundos occuparent: soli tributi fructus. Nam cum non admodum ampla esset Palæstina, si licuisset sacrare fundos, brevi tota uni tribui Levi cessisset. Eadem apud Romanos ratio:* ne quis agrum sacrato, *ut est in legibus decemviralibus. Cum inter nos nullus occupandi finis legibus constitutum esset: inde illa fuere sæpe bella, seditiones, schismata; eruntque, donec nullus fiet modus. Ceterum illæ agrorum partitiones verisimile est, non prius obtinuisse, quam familiæ, missa vita vaga & agresti, agriculturæ studuerunt, cojeruntque in corpora politica. Ætate id Deorum factum fabulæ Græcorum docent, aut eorum, qui Deorum filii perhibentur. Nam Jupiter apud Æschylum v. 229. dicitur statim ac thronum adeptus est*, δαιμοσιν νεμειν γερα αλλοισιν αλλα, dona alia aliis diis distribuisse: *sed nullam reliquorum hominum rationem habuisse. Quod ego sic accipio, optimatibus partitum agros, reliquos servos addictos glebæ habuisse. Quibus obstitisse Prometheus fertur, velut in illa Titanum gente plebis tribunus, aut Ephorus, ac mortales a miseria liberasse. Eo factum, ut odio esset Patriciis. Nam ille, quem rapuit e sole, ignis*, εστιαι, *foci domestici sunt, qui in Republic. homines capita. Hinc quoque est, ut filius Themidos habeatur Prometheus, idest Telluris, justæ naturæ legis, qua agrorum constant jura*

Εμοι δε μητηρ εχ απαξ μονον Θεμις,
Και Γαια, πολλων ονοματων μορφη μια. *v.* 209.

Quanquam in Græcia Herculis tempore adhuc incultæ essent & agrestes gentes, nulla terrarum partitione; quippe adhuc feri boves. Inde sunt illi Centauri in Hercule furioso Euripidis; quasi boves κεντουντες, *cornu ferientes, quos Hercules edomuit. Jam Theseus vites videtur Atticis, earumque culturam monstrasse; ex quo est ejus filia* οινοπιων, *item* σταφυλος *filius; & uxor Ariadna*, res voluptuosa; *quæ ad ejusmodi culturam spectant. Vide Plutarchum in Theseo. Quicquid ejus rei sit, cum civitatibus ac imperiis leges agrariæ invectæ, idque, ut in III. de Rep. opinatur Plato, plusquam mille post diluvium annis.*

(b) *Barbari adhuc omnes non aliter nobiscum commercia agunt, quam*

sufficit nempe nostra voluntas tradendi expressa per verba, aut alia signa externa, & consensus acceptantis item aliquo signo externo significatus: libera scilicet voluntate jura traduntur. Externa autem esse debent signa dantis, & acceptantis: nam solus actus internus non est congruens naturæ societatis humanæ. Vide Grot. de jure Belli, & Pacis lib. 2. cap. 6. ibique Cocceii.

§.X. Sed ut transferatur dominium necessarium quoque est, ut qui tradit rem aliquam, habeat, aut habere possit transferendi voluntatem. Quocirca ex commodato, deposito, locato non intelligitur dominium transferri: multo minus si res tradatur precario, vel alio titulo pro tradentis arbitrio revocabili: non enim qui tradit voluntatem habet alienandi. Præterea si animum tradendi vel alienandi habere quis nequeat, quo tempore tradit, ut infans, furiosus, mentecaptus, similes; nullo modo transfertur dominium: nulla enim voluntas constat sine ratione.

§.XI. Jam vero potest quis non integrum dominium transferre, sed sibi ex re sua commodum aliquod, aut utilitatem, reservare: potest ad tempus, aut sub conditione aliqua, vel obligatione transferre: id enim proprium est dominii pleni & absoluti. Inde natæ sunt servitutes, inde genera dominiorum, pleni & minus pleni, directi & utilis, de quibus diligentissime egerunt Jurisconsulti. Omnes hujusmodi alienandi species ex natura dominii consequuntur: nam qui dominus est, alienare jus suum potest utcumque ei libitum fuerit, modo ne alios lædat. Quare quum dominium rite acquisitum vim habeat ex lege naturæ; inde quoque hæc omnia vim suam trahunt; quæ proinde servari necesse est ab eo, qui naturalis honestatis & justitiæ amans est.

§.XII. Inter species alienationis usitatiores & testamentum recensetur. Sed illud inter doctos summopere controvertitur, utrum ex jure naturæ, an vero ex jure civili vim suam habeant testamenta: quæ controversia non parvi est momenti. Etenim si testamenta

jure

quam signis, ac brevi manu: nullæ aliæ solemnitates, nisi datio atque acceptio. Ea naturæ vox, si uterque consenserit.

jure naturæ rata ſunt, nulla humana auctoritate aut rescindi, aut immutari poſſunt, ſanctumque habendum eſt, quodcumque eum in modum ſtatutum eſt. Contra vero ſi ex jure tantum civili vim ſuam nanciſcuntur, ubi ſummus Imperans e re publica vel privata eſſe judicaverit, ea irritare jure ſuo poteſt, velut ſummus Reipublicæ moderator.

§. XIII. Ut ea controverſia rite componatur, omnium primum conſtituenda eſt teſtamenti definitio, ut ejus conſtet natura. Grotius ex Romanis legibus lib. 2. de Jure Belli, & Pacis cap. 6. §. 4. teſtamentum ſic definit, *alienatio univerſi patrimonii noſtri in mortis eventum, ante eam revocabilis, retento interim jure poſſidendi, & fruendi*. At Puſendorff. lib. 4. de Jure naturæ, & Gent. cap. 10. §. 2. aliique viri docti obſervarunt, Grotianam definitionem eſſe contradictoriam, ſeu conſtare ex repugnantibus: neque enim teſtamentum eſſe poteſt alienatio, ubi & revocabilis ſit, & retineatur jus poſſidendi, & fruendi, ac conſequenter alios excludendi. Hoc enim jus integrum dominium conſtituit, quod ubi non transfertur, ne alienatio quidem teſtamentum eſſe poteſt. Sane vero poſita Grotiana definitione, rogant, quandonam teſtamentum alienatio ſit, ante ne quam teſtator moriatur, an poſtquam obierit? non primum, quum adhuc retineatur dominium: nec alterum, quum jam dominio exceſſerit, quod idcirco transferre amplius nequit: morte enim rerum terreſtrium finiuntur dominia, quæ corporeæ tantum vitæ neceſſaria ſunt. Itaque Puſendorff. teſtamentum definit, *declarationem voluntatis noſtræ circa ſucceſſores in bona noſtra poſt mortem noſtram, quæ tamen ante mortem pro libito noſtro ſit mutabilis, & revocabilis*. Eſt ſcilicet hujuſmodi declaratio pollicitatio quædam conditionalis, quæ nullum jus in heredem transfert: tales enim pollicitationes revocabiles eſſe ipſe oſtendit Grotius lib. 2. de jure Belli & Pacis cap. II.

§. XIV. Qua poſita definitione, quæritur, an introducto legitime rerum dominio, ex ejus natura neceſſario conſequatur, ut quis ita efficaciter teſtari poſſit, ut ejus teſtamentum jure naturæ vim & efficaciam ha-

habeat, quemadmodum omnis alia voluntaria alienatio, quæ inter vivos fit? Grotii mens eſt, teſtamentum, ut alios actus externos, qui ſocietatem ſpectant, formam certam poſſe accipere a jure civili, ſecundum quam niſi inſtituantur, effectum nullum ſint habituri: at ſubſtantiam ipſam teſtamenti cognatam dominio eſſe, eoque poſito, eſſe juris naturalis. Sed dubia ſuper ea re non levia movet Puſendorff. Henricus vero de Cocceii Commentario in eum Grotii locum, Samuel de Coccei diſſertatione 12. procemiali ad Grot. lib. 4. cap. 3. ſectione 4. Heinecc. lib. 1. Juris naturalis & Gent. cap. 2. aliique viri docti rotunde negant teſtamenta juris eſſe naturæ (a).

§. XV. Nos ſequentibus propoſitionibus rem expediemus. Prima eſt: *non poteſt jus naturæ rata habere teſtamenta tanquam alienationes privatas*. Primum, alienatio non fit niſi voluntate rationali, qua volumus dominium transferre: quum autem teſtatores neque vivi dominium rerum ſuarum in heredem transferant, neque poſſint transferre poſtquam occiderunt, quia dominia morte finiuntur; ſequitur teſtamentum non eſſe alienationem privatam, neque ut talem alienationem a lege

(a) *Dominia privata pactis conventis nationum inducta ſuere: iiſdemque pactis teſtamenta rata habentur. Hæc pacta niſi privatis Civitatibus, earumque utilitatibus adverſentur, ex natura profecto vim ſuam habent. Nam ut nationes jus, quod e natura profluit, ſuis pactis antiquare nequeunt; ita nationum omnium pacta, quæ ſtatu Civitatum anteriora fuerunt, non ſunt exiſtimanda abolita, niſi iis civilibus ſanctionibus aperte renunciatum ſit. Quod tantum abeſt ut cum teſtamentorum pactis actum ſit, ut potius firmata ſint. Ita teſtamenta, quæ ex iis conventionibus (tacitis, ſeu expreſſis) originem habuere, vi ipſa naturæ ſarta tecta ſunt. Nec nego legibus totius Civitatis antiquari illa pacta ac reſcindi poſſe. Illud ajo; quouſque id factum non fuerit, Juriſconſultorum philoſophia ac machinationibus fieri non poſſe. Quærere vero, vivus ne alienem, ac mortuus, perridiculum fuerit: ſiquidem non ego tantum alieno, ſed tota mecum Civitas, quæ hiſce conſtat pactis. Quid ſi cum tota domo ſpondeam, hanc tibi auream pateram tradi, ſed non prius, quam obdormiero; modo ne & hanc ſponſionem, priuſquam obdormiam, revindicem? Quæres ſcilicet, dum me dormiente capis, vigilans ne dederim, an ſomno ſepultus? Quod de ſomno dixi, de morte cogita.*

lege naturæ comprobari. Videntur hoc intellexisse Jurisconsulti Romani, qui ut huic difficultati obviam irent, ad fictiones confugerunt. Finxerunt enim momentum aditionis hæreditatis cum momento mortis testatoris idem esse, & hoc momentum unum idemque cum momento testamenti factionis. Sed hujusmodi fictiones alienæ sunt a naturæ simplicitate & veritate.

§. XVI. Deinde omnis alienatio, ut vim a natura habeat, exigit in alienante voluntatem dandi, in excipiente recipiendi; quæ in testamento desunt; quum nec testator ἁπλῶς *simpliciter* alienare velit; & sæpius heres ignoret, se scriptum heredem. Tum dominium rerum terrestrium in usum præsentis tantum vitæ nobis concessum est; ergo morte finitur. Quare quum jus alienandi sequatur dominium, nullum nobis competere potest, postquam occidimus. Testator autem non alienat vivens, quia nullum jus transfert in heredem; ergo testamenti factio vim habere nequit ex naturali lege tanquam privata alienatio.

§. XVII. Altera propositio est: *consentaneum est juri naturæ rata servare testamenta velut alienationes publicas, ubi nihil reipublicæ interest: at si reipublicæ intersit, potest illa summus Imperans aut rescindere, aut permutare*. Ratio primæ partis est, quia interest tranquillitatis publicæ ita esse singulis persuasum, ut ex publicis pactis possint omni modo jura sua alienare. Ad rem Quintilianus declam. 308. *Neque enim aliud videtur solatium mortis, quam voluntas ultra mortem; alioquin potest grave videri & ipsum patrimonium, si non integram legem habeat, & quum omne jus in id nobis permittatur viventibus, auferatur morientibus*. Tum interest, bonam fidem servare; quæ tum est integra, si publica pacta immota habeantur.

§. XVIII. Secundæ partis demonstratio omnium expeditissima est. Tota enim ratio, ob quam testamenta juri naturæ conformia pronunciamus, desumta est ex fine communium generis humani pactionum, salute publica; ergo ubi ejusmodi sunt testamenta, ut publicæ utilitati & tranquillitati adversentur, nullo modo æquum est, ut civitatis pacta serventur rata. Jam vero

ro quum judicium supremum earum rerum, quæ ad publicam civium utilitatem pertinent, in imperio civili sit summorum Imperantium; efficitur eorum juris esse ejusmodi species perpendere, & secundum publicam utilitatem definire. Nec desunt exempla apud veteres rescissorum testamentorum etiam secundum solemnitates juris civilis factorum, veluti quum testamentum Tiberii Senatus irritum declaravit, ut narrat Dio lib. 49. & testamentum Virgilii, quo constituerat, *sua rapidis aboleri carmina flammis*, invalidavit Augustus. Accedit, quod Romani ipsi Jurisconsulti & Imperatores non omnibus testamenti factionem concedunt. Ita e. g. deportatus non habet testamenti factionem, etsi retineat omnia, quæ sunt juris naturæ, *L.* 1. *C. de bonorum possessione*.

§. XIX. Quæ autem dicta sunt in priori propositione cum hac exceptione intellecta volumus, ut infinita illa testandi licentia, quam leges Romanæ induxerunt (*a*), quæ nullam aliam habeat regulam, nisi testatoris libidinem, non ex jure naturæ, sed civili tantum vim habeat (*b*). At liberorum, nepotum, aliorumque

(a) *Lex* XII. *Tab. sciscit*, Paterfamilias uti super familia, pecuniave sua legassit, ita jus esto. *Eam legem ita intellexisse videntur legum Justinianearum collectores, ut* Instit. *de lege Falcidia, initio, dicerent*, olim lege XII. Tabularum libera erat legandi potestas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare. *Quin* de verborum signif. *l.* 120. *his verbis*, uti quisquam legassit de re sua, ita jus esto, *scribitur*, latissimam potestatem tributam videri, & heredes instituendi, & legata & libertates dandi, & tutelas quoque constituendi. *Mox* hæc interpretatione coangustata. *Illud ego mihi non persuadebo, severioribus Reip. temporibus, agrestioribusque moribus, adeoque juribus familiarum vigentioribus, eam patrifamilias tributam legibus potestatem, quæ luxuriantium temporum fuerit propria. Aliud igitur subfuisse existimo, quod non satis sequens ac luxuriosa ætas intellexerit. Equidem, non abnuo jura patrum regia priscis temporibus augustiora fuisse; quibus tributum aliquid videri possit: illud movet, cur hæc ipsa jura labefactare voluerint luxu testandi? Quid si primogenitorum superbiam retundere studuerint? Quid si liberorum avaritiam, liberalitatis jura fovendo? Sed non vacat hæc disceptare subtilius.*

(b) *Nam illa quoque gentium pacta, queis constituta fuere dominia, familias spectabant.*

rumque in linea recta succeſſio in bona paterna, vel avita, jure & ordine naturæ conſtat; quia ex jure & ordine naturali eſt, ut Parentes liberis, quos voluntarie genuerunt, provideant (a). Secundo quia in ordine naturæ eſt, ut Parentes in bonis acquirendis non ſibi tantum, ſed poſteritati quoque ſuæ proſpiciant, quo fine defraudaretur natura, ſi eorum poſteritas ab hereditate excluderetur. Tertio quia tota linea recta, dum ſuperſtes eſt, una cum ſtipite in eorum bonorum poſſeſſione eſt, ut idcirco una occupaſſe videatur. Quarto quia familia eſt unum corpus artificiale, cujus caput natura ipſa eſt Paterfamilias, aut, eo deficiente, is, qui Patri conjunctior eſt. Quare ut in Imperio familiæ naturaliter ſuccedit is, qui Patri eſt conjunctior, ita quoque ſuccedit in bonorum poſſeſſione, quæ eſt ratio Samuelis de Cocceii. Hinc apud veteres quasque nationes non aliud ferme teſtamentum obtinuit, quam hoc, ut ſui cuique liberi, aut ſanguine conjunctiores, heredes eſſent. Apud Germanos, *heredes ſucceſſoreſque ſui cuique liberi, & nullum teſtamentum* (b). Idem antiquitus obſervatum Athenis colligi poteſt ex Plutarcho in Solone. Idem factitatum apud Hebræos demonſtrat Seldenus de ſucceſſione ad leges Hebræorum cap. 24.

CAPUT IX.

De officiis, quæ ex dominio rerum proficiſcuntur.

§. I. QUemadmodum bona Telluris juſte & honeſte noſtra efficere poſſimus, iiſque adridente uti Nemeſi, *conſcientia*, in ſuperioribus demonſtratum eſt. Nunc in id inquirendum, quæ ſuper iis adverſus alios officia ſervare oporteat. Officia, quæ adverſus alios ex rerum dominio naſcuntur, paucis regulis complexus eſt Pufendorff. de officio hominis & civis

(a) *Quia iis cautum agrorum diviſione: familias enim ſervari volebant.*

(b) *Tacitus de moribus Germanorum cap. 20.*

vis cap. 13. Eas nos in medium proferemus, paucis adnotationibus additis. Prima regula eſt, *ut quilibet teneatur alterum* (non hoſtem, adverſus quem bellum juſtum gerat) *pati rebus ſuis quiete frui, neque vi, aut per fraudem illas corrumpere, intervertere, aut ad ſe trahere :* qua regula furta, rapinæ, damna, injuriæ, fraudes, & alia crimina in res alienas tendentia, prohibentur. Ejus regulæ ratio ex omnibus ſyſtematibus juris naturalis deſumi poteſt. Primo id exigit cuſtodia ſocietatis; ita enim ſocietas ſancte cuſtoditur, ſi cuique ſua jura ſerventur. Secundo id poſtulat amor, quo ex lege naturali omnes amare tenemur: is enim vetat cuique injuſtum dolorem inferre. Tertio non patitur contrarium natura dominii, quod, ut demonſtratum eſt, leges naturæ probant. Tandem id gentium omnium leges civiles confirmant. Nam quanquam de Ægyptiis, & Spartanis contrarium tradant, quippe apud quos furta permiſſa fuiſſe dicunt; ea tamen, quæ dicebantur furta, proprie dicta furta non erant, cum omnes conſentirent: quandoquidem quibus in caſibus bona dominorum voluntate, veluti ludo, quadam, in medio ſunt poſita, nullum furtum admitti poteſt.

§. II. Sed quæri poteſt, utrum eadem lege prohibeantur uſucapiones, ut præſcriptio longi temporis, vel immemorialis, non ſit firma exceptio, qua res alienas noſtras facere quæmus? Uſucapiones longi temporis, vel immemoriales, res alienas efficere noſtras, legibus Romanorum civilibus ſtatutum eſt. Quumque eæ leges evaſerint jus commune gentium Europearum, hinc hujuſmodi præſcriptiones in tota Europa invaluerunt. Sed & apud Hebræos, & Græcos, aliaſque antiquas Nationes idipſum approbatum legimus. Vide Grotium lib. 2. de jure Belli, & Pacis cap. 4. Cicero in 2. de officiis contra æquitatem eſſe pronunciat, *ut agrum multis annis, aut etiam ſeculis ante poſſeſſum, qui habuit, amittat.* Grotius idipſum ſequentibus argumentis confirmat; quod ſcilicet & controverſiæ nunquam finirentur; & omnium animi dominiorum incertitudine perturbarentur; & lites ex litibus ſererentur, niſi longi temporis uſucapiones res alienas faceret noſtras.

§. III.

§.III. At difficile est demonstrare ex principiis juris naturæ, usucapiones quantivis temporis justas evadere posse, nisi accedat voluntas legitimi domini: Ipse Grotius agnoscit, tempus suapte natura vim nullam effectricem habere: *nihil*, inquit, *fit a tempore, quanquam nihil non fit in tempore*. Efficere ergo tempus nequit, ut quod meum est, sine voluntate, aut facto meo, evadat alienum. Quod si leges civiles id constituunt, censendum est id efficere in pœnam, qua legitimus dominus ob suam negligentiam punitur. Ac vero, aut res, quæ usucapitur, a nobis sublata fuit furto, vel rapina, & tum lex ipsa duodecim tabularum negat usucapi posse, *Adversus furem æterna auctoritas esto;* aut casu vel fortuito in alienam possessionem transiit; & possessor posterior, quum legitimum ejus dominium non habeat, ne transferre quidem potest in alios, ut perspecte ratiocinatur Cujacius ad l. 2. de usucapionibus. Vide & Samuelem de Cocceii dissertatione 12. procemiali ad Grotium lib. 4. cap. 3. sect. 5. (*a*). Sed has rationes evanidas publica pacta efficiunt. In his rebus quod publico fit consensu, juris naturæ est.

§. IV. Secunda Pufendorff. regula est, *quando res aliena ad nos pervenit nec nostro crimine, & bona nostra fide, eamque adhuc in nostra potestate habemus, tenemur efficere, quantum in nobis est, ut illa in potestatem legitimi sui domini redeat*. Scilicet id exigit natura dominii, & generica illa naturæ lex, quæ suum cuique jus tribuendum præcipit. Ceterum non tenemur rem hanc restituere nostris impensis, si sine nostra culpa periit: nullo enim crimine eam habemus. Præterea si quas in ea servanda impensas fecimus, recte possumus repe-

(a) *Sæpe dictum, sed dicendum sæpius: quæ consensu totius gentis fiunt, modo ne naturæ adversentur, jure fiunt; quia pactis fiunt. Quin leges ipsæ Civiles nihil sunt aliud, nisi quædam pacta publica, etiam in Monarchicis Civitatum formis; constant enim Principum rogatione, ac populorum sponsione. Cum igitur usucapiones seu consuetudine, seu civili lege ratæ habeantur, quis dubitat esse justas? Eo sunt in loco, quo Lacedæmoniorum furta, consensione omnium rata. Eædem cum nationum omnium approbatione teneantur, jure gentium valent.*

repetere, aut tantisper, quoad illæ compensentur, retinere. Ad restituendam porro rem tunc actu tenemur, quum nobis innotuit, rem illam esse alienam. Sed quod justo titulo acquisivimus, non tenemur ipsi in dubium revocare, & velut publice denunciare, quousque solida dubitandi argumenta nos non sollicitent.

§. V. Et hoc quidem officium rem alienam legitimo domino restituendi prius est atque potius officiis ceteris, quæ ex peculiari contractu nascuntur, ut si collidantur, illud servandum potius sit, quam hæc. E.g. si quis rem furtivam, me imprudente, apud me deponat, & interim mihi innotescat dominus, teneor furi restituere ex peculiari officio depositi, domino vero legitimo ex officio generico dominii: quum autem posterius officium sit potius & antiquius; efficitur ut nullus supersit locus officio peculiari, quod nascitur ex deposito. Neque necesse est distinguere inter jus civile, & naturale, quod efficit Triphoninus *in l. 31. ff. depositi*: Jus enim naturæ antiquius est & potius jure civili, ut si collidantur, prius servandum sit. Laudo ego Jurisconsultorum Romanorum sollicitudinem, qui his disputationibus bonam fidem inter cives firmare student: sed nego eam firmari posse officiorum naturalium violatione, ut civilia serventur (*a*).

§. VI. Regula Pufendorff. tertia est: *Si res alienæ bona fide parta sit consumta, officii est naturalis tantumdem restituere domino, quantum ex eo patrimonio nostro accessit, seu in quantum facti sumus ditiores, ne scilicet ex immerito alterius damno lucrum capiamus*. Eam tamen regulam sic intelligendam docet, ut restituere teneamur id, in quo facti sumus locupletiores aut ex ipsius rei substantia, aut ex rei fructibus naturalibus, non vero si ex fructibus industrialibus. Oppugnat hanc regulam Barbeiracius adnotationibus ad opus majus Pufendorffii, eo argumento, quod qui possidet bona fide, tantisper dum possidet loco domini est, ac propterea, ut dominus, omnem utilitatem ex re possessa jure ca-

(a) *Potius, posteriora pacta, si anteriora elidant, irrita sunt, nulliusque obligationis.*

pere poteſt. Sed, me ſaltem auctore, prævalere debet principium alterum, *neminem locupletari oportere immerito alterius damno.* Videri poſſunt, quæ ad hunc locum Pufendorffii adnotavit Everardus Otto.

§. VII. Superiorem regulam ſequentibus aliis idem auctor illuſtrat. Prima eſt, *poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad ullam reſtitutionem, ſi res periit, nec quidquam ex ea patrimonio noſtro acceſſit.* Nulla ſcilicet ratio exſtat, quæ eum obligare poſſit ad reſtituendum: jus non læſit.

Secunda, bonæ fidei poſſeſſor tenetur ad reſtituendam rem, ſi exſtet, & ſimul fructus exſtantes; naturaliter enim ad quem pertinet res, pertinent & fructus naturales: jus enim ſuum cuique tribuendum eſt. Licet tamen hujuſmodi poſſeſſori detrahere omnes impenſas in re ejuſque cultura factas, ſaltem impenſas neceſſarias, & utiles, ne alter jure noſtro creſcat.

Tertia, bonæ fidei poſſeſſor tenetur ad reſtitutionem fructuum conſumtorum, ſi alias ex rebus ſuis tantundem conſumturus fuiſſet. Regula eſt Grotiana, ſuper qua itidem cum Barbeiracio lis eſt.

Quarta, bonæ fidei poſſeſſor non tenetur compenſare fructus, quos neglexit; quia nec re habet, nec quidquam inde rei ſuæ acceſſit: nec rei, quam ſuam ducit, negligentia pro culpa in alium haberi poteſt.

Quinta, ſi bonæ fidei poſſeſſor rem alienam ſibi donatam aliis donaverit, non tenetur tantundem reſtituere, niſi omnino ex officio aliquo tantundem donaturus fuerat: tunc enim lucrum fuit rei ſuæ peperciſſe.

Sexta, ſi bonæ fidei poſſeſſor rem alienam oneroſo titulo acquiſitam, veluti emtione, commutatione &c. quocumque modo alienaverit, non tenetur reſtituere, niſi quatenus ex ea lucrum fecerit. Ratio eadem eſt, quæ in ſuperioribus.

Septima, bonæ fidei poſſeſſor etiam permutatorio titulo rem alienam acquiſitam tenetur reſtituere, ſi exſtet, neque dominum id quod pro ea erogavit pretii repoſcere poteſt, ſed actionem adverſus illum habet, abs quo eam rem accepit. Cujus ratio eſt, quod nequeat una eademque res in duorum eſſe proprietate: cum

cum sit in proprietate primi domini, nihil in ea juris habet alter.

§. VIII. Regula tandem Pufendorffii quarta generalis est hujusmodi, *qui rem alienam invenit, quam domino invito excidisse probabile est, non potest eam colligere hoc animo, ut domino repetenti deneget. Quanquam si dominus non appareat jure occupantis retinere potest.* Hujus regulæ ratio eadem est, atque superiorum. Singularis fuit super hac re Spartanorum lex, *quæ non posuisti, ne tollas.* Quæ tamen nullo pacto commendari potest, nedum in copiosis & frequentibus urbibus, sed ne in agris quidem; quum utrobique facillimum sit hujusmodi res jacentes corrumpi. Humanitatis potius jura docent, ut res jacentes tollantur, & loco depositi habeantur. Ex hac porro regula dijudicari potest, quid censendum sit de quarumdam Nationum lege, qua res naufragorum Fisco addicuntur: eam enim esse contra naturam ratio disertissime docet. Pluribus adversus hujusmodi leges declamaverunt Bodinus de Republica lib. 1. cap. 10. Grotius lib. 2. de Jure Bell. & Pac. cap. 7. Jacobus Gothofredus de imperio maris cap. 2. aliique. Ac revera quid est aliud hominem adversa fortuna conflictatum jactatumque velut pro summa miseriarum spoliare?

§. IX. Quæri hoc in loco potest, ubi dominus non compareat, quid faciendum sit de rebus inventis? Quorumdam Theologorum opinio est, res hujusmodi erogandas esse in pauperes. Nempe id est de alieno esse benignum. Itaque si ex jure perfecto id docent, errant profecto: quum enim tales res non sint pauperum, nullo jure perfecto cogimur pauperibus dare. Si vero pronunciant ex jure beneficentiæ, aut œconomico, nihil honestius: sed tum id faciendum est, nec cum repertis modo temere, sed cum nostris quoque, quum eæ res nobis necessariæ non sunt. Siquidem jura humanitatis a nobis incipiant oportet. Pertinet ad hanc rem illud Senecæ, *dabo egenti, sed ut ipse non egeam: succurram perituro, sed ut ipse non peream.*

CAPUT X.

De pactis & contractibus, deque officiis inde provenientibus.

§. I. HOminum violentia ac dolus primam ut civilibus legibus, ita pactis, quæ sunt quasi privatæ leges, originem dedisse videntur: nam inter viros undequaque bonos, juris & honestatis amantes, ac propterea naturaliter & reciproce amicos, nullus nec legibus, nec pactis locus est; quia necesse non est. Præclare ab Aristotele observatum est, in locum amicitiæ civilem justitiam successisse, quæ ut legibus contineretur necessarium non fuisset, si homines, ut natura esse deberent, ita revera essent sinceri alii aliorum amici. Contractibus vero commerciorum tres, ut mihi quidem videtur, causæ originem fecere, dominia, nostri immoderatus amor, & rerum ad vitam necessariarum non ubique eadem copia. Nam primum cum res in proprietatem hominum devenerunt, ab earum usu ceteri omnes, præterquam possessores, sunt exclusi: ergo ubi earum rerum indigent, ad commercium, & contractus confugere debent. Deinde si inductis dominiis tanta esset hominum erga homines caritas, ut nihil, quod egentibus deest, non statim a locupletioribus suppeditaretur, commercio, & contractibus locus non esset. Tandem *non omnis fert omnia Tellus*:

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.

Ergo inde quoque factum est, ut dissitæ nationes rerum commercia inter se se instituerint, ut earum rerum, quibus ad usum vitæ indigebant, sibi copiam pararent. Scilicet nihil est aliud commercium, nisi rerum superfluarum cum necessariis permutatio. Videatur Grot. sub initium libelli *De mari libero* (*a*).

§.II.

(a) *Addo quartam, eamque omnium maximam*, luxum. *Nam rudi adhuc hominum ætate, paucissimis eramus contenti: desidentibus mox moribus actoque paullatim luxu, in immensam necessita-*

§. II. Sed quo commercia inter homines mutuo sibi diffidentes cum aliqua securitate haberentur, ad contractus, quæ jurisjurandi religione sanciebantur, ventum est, habuitque iis simplicioribus temporibus, etiam inter feroces homines, eam vim sola pactorum fides, quam nostrorum temporum, quum religio magno publico malo contemni cœpit, atrocissimæ pœnæ non habent. Est autem contractus *duorum consensus de rebus operisve inter sese ex obligatione perfecta communicandis*. Itaque vis contractus nascitur ex mutua promissione, seu pacto; cui standum, nisi res commutentur, jus naturæ aperte docet: nam qui pactis & promissionibus non stat, jus ejus lædit, cui promissum est, quod lex naturæ vetat. Communicantur autem aut res cum rebus, aut operæ cum operis, aut res cum operis: nam hæc tantum sunt in commercio. Sed ut in hac commutatione nemo lædatur, instituitur comparatio inter res & res; operas & operas; res & operas. Et quidem comparantur hæc omnia quantitate, pondere, intensitate, utilitate, publica æstimatione. Ea omnia nomine *pretii* veniunt. Itaque pretio instituuntur commercia omnia.

§. III. Est autem duplex pretium, *vulgare*, & *eminens*. Vulgare est, cum singulæ res singulis rebus æstimantur, aut operæ operis, quod usu venit in permutationibus, in quibus aut æqualis quantitas, vel æquale pondus, spectatur, si fuerint res ejusdem generis: aut proportio tantum, si diversi: scilicet ut sint reciproce datum ad acceptum, ut genus acceptum ad genus datum (*a*). Eminens autem pretium est, cum electa una re, quæ sit nec nimis vulgaris, nec nimis rara, quæque non facile corrumpi possit, ea ceteræ æstimantur: talia sunt metalla. Dicitur autem eminens, quia continet pretium omnium rerum, quæ sunt in

tatum copiam venimus, quibus nemo ipse per se satis possit facere. Ita permutatione rerum operarumque alii aliorum indiguimus plurima, crevitque in magna copia inopia.

(a) *Ut si sit tota auri quantitas ad argenti quantitatem, ut 1. ad 16. erit auri pretium ut 16. ad 1. ad pretium argenti. Quare auri uncia sexdecim argenti unciis æquabitur.*

in commercio (*a*). Constituendum autem pretium, seu æstimatio rerum, a fine. Is finis triplex est, vitæ necessitas, utilitas, & voluptas. Primo loco spectantur res, operæque necessariæ, idest eæ, sine quibus vita humana transigi nullo modo potest. Deinde utiles, sine quibus scilicet transigitur vita, sed cum incommodo, & ærumna. Tandem voluptuosæ, sine quibus commode quoque vivere possumus, sed sine luxu & superfluis voluptatibus. Quod spectat ad res necessarias, usus nationum ferme omnium est, etiam moratissimarum, majus, aut minus pretium iis statuere, & ex earum caritate, vel copia majori vel minori, & ex affectu ac desiderio eorum, qui eas res quærunt. Ita intenditur pretium, si aut qui quærunt magno earum amore teneantur, aut si earum rerum sit inopia: sin vero hæc fuerint contraria, pretium remitti solet.

§. IV. Sed quæritur, an ob hujusmodi rerum raritatem, vel quærentium copiam, jure intendi possit pretium, atque in ratione composita, reciproca rerum copiæ, directa utentium? Id generatim fit etiam, ut dixi, inter moratissimas gentes. Sed, si ex natura vivere velimus, ita faciendum est, ut indigi non excarnificentur, avari vero ditentur: id enim neque jus naturæ perfectum probare potest, quod utilitati non paucorum, sed omnium hominum prospicit: neque patitur jus imperfectum humanitatis (*a*). Ceterum ut interest Reip. ne publico damno in rerum inopia nimis in-

(a) *Imo res omnes esse olim nobis persuasum est, vicariamque rerum omnium vicem fecimus pecuniam. Postremo omnipotentiam ei quamdam attribuimus.*

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo . . . . . *Quin Danaen (virtutem, quæ* δῶρον, donum *Dei) turri ahenea inclusam, adulteravit adhuc*
Converso in pretium deo.

Ita humana divinaque omnia fœdavit, fidemque abstulit omnem. Næ catus Lycurgus, qui auro argentoque Lacedæmoniis interdixit.

(b) *Vir probus, cujusque interest probum esse (interest autem omnium) hæc duo secum reputet perpetuo.* I. Tellurem esse commune hominum patrimonium, a quo neminem omnino arcere fas

intendatur pretium; ita quoque intereſt, ut ne nihil intendatur. Cum enim res paucæ ſunt, pretium vero vile, uſu plures conſumuntur, quam oportet: quo fit, ut caritas deinde major, atque inopia naſcatur; quum intenſo pretio rebus parcere ſoleamus. Præterea artes dejiciuntur; ex quo porro fit; ut inopia ſequatur. Quantum vero intendi pretium, aut remitti fas ſit, vel oporteat, ex rerum, temporum, locorum, perſonarum, circumſtantiis viri prudentes dijudicabunt (*a*). Animadvertatur autem hoc in loco, me de privatis officiis diſputare. Ceterum non ignoro cauſas phyſicas, quibus rerum pretia publice remittantur, aut intendantur, non ab hominum voluntate eſſe, neque a lege, ſed a rerum natura; quod ego in Elementis Œconomiæ & Commercii, ſi vita ſuppetat, demonſtrabo.

§. V. In rebus utilibus, ſed non abſolute neceſſariis, magis etiam licet pretium intendere, cum ſine iis poſſit quidem vita ſuſtentari, licet cum incommodo aliquo. At in voluptuoſis nihil præcipi video jure naturæ, nec perfecto, nec imperfecto. Non perfecto, quoniam eæ nec neceſſariæ ſunt, nec majorem vitæ commoditatem faciunt; non imperfecto, quia amor generis humani neminem ſubigit, ut alterius luxum ſua opera faciat. Itaque in his rebus cenſeo, ubi aliæ cauſæ e publica, vel privata re nullæ ſubſint, id pretium conſtituere licere, quod cuique placuerit. Ita picturæ, ſculpturæ, gemmis, aliiſque rebus licet per legem naturæ id pretium ponere, quod placeat, modo emptores adſint. Interim ſi voce & fama publica hujuſmodi rerum pretia conſtiterint, non licet, nec carius vendere, nec vilius emere cum iis, qui eam ignorant. In his enim caſibus tam qui emit, quam qui vendit, ex publica hac regula emere aut vendere ſup-

fas ſit. II. Telluris ejuſcemodi bonorum nullum eſſe poſt mortalem hanc vitam uſum.

(a) *Spectat huc præclarum illud Platonis in* xv.*de Leg.p.*598.*Fic.* Ως θεος μεν παντα και μετα θεȣ τυχη και καιρος τανθρωπινα διακυβερνωσι ξυμπαντα, Deum, ac ſecundum Deum fortunam occaſionemque gubernare omnia.

ſupponit ; quem proinde non licet circumvenire : nam vox publica ad publica pacta pertinet , quæ violare nefas eſt .

§. VI. Antiquiſſimis mortalibus , antequam nummus reperiretur , pretio vulgari commercia omnia agitabantur (*a*) : id quod & ex veterum nationum memoriis conſtat , & ex priſtino hominum ſtatu comprobari poteſt : nam cum veteres illi maxima ex parte in ſtatu viverent naturali , difficillime omnes in eodem inſtituto convenire poterant , quod neceſſarium erat ad uſum nummi introducendum (*b*) . Aucto autem luxu , adeoque commerciis provectis , neceſſitas , & utilitas commerciorum eos impulit ad pretium eminens inſtituendum : nam ita & facilius commercia omnia etiam cum exteris agere poterant , & ſingulos contractus expeditius ac commodius perficere . Scilicet permutatio , qua ſola ante inventum nummum commercia omnia agebantur , nec ſemper locum habere poteſt , quum plerumque alter contrahentium earum rerum indigeat , quas alter non poſſidet ; nec facile in diſſitis commerciis ſemper obſervari . Sed perpendamus accuratius contractuum præcipuos .

§. VII. Simpliciſſimus , & antiquiſſimus contractuum omnium eſt , ut dictum , permutatio , ideſt rei noſtræ pro re alterius datio . Id cum dupliciter fieri poſſit , primum ut neutra res æſtimetur , ideſt certum ei pretium ſtatuatur ; deinde ut utriuſque rei ineatur ratio , conſtituaturque præciſum pretium : prior permutatio *ſimplex* vocabitur , poſterior *æſtimatoria* . Et illa quidem donationi reciprocæ , hæc emtioni venditioni quodammodo ſimilis eſt , quod Juriſperiti Romani agnoverunt in lege 1. §. 10. *de contrahenda emptione* . Quumque

(a) *Sed & hodie agreſtes gentes , ideſt plus quam dimidia telluris pars , quibus ignotus nummus . Porro quibus populi barbari adhuc nummi vice utantur , erudita diatriba enarrat Auguſtinus Calmetus , vir lectionis patientiſſimus .*

(b) *Germani , ceteræque ad Septentriones nationes vel Taciti ævo aurum argentumque ignorabant . Vide Tac. de mor. Germ. Quo videlicet , nec Phœnices devenerant , nec Græci , aut perpolitæ Aſiæ , Ægyptique gentes .*

que prior agitatiſſima veteribus & antiquiſſima fuerit; intelligitur inde, quanto ſimplicius veteres mortales, tanto inter ſe amiciſſime vixiſſe. Cultis tantum nationibus id olim ſervatum erat, quod Horatius lib. 2. ſatyra 3. ſcripſit

> .... *Omnes enim res,*
> *Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris*
> *Divitiis parent* ....

§. VIII. In priori permutatione neceſſe non eſt, ut æqualitas ſervetur; quoniam, ut oſtenſum eſt, ſuapte natura eam non exigit, ſed reciprocæ donationi ſimilis eſt, cenſeturque alterum alteri donare, ſi quid res rem, aut opera operam excedat. Nemo præterea de læſione conqueri poteſt, niſi ubi dolus malus & circumventio interceſſit, aut ubi, qui pretioſiorem pro viliori permutavit, non gaudebat libera de rebus ſuis diſponendi facultate. Contra in contractibus æſtimatoriis, in quibus utriuſque rei pretium inſtituitur, neceſſario obſervanda eſt æqualitas; quia ea ſpectatur pacto ſeu expreſſo, ſeu tacito. Itaque in his, ubi læſio interceſſit, tenetur, qui læſit, alterum indemnem facere, niſi læſio admodum exigui momenti fuerit: quippe hic contractus natura ſua perfectam, ut dixi, æqualitatem ſpectat. Jure Romano enormis læſio cenſetur, ſi ultra dimidium pretii publice conſtituti ſeu lege, ſeu fama, ſit, *lege* XI. *codice de reſcindenda emptione*. Sed putaverim etiam læſionem infra dimidium enormem plerumque eſſe. Quod de permutatione dictum eſt, idem dicendum eſt de contractibus, quos innominatos dixere, *do ut facias; facio ut des*; *do ut des*; *facio ut facias*, qui ad permutationem procul dubio pertinent. Scilicet diſtinguendi ſunt in æſtimatorios, & ſimplices: ac in primis perfecta æqualitas neceſſario ſervanda eſt (*a*), non item in ſecundis.

§. IX. Contractuum alter, qui & ante & poſt nummum

(a) *Hic* το δικαιον, το ισον, juſtum quod æquat, *ait Ariſtoteles*: αδικον, το ανισον, injuſtum, quod extra æqualitatem eſt. *Inde ſunt Latinis*, æquitas, *pro æqualitate*; iniquitas, *pro inæqualitate*.

mum inventum usum habere potuit, est commodatum, quo nomine intelligitur pactum cum obligatione perfecta conjunctum de re nostra alteri sub conditione restitutionis in specie gratis & ad præfinitum usum ac tempus præstanda. Ut officia circa commodatum explicentur distinctius, tria expedienda sunt: primum, an commodati substantia a solo contrahentium consensu pendeat, an etiam a rei traditione? Secundum, an aliquid accipi possit rei commodatæ causa? Tertium, si res commodata pereat fortuito, idest nulla commodatarii culpa, cui pereat? Quod ad primum attinet, dubitari non potest, quin si Jus naturale spectemus, commodatum substantiam suam a traditione rei capiat: antequam enim res tradatur, pactum potius commodati dici potest, quam ipsum commodatum.

§. X. Quod vero pertinet ad alteram quæstionem, vocatur quidem commodatum ab omnibus *contractus gratuitus*, quia scilicet ab origine sua talis est: sed usu receptissimum est, legibus civilibus non improbantibus, aliquid accipere; quo casu contractus commodati abit in locationem conductionem. Nec negari potest, si res commodata usu paullatim consumetur, ut vestes, aut similia, tantum posse nos jure pacisci, quantum usu ipso pretii de re consumitur. Nam quanquam commodatum ad actus beneficentiæ pertineat, nullo tamen jure perfecto obligamur ad beneficentiam cum notabili diminutione patrimonii nostri: id virtutis est, non stricti juris; iisque in casibus locum habere potest, ubi qui petit nihil habet, unde suæ necessitati succurrat. Adde & excipere nos posse pretium commodi, quod præstamus: nam rerum pretia a commodo nata sunt. Estque naturale, ut qui habet commodum, sentiat incommodum. Sed excipiendus, ut dixi, casus summæ commodatarii necessitatis & inopiæ: inhumanum enim videri potest, ex paupere velle commodum suum facere. Quod autem diximus, ita intelligendum est, si agatur de rebus vitæ necessariis, aut summe utilibus: nam si res fuerint meræ voluptatis, atque ad luxum potius, quam ad vitam pertinentes, tantum censeo posse nos jure pacisci, quantum

tum alter paratus est dare (*a*). Quare in his casibus videri nequit adversus naturam, *commodatum in locationem* converti, omneque commodum emi.

§. XI. In tertia quæstione Jurisconsulti ipsi Romani non videntur sibi convenire, si credimus Heineccio. Nam Gajus *lege* 1. *ff. de obligationibus & actionibus* generatim pronunciat, commodatarium casum fortuitum non teneri præstare. At *lege* 21. *ff. commodati* si res commodata furto sublata fuerit, actionem *commodati* dari supponit Africanus. Sed Gajus eos tantum casus excipit, *quibus humana infirmitas resistere non potest, veluti incendium, ruinam, naufragium &c.* non eos, qui exactissima diligentia vitari potuissent, inter quos est furtum, quod nunquam omni vacat culpa. Quare ii Jurisconsulti minime inter se pugnant. Grotius lib. 2. de Jure Belli, & Pacis cap. XII. §. XIII. ita distinguit. Si res apud dominum similiter peritura erat, commodatarium liberari ab ejus pretio solvendo: contra si peritura non fuisset. Hoc ultimum probat ex natura beneficentiæ: non enim ea patitur dominum rei ex beneficio damnum reportare. Grotium sequitur Pufendorff. lib. V. de Jure Nat. & Gent. cap. IV. §. VI. Grotii argumentum invictum est, si aut culpa commodatarii res periit, aut si id inter paciscentes convenerit. Contra vero si casu mere fortuito: cum enim ii casus a sola Providentia divina proficiscantur, adeoque nemini culpæ possint imputari; nullo jure perfecto cogi potest commodatarius ad eos præstandos.

§. VII. Sequitur depositum, cui locus esse potuit etiam ante nummum inventum. Est autem hic contractus ex origine & natura sua omnino gratuitus: exigit enim humanitas ac beneficentia, ut, quocumque modo possumus, maxime cum parvo nostro incommodo, alterius bona conservemus. Nihil hoc contractu veteres habuere sanctius; quia deponens summam fiduciam in depositarii fide ac diligentia collocat: nihil au-

(a) *Ut si auream vestem petas, quo Bacchanalia ludas: vel domum ad basilice cœnandum: vel aurea vasa: vel divitem supellectilem ad apparatum.*

autem turpius excogitari poteſt & a Jure naturali magis abhorrens, quam amicum ab amico amicitiæ obtentu falli. Hinc inſignis depoſiti religio non modo apud Hebræos (a), verum etiam apud Græcos, & Romanos. Vide Herodotum lib. VI. cap. LXXXVII. & Juvenalem ſat. XIII. Præclare Cic. pro Roſc. Amer. *perditiſſimi*, inquit, *eſt hominis ſimul & amicitiam diſſolvere, & ſallere eum, qui læſus non eſſet, niſi credidiſſet*. Ariſtoteles in problematibus ſectione XXIX. quæſtione II. & VI. pluribus rationibus demonſtrat, majorem eſſe perfidiam depoſitarii, quam mutuatarii. Hanc religionem, & fidem depoſiti confirmarunt leges Romanæ, & ſanctiſſime cuſtodiendam præceperunt, ut cum ex aliis locis Pandectarum, tum præcipue ex titulo *Depoſiti* conſtat.

§. XIII. Quod pertinet ad officia depoſitarii, paucis illa complexus eſt Heinecc. lib. I. de Jure Nat. & Gent. cap. XIII. §. CCCXLV. Primum depoſitarius tenetur ad accuratam rei depoſitæ cuſtodiam, non tamen majorem, quam qua utimur in rebus noſtris conſervandis; cum id nullo modo ex jure beneficentiæ ſequatur, cujus depoſitum eſt actus; niſi tribus caſibus; ſi aut res ſit pretioſiſſima; aut ex ea omnes deponentis fortunæ pendeant; aut ſi ſuper ea expreſſe ita ſit conventum. Quærit hoc in loco Pufendorffius, ſi in eo caſu ſim conſtitutus nulla mea culpa, ut aut rem depoſitam, aut meam perdere ſit neceſſe, quid mihi faciendum ſit? paucis ea quæſtio explicari poteſt ex iis, quæ ſuperius ſunt dicta. Scilicet niſi aliud conventum ſit, etiamſi res depoſita pretioſiſſima ſit, aut ex ea fortunæ omnes deponentis dependeant, noſtra non tanti, ſola jura beneficentiæ & magnæ amicitiæ exigere poſſunt, ut illam noſtræ præferamus: quod ſi æque noſtra intereſt rem noſtram conſervare, ne illa quidem: nam neminem teneor amare pluſquam me. Contra vero ſi te ad id pacto obligaſti: id ſervare teneris.

§. XIV.

(a) *Exod.* XXII. *cap.* VII., *Joſephus Judaic. antiquitatum lib.* IV. *cap.* VIII.

§. XIV. Secundum officium depositarii est, ut nè depositum involucris aut vinculis exuat, neve sine consensu domini in usus suos adhibeat, nisi ubi ea adigat necessitas, ut improbus sit amicus, si usum deneget: depositarius enim est, non usufructuarius. Jus alterius violas, si præterquam conventum est, agas.

§. XV. Tertium officium est, ut rem depositam domino, quandocunque eam reposcit, reddat, nisi aliud recta ratio exegerit: nam alioquin *depositum* (inquit Philo Judæus de plantatione Noe,) *quod accepisti a sobrio, nec ebrio, nec prodigo, nec furenti reddideris . . . . . . proditio enim isthæc, non redditio est*. Vide & Tullium lib. III. de Offic. Senecam de Benefic. lib. IV. cap. X. & S. Ambrosium de Officiis lib. I. cap. ultimo.

§. XVI. Quartum tandem officium depositarii est, ut si sua culpa depositum sit amissum, ejus æstimationem restituat. Romanæ leges in duplum damnant eum, qui depositum miserabile, seu quod propter imminens periculum tumultus, incendii, ruinæ, naufragii, depositum est, fuerit inficiatus, aut dolose detrectaverit restituere. Vide *legem primam ff. depositi*: ibi Prætor edicit, *Quod neque tumultus, neque incendii, neque ruinæ, neque naufragii causâ depositum sit, in simplum: earum autem rerum, quæ supra comprehensæ sunt, in ipsum in duplum . . . . . judicium dabo*. Id turpius furto recte pronunciat Aristoteles loco superius laudato: cujus ratio est, quia magis amicitiam oppugnat, cujus vi res deposita est. Quod autem amicitiam dissolvit, id Civitatem pervertit; quæ nequit esse vitalis, nisi, ut ait in III. de Legibus Plato, αυτη sit φιλη, *sibi sit amica*.

§. XVII. Contractuum, qui invento jam nummo præcipue obtinent, potissimus est *emtio venditio*, de quo hoc in loco per summa saltem capita dicendum est. Est autem emtio venditio contractus de re pro certo pretio tradenda. Permutationi æstimatoriæ similis est, si rei substantiam spectes; in modo tamen differt, quod emtio venditio non perficiatur, nisi pecunia numerata ex Jure Romano; nam Jure naturæ quocun-

cunque pretio perfici poteſt : nec propterea naturaliter a permutatione æſtimatoria differt. Quanquam inter ipſos Romanos Juriſconſultos, Sabinianos, & Proculeanos, acerrime ſuper ea re diſceptatum eſt (a). Nos controverſias Juris Civilis ejus interpretibus omittimus.

§. XVIII. Præcipuum venditoris atque emtoris, & reciprocum officium eſt, ut utrique res, ſeu merces, & pretium ſint probe nota. Proinde non modo venditor ejus qualitates, vitia, onera, cum in oculos, aliosque ſenſus non incurrunt, emtori indicare tenetur, verum etiam pati, ut hic rem luſtret oculis, aliiſque modis exploret, ac propterea ut rerum, quæ ad guſtum pertinent, venditio non prius perfecta ſit, quam facta deguſtatione; rerum vero reliquarum, quæ exploratione indigent, non prius, quam facta ſit exploratio (b). Præclara ſunt, quæ ſuper hac re diſſerit Cic. lib. III. de Officiis. Quo in loco illud præcipue monet, longius Philoſophi honeſtatem progredi debere, quam legum civilium vim. Nam leges civiles his in rebus eas tantum fraudes vetant, quæ ſenſibus explorari poſſunt : Philoſophus eas etiam, quas ratio, & intelligentia ex naturæ lege comprehendit. Uno hæc omnia principio confirmari poſſunt, nullo modo licere alium decipere. Sed & illud addit idem Auctor, etiam patentia vitia nominatim dicenda eſſe. In quo Ciceroni adſentio, ſi alter aliud agat; nemini enim licere arbitror ex alterius negligentia, vel ſtupiditate lucrum facere.

§. XIX. Illa hoc in loco quæſtio interſeri ſolet, penes quem ſit periculum rei venditæ, nec dum traditæ? Pufendorff. de Jure Nat. & Gent. lib.v. cap. III. §. III.

(a) *Quid ſi de lana ſit caprina? Ac eſt enimvero. Permutatio eſt rerum inter ſeſe: pecunia tam res eſt, quam quævis alia. Nec vero nummus pretium nactus, niſi quia res. Quia primum res quam nummus; priuſque auri ut rei pretium, quam ut nummi. Vide Oeconomiæ Civilis Elementa lib. II.*

(b) *Eo jure & barbari vivunt, & ſtrenue evincunt, ſola naturæ ſimplicitate ac vi. Enimvero quis audeat obtectam ignotamque alteri rem obtrudere, niſi qui circumvenire ac fallere cupit? omnem autem alterius deceptionem averſatur natura.*

§. III. distinguendum putat, utrum traditioni certus dies constitutus sit, nec ne? deinde utrum elapsus sit is dies, nec non? Si sit præfixus, nec dum elapsus, venditoris vult esse periculum: contra vero si elapsus sit. Nam id pacta comprehendunt. Si vero non sit præfixus dies, distinguit iterum, utrum mora, quæ inter perfectum contractum & traditionem intercedit, sit necessaria ad rem in loco sistendam, an ea mora a venditore proveniat, an tandem ab emtore. Primo, & altero casu venditoris esse periculum docet: nam ut res, ita quæ rei sunt adnexa dominum sequuntur. Postremo vero emtoris tantum: id quod ratio manifeste comprobat. Quod si emtor venditori tantisper rei venditæ custodiam commiserit, alter contractus instituitur, nimirum Depositi. Interim leges Romanorum generatim pronunciant, emtoris esse periculum omne, si jure emtio venditio peracta fuerit; quia post emtionem venditionem peractam res emtoris est; adeoque ei perit, modo casu pereat fortuito.

§, XX. Inter contractus, qui & ante, & post inventum nummum locum habent, censendus est contractus *mutui*, idest gratuita præstatio rerum fungibilium, ea lege facta, ut tantundem non quidem specie, sed genere restituatur. Dicuntur autem res fungibiles eæ, quas adnumerare, admetiri, & appendere solemus: quarum ea est natura, ut nullus illarum sine abusu, idest sine consumatione, usus sit, accipiantque solutionem, sive in genere, sive in specie. Est autem manifestum ex ipsa mutui definitione, creditorem in mutuo alienare rem in specie (a), atque sibi cavere de genere, adeoque rei, quam alteri dat mutuo, dominium, & consequenter periculum esse penes eum, qui rem accipit.

§. XXI. Ex natura hujus contractus manifestum est, de-

(a) *Nihil alienare mutuantem ait Salmasius: in genere, inquit, suam retinet portionem. Quasi vero cum umbris ontolongiæ contrahant homines, non cum rebus. Atqui accidit id sæpe superiori ætate, cum tota philosophia abstractis imaginibus concluderetur, ut titivilitia gravissimas res corrumperent, facerentque philosophos vel idiotis deridiculos, grammaticos omnibus.*

debitorem obligatum esse ad tantundem, non modo ratione quantitatis, sed etiam qualitatis, reddendum. Quæsitum est, si pecunia mutuo data fuerit, ejusque valor postea vel auctus sit, vel imminutus, in ea restituenda cujus temporis ratio esset habenda, ejus ne, in quo est credita, an ejus in quo restituitur? Et temporis ejus, in quo pecunia accepta est, rationem habendam esse pronunciat Grotius, eumque viri plures docti sectantur. Sed id difficultate non vacat; quia nimirum qui accepit se obligavit ex natura hujus contractus ad tantundem restituendum pretio, non quantitate naturali. Quare posteriorem opinionem æquiorem putaverim (*b*).

§. XXII. Cum mutuum instituatur in eorum commodum & utilitatem, qui accipiunt, dubitari non potest, esse contractum gratuitum ex jure humanitatis & beneficentiæ proficiscentem. Sed observatum est superius, & alios contractus ex eadem beneficentia natos, refrigescente paullatim caritate, onerosos evasisse, idque certis in casibus jure fieri. Ita de mutuo quoque factum est, ut plerumque ultra sortem creditor aliquid sibi stipularetur, propter commodum, quod mutuatario præstat: hoc usuræ nomine venit. Celeberrima jampridem agitatur quæstio, an lex naturæ hujusmodi usuras omnes vetet, ac semper? Tum an saltem eas usuras vetet jus divinum positivum? Ingens super ea re volumen paucis ab hinc annis edidit Broedersen Parochus Delphensis. Sub idem tempus Italica lingua doctum & eruditum opus procudit Maffei Veronensis, quod inscripsit *Dell' impiego del danaro*. Auctores ejuscemodi post Grotium Commentariis in Lucam cap. VI. Salmasium de usuris, Pufendorff. aliosque, id ex instituto agunt, ut probent, non omnes usuras esse prohibitas, sed eas tantum, quæ aut nimis exuberantes sunt, aut extorquentur a pauperibus. Cum occasione operis Maffejani Pater Concina doctus Domi-

(a) *Imo ab omni exceptione immunem: nam accessiones domini sunt. Statutum vero est, proprietatem pecuniæ mutuæ penes mutuatarium esse.*

minicanus, opinionem hanc exagitasset, & opus Maffei confutare adgressus esset, exortique essent rumores haud spernendi; Benedictus XIV. Pontifex Maximus docta atque accurata sua decretali Epistola ad Episcopos Italiæ data ita rem composuit, ut negaret *ex mutuo vi mutui* ullas accipi posse usuras, quod is contractus suapte natura gratuitus sit, ac propterea perfectam æqualitatem inter datum & acceptum exigat: concederet vero posse accipi ratione aliorum *contractuum* aut *titulorum* cum mutuo conjunctorum, modo ne fictitiorum (*a*).

§. XXIII. Nos rem sequentibus propositionibus explicabimus.

Propositio I. Pecunia est in commercio, ut res ceteræ in usum humanæ vitæ factæ, ideoque negotiatione frugifera est. Est hæc propositio propter continuata commerciorum experimenta tam perspicua, ut mirum sit Aristotelem (siquidem ejus mentem tenemus) pecuniam sterilem vocare potuisse. Scilicet pecunia physice quidem sterilis est, idest nullos fructus naturales progignit; at civiliter fœcunda est, progignitque fructus uberrimos, seu potius instrumentum est uberrimorum fructuum & commodorum.

Propositio II. Commodum omne pretium suum habet: nam pretium & est commodum, & a commodo. Scilicet eas res, quæ nullam nobis utilitatem, nullum commodum præstant, nihili æstimamus: parvifacimus quæ parvam utilitatem afferunt: plurimi, quæ multam. Hinc quod dicitur *pretium*: quid enim hoc vocabulo volumus significare, nisi æstimationem? Qua ex re fit, ut omnis res, opera, actio, quæ alteri commodum præstat, pretio, idest æstimatione, sit digna.

Propositio III. Jus naturæ non prohibet usuras ex pecunia mutua, quæ negotiationi data frugifera est, modo non exigatur vi mutui. Id agnoscunt leges omnes, quæ concedunt usuras accipi posse ex aliis contractibus negotiosis, aut aliis titulis cum mutuo con-

(a) *Si negotiationi des: aut si tum, cum emere aliquid paratus eras, emptionemque, quo mutuum dares, abstinuisti.*

junctis. Revera id nec vetat amor justitiæ, nec beneficentiæ. Principio, qui ex negotiosa pecunia aliquid sibi stipulatur, nullo modo alium lædit, qui lubentissime partem lucri, quod ex aliena pecunia comparat, alteri est concessurus. Deinde quid vetat de accessionibur patrimonii nostri aliquid alteri promittere, qui nos ad eas faciendas quocunque modo juvat? Quod si libentissime promittimus, alter sine ulla injuria accipere potest, modo ne confictis titulis res tota peragatur. Tum nec contra beneficentiam est, quæ spectat egenos, qui sumptam pecuniam non negotiantur, sed in privatos usus consumunt, & quibus mutuum præstare lege beneficentiæ tenemur, non eos, qui novis accessionibus ditari volunt. Quæ enim ratio nos cogere potest, ut benefici simus iis, qui nostris beneficiis non indigent (a)? Quod si beneficentia non poscit, ut non indigis benefaciamus, ne mutuum quidem beneficentiæ erit quæ ei ad negotiationem pecunia præstatur, nec proinde ab eo acceptæ usuræ vi mutui accipientur. Nam hoc *vis mutui*, & *mutuum qua mutuum* nihil aliud significat, nisi eas præstationes, quas alteri vi humanitatis & beneficentiæ debemus. Quando igitur tales obveniunt casus, in quibus hos beneficentiæ actus tribuere alteri debeamus, id *mutuum est qua mutuum*, quod in alium contractum convertere non licet, nec proinde usuras ex eo ullas aut pacisci, aut accipere.

Propositio IV. Jus naturæ prohibet usuras ex pecunia mutuo data ei, in cujus manibus non est frugifera,

(a) *Quique, ut Homeri verbis utar,*

. . . . αλλοτριον βιοτον νηποινον

ηδεσιν? quæ aliorum vitæ sustentandæ destinata sunt cibaria impune comedunt? Μνηστηρες proci *non privatarum familiarum, sed urbium, ut infinito sunt hodie numero. Quibus hæc posita esse debet lex*, aut parce, fodes, aut indura, aut da, ut detur. *Nec tamen quis putet, me avaris, qui mortalibus excarnificandis, velut anthropophagi, nati sunt, quidquam concedere: quorum ego fœnora velut impia exhorreo. Sed artibus, & industriæ hominum, ac commercio concedendum est aliquid, quando ad hæc* tempora, quibus, *ut ait ille*, nec vitia nostra, nec remedia, pati possumus, perventum est.

ra, ideſt data pauperi, qui in uſum vitæ ſtatim eſt elargiturus, etiamſi fictus negotiationis titulus affigatur. Primum id eſſet exigere uſuras ex mutuo ipſius mutui vi, ideſt beneficium converteretur in contractum minime gratuitum, quod contra naturam eſt. Deinde uſuræ illæ ex alterius patrimonio acciperentur, non ex fructibus pecuniæ; adeoque alterius patrimonium deterius efficerent; quod eſt contra jus naturæ perfectum, ut adeo, qui tales uſuras accipiunt, obligentur ad reſtitutionem (*a*).

Propoſitio V. Scriptura Sacra aperte prohibet uſuras, ſaltem in ſenſu ſuperioris propoſitionis, ideſt quæ ex mutuo vi mutui, ſeu ex beneficio exiguntur. Nam Exod. XXII. v. 25. aperte ſcriptum eſt: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Similia leguntur Levitici XXV. v. 36. & 37. Deuter. XXIII. v. 19. & 20. David quoque in Pſalmis beatum prædicat eum, *qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*. Nec dicat quiſpiam hujuſmodi leges ſpectare Rempublicam Hebræorum, atque tempus ejus Reipublicæ, quemadmodum leges omnes civiles: non enim aut cæremonias ſpectant, aut formas judiciorum, quæ tantum leges cum Republica Hebraica & Sinagoga ſepultæ ſunt; ſed mores, quæ leges æternæ eſſe debent. Præterea Lucæ VI. verſ. 35. legitur, *mutuum date, nihil inde ſperantes*. Nam quanquam Textus Græcus, atque ſuperiorum ſententiarum contextus videantur non loqui ſingulariter de uſuris, ſed generatim de omnibus officiis beneficentiæ, quæ præſtanda

 ſunt

(a) *Quid, inquit aliquis, licebit eodem in caſu* lucrum ceſſans, *aut* damnum emergens *excipere, ac in tantundem ſibi cavere? Nulla controverſia. Nec tamen ego* uſuræ *nomine id appello. Aliud eſt, quo re mea utare, uſuræ pretium ſolvere: aliud me indemnem ſervare. Ajunt hoc rigore refrigerari commercia. Ajo. Qua, peto, ex cauſa? Nempe quia una negotiatoribus lex, ſua utilitas: nihil penſi ducunt, quo loco res ſtet publica. Eo credo factum, cur Plato Civitatem procul a mari condi voluerit, ne videlicet commerciis fœdarentur mores. Minus auri, argentique, & gemmarum, rerumque aliarum, quæ ad nos effeminandos pertinent plus virtutis.*

ſunt illis etiam, a quibus *mutuum*, ideſt paria & reciproca officia expectare nequeamus; tamen Patrum omnium veterum conſenſus efficit, ut de uſuris ſit locus iſte interpretandus, præſertim quum inter cetera beneficentiæ officia, & mutuum locum habet (*a*).

§. XXIV. Quæſitum eſt hoc in loco, utrum uſuræ ex pecunia mutua, quas exigere ſolent *Montes*, qui *pietatis* dicuntur, ſint licitæ? Uſus horum *Montium*, ut appellantur, cœpit in Italia ſub initium ſæculi XVI. aut XV. exeunte, nec cœpit ſine graviſſimis Theologorum ejus temporis querelis. In primis Card. Cajetanus doctum ſuper ea re opuſculum evulgavit, in quo hujuſmodi uſuras improbat. Idem fecere alii graviſſimi Theologi, donec Leo X. P. M. an. MDCXV. in Synodo Lateranenſi hujuſmodi uſuras hac lege probavit, ut moderatæ eſſent, & quatenus inſervirent locorum adminiſtris alendis. Nec eas improbare poſſumus, dum binas iſtas conditiones habeant, ut & moderatæ ſint, & exigantur titulo adminiſtrationis, ſeu ſubſtentationis miniſtrorum: adde tertiam, pro commodo nempe, quod præſtant, modo ei commodo ſint proportionales, ideſt in ratione eorum pecuniæ fructuum, qui pro datis temporibus obtinent. Sed quoniam tres hujuſmodi conditiones in majori horum locorum parte hodie deſunt; nam & immoderatæ uſuræ exiguntur, majores ſcilicet præſentibus pecuniæ fructibus; & hujuſmodi loca in immenſum divitiis aucta ſunt, ut non egeant uſurarum pro alendis adminiſtris; non

(a) *Sed illa lex Exodi duplicem videtur habere exceptionem: alteram ex* τῷ pauperi*: licet ergo, dicet quiſpiam, a non paupere. Alteram ex* τῷ fratri*; ergo licet ab alienigena. Hæc poſterior diſerte extat* Deuteronom. XXIII. 20. fœneraberis alienigenæ. *De priori vide quæ adnotat Clericus in eum Exodi locum. Quem vero ego dicam pauperem, libro* I. *cap. ultimo demonſtravi; eum nimirum, qui a natura indiget, non a luxu. Ab ejuſcemodi paupere nihil licere accipere ajo. Hanc propoſitionem videri arduam ſcio iis, quibus & naturæ humanæ jura ignota ſunt, & lex evangelica contemtui. Mihi certum decretumque eſt, hoc eſſe viri boni & honeſti officium. Lex quidem civilis eas præſtat. Sed ſæpe dictum, dicendumque ſæpius, longius ire oportere honeſtatem rationis & intelligentiæ, quam quod civilibus ſanctionibus cavetur.*

non video, qui consentire possint cum Jure Naturæ, atque Legibus Evangelicis. Certe nisi æquioribus conditionibus exigantur, difficile est illas a turpissimo fœnoris crimine defendere.

§. XXV. Jam & illud quæri potest, quibus modis a pactorum obligationibus honeste solvi possimus. Pactorum omnium, contractuum & conventionum finis una est fides, idest promissorum, conventorumque constantia & impletio. Quum hæc facta est, simul pactis satisfactum est. Hinc illud Jurisconsultorum *facta solutione cessat omnis obligatio*. Intelligitur autem fieri solutionem, si integre fiat, si personæ cui debemus, aut alteri ex consensu principalis, si cum omnibus circumstantiis pacto adnexis. Atque hic est primus modus, quo obligationes ex contractibus & pactis naturaliter cessant.

§. XXVI. Alter modus est compensatio. Si is, cui debeo, undecumque tandem tantundem acceperit, cessat in me obligatio solvendi, nisi forte pretium affectionis supersit. Non intelligitur autem facta compensatio, si quis alteri invito velut in solutum obtrudat, quod ei a tertio debetur: juris enim mei nemo, me invito, permutator esse potest: est enim is actus dominii.

§. XXVII. Tertius modus est condonatio, quum is, cui debeo, jure suo ultro se abdicat. Parum autem refert, verbis ne, an factis, veluti redditione, vel laceratione chirographi, aliisque, mentem suam exprimat creditor: modo tamen hæc laceratio non fiat veluti per furorem, aut animo novas tabulas scribendi.

§. XXVIII. Quartus modus est mutuus dissensus: quandoquidem nihil tam est naturale, quam ut eodem modo quidque dissolvatur, quo colligatum est (a). Intelligitur autem hoc, modo ne aut rei natura, aut publica utilitas, aut tertii jus huic dissensui obstent. Itaque matrimonium, quoniam ex natura sua individuam vitæ conjunctionem spectat, ad prolis procreationem & educationem, ac jura quoque natorum comple-

Y. 3

(a) *Lege XXXV. Dig. de Regulis juris.*

plectitur, quanquam mutuo consensu contractum, non potest tamen, quum consumatum est, solo mutuo dissensu dissolvi.

§. XXIX. Quaeritur, utrum alterius perfidia mihi jus det discedendi a pacto? Dubitari nequit: pacta enim mutuo consensu stant: itaque altera parte diffidente, liber sum. Perfidus tamen, si alter pacto non renunciaverit, adhuc obligatus remanet; quia generatim nequeunt pacta dissolvi unius tantum partis dissensu: nemo mei suique juris dominus esse potest.

§. XXX. Praeterea si tempus constitutum praeterierit, aut appositae conditiones deficiant, aut alter paciscentium moriatur, solutum est pactum; nisi ita conventum fuerit, ut in rebus esset, & ad posteros obligatio demandaretur. Quae omnia sunt per se manifesta.

§. XXXI. Ad haec, mutato rerum statu, in quo pactum inaedificatum fuerat, aut re, de qua pactum initum erat, pereunte, pacti quoque obligatio cessat: stare enim nequit pactum, pacti fundamento destructo. Atque hi ferme sunt modi omnes naturales, quibus obligatio ex pactis cessat. Modos vero civiles alios Jurisconsulti docebunt.

CAPUT XI.

De Officiis adversus alios, quae imperfecta dici solent.

§. I. Officia juris perfecti, ut vocantur, duobus illis regulis continentur, *Neminem laede: Suum cuique jus tribue, ac integrum servato*. Ad ea jure stricto & perfecto obligamur, ut si violaverimus, eodem jure stricto damnum resarcire teneamur. Ea qui observaverit, *justus dicitur*: neque enim ultra ea quidquam aliud adversus alios nobis justitia praecipit. Sed nondum tamen ad plenam honestatem pervenit, neque dum plene vir bonus & socialis est. *Quantillum est*, inquit eleganter Seneca, *alterum non laedere, cui prodesse debeas?* Itaque ad plenam honestatem efficiendam & hoc quoque necessarium est, ut & amice cum aliis

aliis vivamus, & humani, atque liberales & benefici simus. De his ergo adversus alios officiis nunc disputaturi sumus.

§. II. Dicuntur autem officia hæc *imperfecta*, non quod eorum omissio, quum adest occasio ea tribuendi, naturæ morali & rationali non imputentur, sed quod ad ea præstanda non possimus a quoquam jure stricto cogi, quemadmodum ad priora; sed jure humanitatis tantum & caritatis impellamur. Præterea perfectorum officiorum violatio ad damni reparationem nos obligat, non item posteriorum (*a*). Sed tanto est turpius posteriora non præstare, quum possumus, & occasio adest, quanto minus illa juri coactionis subsunt. Itaque quum in præstatione priorum officiorum homo dicatur justus, quia alterius jus non violavit; ob præstationem posteriorum bonus & honestus dicitur, quia aliis quocunque modo potest, prodesse studet, solo generis amore impulsus.

§. III. Officiorum juris imperfecti regula fundamentalis est, *quodcunque ab aliis tibi fieri vis, id tu aliis facito* (*b*). Quumque ea, quæ nobis ab aliis fieri volumus, duorum sint generum, *humanitatis* scilicet, seu *innoxiæ utilitatis*, cum sine ullo facientis detrimento nobis succurritur; & *liberalitatis*, cum aliquo benefacientis detrimento nostra fit utilitas; utrumque aliis præstare debemus, si gloriari velimus, nos esse homines, nihilque a nobis humani alienum esse, ac si miseriam cavere, quæ, ut alias dictum est, perpetuo & naturaliter stultitiam & improbitatem comitatur: siquidem ita natura comparatum est, ut nemo cum tru-

(a) *In foro, ajunt, nec* externo, *nec* interno. Ego *haud nihil ambigam: est enim inter homines naturalis quædam cognatio: ad animum quod spectat, quid interest, hominem protensa manu perdideris, an complicata? Mihi igitur illud verius videtur, & inhumanitatem ad injustitiam pertinere, si humanus quis & liberalis esse potuit & debuit. Id Evangelica lex firmat, divina ac veneranda, quæ æternis pœnis non homicidas modo destinat, latrones, patriæ proditores, reliquosque impios ac iniquos, sed immisericordes quoque, ac inhumanos, Matth.* XXIV.

(b) *Vide interim ut hæc constituimus lib.* I. *cap. ult.*

culento ac immiſericordi humanus ac miſericors eſſe amet. Hanc doctrinam omnia principia legis naturalis ſuadent. Principio, Deus ad colendam ſocietatem, mutuam concordiam, amorem, benevolentiam, naturæ ipſius voce nos exhortatur: nam cognationem inter nos naturalem conſtituit, neminemque ita prævalentem procreat, ut non altero indigeat ſæpe: ſimilitudo autem naturæ, naturaliſque cognatio, quæ inter omnes eſt homines, ac communis omnium imbecillitas & indigentia mutuam amicitiam expoſtulant. Tum tranquillitatis & utilitatis noſtræ cauſſa hæc officia aliis præſtanda ſunt: nam, iis denegatis, cognatio illa ac ſocietas humani generis diſtrahitur; & ipſi, qui nullo amoris vinculo cum aliis conjungimur, nec tutam, nec tranquillam vitam agere poſſumus. Qui enim ſperare poſſumus alios futuros nobiſcum beneficos, qui cum omnibus inhumani ſimus (*a*)?

§. IV. Præterea id abhorret non a natura tantum humana, ſed belluina quoque, nullo beneficio inter ſe homines devinciri, quum videamus mutuam ſibi opem in periculis feras etiam præſtare. Turpiſſimum autem eſt, & contra naturam ipſam, homines ad nobiliorem ſocietatem genitos ipſis eſſe animantibus brutis efferatiores. Quamobrem ut nihil eſt, quod magis homines efficiat illuſtres, & per omnia ora celeberrimos,

(a) *Ajunt, homines ſola ſui utilitate capi: ea metiri amicitias. Quam ubi nullam proſpiciunt, tametſi ingentibus ab aliis beneficiis affecti, nihilo tamen minus in illos ingrati erunt. Nemo, ut dici ſolet, occidentem ſolem colit. Quæ ſtulta ſunt, atque a veris noſtris utilitatibus aliena multo. Non enim tam reputandum eſt, quid ab eo, qui miſer eſt, ſperare poſſis, quam quo animo, quove ſenſu alii ejuſcemodi animi crudelitates ſpectent, quove in gradu apud reliquos homines is futurus ſit, cujus perſpecta ſit mentis crudelitas. Itaque tametſi concedamus (quod concedi nullo modo poteſt) ſola utilitate honeſtatem metiendam; tamen ii, qui cum miſeris, a quibus nihil ſibi promittere poſſunt, crude agunt, ſatis rerum humanarum indocti ſunt, neque integras vitæ humanæ rationes computare inſtituti. Quo in loco occurrit animo præclarum Platonis dictum, ac divinum.* Ἀλήθεια, *inquit,* πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δ' ἀνθρώποις, veritas & diis, & hominibus omnium eſt bonorum dux. v. *de Leg. p.* 605. *At veritas computatione calculoque elicitur.*

mos, quam humanitas, & beneficentia, ut recte Cicero gloriam definiverit *famam meritorum in patriam, & genus humanum*; ita nihil, quod magis dehonestet efficiatque execrabiles, quam truculentia, morum ferocitas, avaritia, & odium in genus cognatum. Itaque barbarus sit oportet, & feris animantibus, quam hominibus, similior, qui aliis officia utilitatis innoxiæ deneget, ideſt, qui sine suo detrimento, quum id facere poteſt, alterum, vi, aut consilio non juvet, ejus res non servet pro virili portione, errantem non revocet in viam, sitienti aquam profluentem, algenti ignem, peregrino hospitium neget, aut similia detrectet, quæ aliis prosunt, nobis vero non admodum detrimento sunt.

§. V. Præclara sunt, quæ super ea re veteres sapientes scripsere. Cicero in 1. de offic. cap. 7. utraque humanitatis & liberalitatis officia accurate ex natura ipsa humana ducit: *Sed quoniam*, inquit, *ut præclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri patria vindicat partem, partem parentes, partem amici; atque, ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum caussa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possint; in hoc debemus naturam ducem sequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter se societatem*. Ex iisdem principiis ratiocinantur alii Philosophi antiqui. Philo Judæus in Libro *Quod Deus sit immutabilis*: *Abominandi*, inquit, *sunt homines, qui propriam tantum utilitatem captant, contemtis ceteris, tanquam sibi solis nati, non item innumeris aliis, patri, matri, uxori, liberis, humano denique generi*. Eamdem rationem urget Marcus Antoninus Lib. III. §. 4. *Cognatum est*, inquit, *rationale omne, & naturæ ipsius humanæ ratio ab unoquoque hoc exigit, ut quorumvis hominum curam habeat*. Seneca quoque quum alibi, tum præsertim epistola LXXXXV. ad Lucil. *Membra*, inquit, *sumus unius corporis magni*. Sed illud imprimis egregium, quod societatem humanam lapidum forni-

ca-

cationi simillimam dicit, *quæ casura, nisi lapides invicem obstarent, hoc ipso sustinetur*.

§. VI. Jam vero dubitare non possumus, quin hoc ipsum præcipuum sit divinæ nostræ Philosophiæ dogma. Proximum enim nostrum sicut nos ipsos amare oportere Christianæ Religionis Libri docent. Dicitur in iis *ex amore Dei & proximi universam legem pendere*. Paullus caritatem vocat, *complementum legis*, & *summam legis*. Eam præfert etiam Fidei, & Spei, quum horum trium caritatem majus vocat. Alibi idem Apostolus scribit, hominem sine caritate, etiamsi tantam habeat fidem, ut montes transferat, esse nihili, esse sicut *æs tinniens*. Addit præterea omnes alias virtutes & corporis castigationes, etiamsi, quis se injiciat in ignem, sine caritate nihil valere. Scribens ad Colossenses cap. III. v. 14. postquam enumerasset pleraque alia officia hominis Christiani, concludit, *super omnia caritatem habete*. Totus quoque in ea doctrina prædicanda est Johannes in epistolis suis: ejus prædicationis perpetuum thema est, *diligite alter alterum filioli*: nam qui diligit legem implevit. Brevi, tota lex Christiana nihil est aliud, nisi caritas. Qua igitur fronte ii Christianos se esse profitentur, quibus vel hoc vocabulum *caritas*, antiquatum est & frigidum? Eo videlicet luxus, avaritia, cupiditas, ambitio, aliæque sæculi fœditates perduxere! Quid interest, lege super ceteros mortales gloriari, vitam agitare belluinam? O tempora! o mores!

§. VII. Quo autem hoc efficere possimus, danda est opera, ut animum nostrum, corpus, atque alia bona ita excolamus, ut aliorum commoda facere possimus: velut si ingenii solertia talia reperiamus, quibus vita humana reddatur instructior, quum in literis & artibus, tum in iis omnibus, quibus ad commode & pacate vivendum indigemus: aut saltem si mercaturis, aut aliis modis publicam felicitatem juvemus. Perspecte Pufendorffius lib. III. de jure natur. & gent. cap. III. §. II. pronunciat, *in legem naturæ peccare eos, qui nulla honesta arte se excolunt, sibique ignavi, aliis graves, animam pro sale habent, ne putrescant, aliorum*

rum fruges consumere nati. Vide eumdem de offic. Hominis, & Civis lib. I. cap. VIII. §. II. ibique Everardum Ottonem.

§. VIII. Sapienter ignavis & inutilibus hominibus extirpandis e Civitate apud Ægyptios quondam cautum erat, ut omnes nomen suum apud Magistratum profiterentur, una indicantes quo proventu, & vitæ genere victum sibi quisque compararet. Voluntarii mendici, aut injustum quæstum agitantes, mortis pœna puniebantur. Vide Diodorum Siculum lib. I. cap. LXVII. Similem legem apud Sardos recitat Ælianus lib. IV. histor. var. cap. I. Apud Massilienses mendicis, qui vitam inertem mendicando agebant, portæ claudebantur, ut tradit Valerius Maximus lib. II. cap. VI. Recenti memoria gravissimæ leges in mendicos & vagos tota Europa latæ sunt. Sed id desiderandum esset, ut quoniam nec possumus, nec, si possimus, fas est, eos e Tellure ejicere, qui nihil habent, quo vivant; qua cura qui mendicam vitam agitant e sapientibus Rebuspublicis ejiciuntur, eadem ad artes & commercia adhiberentur: inutiles enim futuræ sunt omnes ejuscemodi leges, nisi prospiciatur accurate, quo genere vitæ hujusmodi mendici & vagi sibi ac societati esse possint utiles, atque in eo genere subigantur (a).

§. IX. Contra vero apud easdem veteres nationes ce-

(a) *Sunt homines perpetuo sæpe infantes, ut manu potius, quam præceptis regi velint. Illud pejus, quod ne præceptis quidem rite instituuntur. Cui enim usui leges, quæ & gubernare omnes debent, & notæ non sunt nisi paucis? Judæi ad hoc in primis Sabbathum segregaverant: legis studio docti, indoctique, nobiles, plebei, operam dabant; eoque, ut ait Josephus, tamdiu incolumis stetit Resp. Nobis leges aut Græcæ Latinæque, ac doctæ: aut doctorum occupatio. Reliquum hominum genus ut extra litterariam Remp. ita sibi & naturæ relicti. Jura sua ignorant, nisi quatenus sensu persentiscant, aut manu teneant. Ego ita prædicatores civilium quoque legum esse velim, ut Christiani rudimenti: nam utrumque ad Deum auctorem referri debet. Quæ stultitia, rem omnibus destinatam regendis, privatam putare, intraque eruditos parietes claudere? Inde illam scelerum flagitiorumque segetem, quæ non jure lamentamur: siquidem ego homines non tam pravos scelestosque, quam utilitatum suarum ignorantes crediderim, eoque improbos.*

celebratissimi semper fuere, qui utilia vitæ humanæ per solertiam excogitarunt, quique non sibi tantum retinuerunt, sed cum aliis communicaverunt, ac Deorum concilio adscripti fuerunt; quia scilicet utilibus inventis, aut salutaribus institutis vitam humanam reddiderunt instructiorem, & feliciorem. Vide Ciceronem in I. de nat. Deor. Virgilius in VI. Æneidos Libro ex eadem persuasione iis apud Elysios locum fecit peculiarem,

Inventas qui vitam excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecere merendo.

Hujus humanitatis cum liberalitate conjunctæ egregia quædam antiquorum instituta leguntur. Plutarchus in quæst. Symposiacis lib. VII. quæst. 4. quærit, cur antiqui Romani aliquid in mensa semper reliquerint, neque lampades extinxerint? Atque inter præcipuas rationes hanc promit, ut nempe humanitati & beneficentiæ assuescerent (*a*): super qua re deinceps præclara quædam commentatur. Inter Pythagoræ præcepta exstat illud, *arborem fructiferam neque corrumpendam, neque violandam*, ne scilicet commodum aliorum, quod inde nasci potest, præcludatur. Errant nempe qui censent, jure suo res, quæ utiles aliis esse possunt, sibi vero inutiles sunt, quum in proprio dominio sunt constitutæ, odio generis corrumpere posse; quasi Natura res utilitati tantum nostræ progignat. Platonis lex est lib. VIII. de legib., *nec spicilegium in messe, nec racemationem in vindemia faciendam*, quo scilicet habeant pauperes cives unde paupertati suæ succurrant. Eadem lex data fuit Hebræis, quemadmodum legitur Levit. cap. XIX. v. 9. & cap. XXIII. v. 32. & Deuteronom. cap. XXIV. v. 19.

§. X.

(a) *Inde Lacedæmone & Athenis stata ac religione consecrata symposia, quas* ὁμιλίας *quasi conversationes vocabant; quasque & probat Plato in sua Rep. & sancit. Idem Minois lege sancitum Cretæ. Apud primos Christianos eodem spectabant* ἀγάπαι, amoris *jucundiori nomine junctæ, divinæque originis. Quæ omnia sancte instituta celebrataque, luxus, avaritia, imperii ambitio funditus abolevere.*

§. X. Ceterum si officia humanitatis nobis noxia sint futura, aut nostris cognatis, amicis, civibus: aut si pluribus noxia, uni tantum utilia: aut cuicumque tandem noxia, ea præstanda non sunt; veluti peste laborantem admittere in Civitatem, ne pereat: labori natos, ac aptos, pascere, revocareque ab artibus: nutrire peregrinos, liberos vero cognatosque spoliare &c. nec, si præstentur, beneficia, sed maleficia appellanda sunt. Nam principio nemo tenetur alium amare cum sui ipsius pernicie. Deinde nemo tenetur amare extraneum plus quam civem, aut cognatum. Tandem non licet alterum odisse, ut alterum ames. Non nego, quando de rebus nostris agitur, quandoque omnium virtutum heroicarum maximam esse, alterius vitam, aut commoda, vitæ & utilitatibus nostris præferre. Sed nulla naturæ lege, nullo jure nec perfecto, nec imperfecto ad id obligamur, nisi fortasse quum de totius Reipublicæ salute agitur; quo in casu potius est ut pars, quam ut totum intereat; siquidem ea magna sapientia, prospicere civitatis potius utilitati, & incolumitati, ex qua singulorum incolumitas pendet, quam privatæ, quæ totam civitatem servare nequit (*a*). Hinc intelligitur, licere dedere civem innocentem, ne tota civitas pereat; quia scilicet is civis ipse se tradere debebat, si civis officia omnia implere volebat; quod quum neglexit, dignus evasit, qui traderetur.

§. XI. Atque hinc sequitur in bello ex parte nostra justo licere officia innoxiæ etiam utilitatis hostibus denegare, si ea præstita validiores efficiant ad nos lædendum. Itaque prohibere ab aquatione, corrumpere commeatus, pabulum, aut alias commoditates intervertere, si id fiat, ut hostes debellentur in bello justo, licitum est. Vide Grotium lib. II. de jur. Bell. & Pac. cap. 2.

(a) *Pericles apud Thucyd. II. 60.* Εγω γαρ ἡγουμαι πολιν πλεω ξυμπασαν ορθουμενην ωφελειν τους ιδιωτας, η καθ' ἑκαστον των πολιτων ευπραγουσαν, αθροαν δε σφαλλομενην. 1. Ego enim existimo, civitatem, cujus universus status manet erectus, majorem utilitatem privatis hominibus afferre, quam si singulorum civium felicitate privatim floreat, ipsa vero universa jaceat afflicta. *Quis vero non ita existimet?*

cap. 2. In his enim casibus denegationes hujusmodi officiorum spectandæ sunt velut media, & arma, quibus nos adversus hostes defendamus, aut velut punitiones injusti alterius belli. Quod si ea officia præstita minime sint nobis nocitura, tum insignis esset inhumanitas denegare.

§. XII. Hoc ipsum tenendum est ubi humanitas, & beneficentia illi ipsi, cui in præsens placet, postea non leve damnum sit allatura, veluti pectore laboranti frigidam ministrare, quæ inde ei sit nocitura, aut solidum cibum febricitanti. Ratio semper eadem est, quod scilicet nemini malum faciendum est sub quocumque boni prætextu. Atque id etiam in officiis justitiæ obtinet: alteri enim jus suum tribuendum non est tum, cum damno esse potest. E. g. non est reddendum domino depositum, si redditum ei nociturum sit. Vide ut hunc locum copiose pertractat Cicero in III. de offic.

§. XIII. Præterea officia humanitatis (idem de liberalitate dictum esto) ordinem quemdam requirunt, ut quum omnibus præstari nequeunt, iis primum præstentur, qui nobis sunt aut natura, aut loco conjunctiores. Primum parentibus, filiis, aliisque sanguine cognatis: deinde amicis interioribus: tertio popularibus nostris: tandem reliquis, si iis locus sit ullus. Qui sine ulla ratione hunc ordinem turbat, stulte adversus præceptum amicitiæ peccat. Præscripsere hæc veteres in *carmine aureo*, quod Pythagoræ tribuitur, apud Stanlejum in histor. Philosophiæ part. VIII. cap. IV.

Primum immortales Divos pro lege colunto,
Et jusjurandum; Heroas clarum genus inde:
Dæmones hinc terris mixti sua jura ferunto:
Inde parentis honos sequitor: tum sanguinis ordo:
Post alii sunto, virtus ut maxima, amici.

§. XIV. Jam quum officia humanitatis non debeantur aliis ob ulla illorum erga nos merita, sed tantum ob naturæ æqualitatem, ac propterea ob naturalem omnium cum omnibus societatem & cognationem, qua fit; ut alios non minus, quam nos ipsos amare oporteat; inde sequitur iis etiam tribuenda esse, aut qui nullo modo essent paria relaturi, aut qui nos odio ha-

habent, modo ne inimicum nostrum adversus nos potentiorem efficiant, aut arment. Cavendum igitur est, ne in hujusmodi rebus non secundum rationem ac naturalem honestatem, sed secundum affectus judicemus. Præcise hanc doctrinam præcipit divinus noster Legislator Matthæi V. & Lucæ VI. Sed Philosophi ipsi id cognoverunt. Extat præclarus Hieroclis locus: *unde fit*, inquit, *ut recte dicatur, virum bonum odisse neminem, solumque bonum & amicum existere. Quum enim bonum diligit, non eum, qui malus sit, putat inimicum. Sin autem virtute præditum quærit ad societatem, ex omnibus eum diligit, qui probus sit. Atque in amicitiæ legibus Deum ipsum imitatur, qui nullum quidem solet odisse, sed eum potissimum, qui bonus est, amplecti, & diligere*; Dignum Christiano homine judicium! Sed pervulgata erat hæc apud veteres sententia, *totam Philosophiam esse imitationem Dei*, atque principium virtutum omnium esse hoc, *Deum imitator, & sequitor*. Vide ut hæc explicat Samuel de Coccei in Introductione ad Grotium Differt. XII.

§. XV. Accedit, quod multæ sunt utilitates, quæ ex ipsis inimicis nostris capi possunt: quo in argumento luculenter versati sunt Aristoteles *ad Nicomachum lib.* VIII. Plutarchus *de Utilitate ex inimicis haurienda*, & Cardanus in egregio opere *de Utilitate ex adversis capienda lib. III. cap.* 13. Ego paucas attingam. Principio observandum est, neminem in societate Civili sine inimicis esse posse, non magis quam sine amicis; nisi fortasse qui adeo abjectus sit & ignotus, ut misericordiæ potius, & contemtus, quam æmulationis, invidentiæ, odii objectum sit. Nam homines, præsertim illustres, si boni fuerint, necesse est ut omnes malos habeant inimicos, quod gloriosum est inimicitiæ genus: si vero fuerint mali, æquum est, ut aversos habeant omnes bonos.

§. XVI. Deinde inimici necessarii sunt ad virum bonum ac illustrem efficiendum: stimulos enim adjiciunt virtuti, atque animi aciem intendunt: *marcet sine adversario virtus*, inquit eleganter Seneca. Ac vero quis sine lucta corpus ad labores induruit? Quis animum

mum ad ſcientiam & virtutem ſine contentione exercuit? Itaque inimici noſtri, ſi ſapimus, pædagogi noſtri eſſe poſſunt, tanto utiliores, quanto minus adulari parati. Experientia docuit adverſarios illuſtrem eſſe magnorum virorum ſcholam: quietem vero & perpetuam felicitatem homines etiam virtuoſos corrumpere. Tertio, inimicitiæ hoc quoque viris bonis utilitatis afferunt, ut iis omnes virtutis amicos concilient, omneſque adjungant inimicorum ſuorum inimicos. Quarto ſi quis ulciſcendi animum habeat, in promptu eſt illuſtre vindictæ genus, ex inimicorum calumniis aut dicteriis in melius ſemper proficere, atque ſic, quæ ſunt vitia, emendare. Quinto ſi quis gloriam ex virtute quærat, quæ ſola vera gloria eſt, nulla eſt illuſtrior virtus, quam animi manſuetudo, ut non ſolum inimicis generoſe parcamus, verum etiam ut iis liberaliſſime benefaciamus.

§.XVII. Jam tranſeamus ad officia beneficentiæ (a), quæ gradum amicitiæ continent ſublimiorem, quam officia innoxiæ utilitatis. Obligari autem nos ad hæc quoque officia, & natura ipſa humana, & conditio ſocietatis demonſtrat. Primum, quum reciproce homines in hujuſmodi officiorum indigentia reperiantur, aut poſſint reperiri; ſi volunt ea in his caſibus ſibi ab aliis tribui, neceſſe eſt, ut & aliis viciſſim tribuant: reciproca ergo hominum utilitas expoſtulat. Deinde talis eſt ſocietatis natura, ut non poſſit illa eſſe perfecta, & tranquilla, niſi reciprocus ſit bonorum inter omnes influxus, niſi ſcilicet bona omnia & commoditates vitæ, quoad fieri poteſt, cum iis communicentur, qui indigent. Quum vetera occupationum pacta, inæqualia hominum ingenia, aliæque cauſæ inæqualem bonorum poſſeſſionem fecerint; ſtudendum eſt, ut ejuſcemodi largitionibus res quodammodo æquentur, quo minus ſit apud majorem generis partem invidia, eoque tranquillior

(a) *Utraque enimvero beneficia ſunt, eoque vocabulo pertractat Seneca in opere* de beneficiis, *quod haud ſatis laudaverim commendaverimque lectoribus. Sed placuit ſecernere, quo gradus beneficentiæ perſpectos haberemus.*

lior ac dulcior possessio, sine qua, quid aliud sunt fortunæ bona, præterquam perpetui nobiscum atque adversus alios belli cura? Ad hæc, vetus proverbium est, *Amicorum omnia esse debere communia*; oportet autem ut vir bonus in societate exsistens neminem odio habeat, idest ut omnibus sit amicus; ergo adversus omnes beneficus ac liberalis pro ratione graduum amicitiæ.

§. XVIII. Hæc bonorum communicatio *beneficium* appellatur, & studium benefaciendi, *beneficentia*. Quare definiri solet beneficium *res, vel actio alteri profutura, quam ei sine animo restitutionis, aut retributionis præstamus*. Ac dicitur quidem *actio vel res alteri profutura*, ut explicetur essentia ipsa beneficii: nisi enim beneficium alteri prosit, non est beneficium: ut si lædat, maleficium est. Dicitur *sine animo retributionis*, non quidem, ut excludatur spes gratitudinis, sed ut caveatur, ne ea spes præcipua caussa sit beneficii impulsiva, aut ne ea spes in conditionem veniat, sub qua beneficium præstatur. Sunt enim hæc beneficia mercenaria, eaque ad commercium potius pertinent & mercaturam quamdam, quam ad liberalitatem. Vide Senecam lib. 6. de beneficiis cap. 14.

§. XIX. Ut autem beneficentia sit virtus, possitque merito imputari, proficisci debet ex directa voluntate alteri utilitatem deferendi: quæ si desit, aut indirecta tantum sit, beneficium inter virtutes recenseri nequit. E. g. si quis ludens, nolensque mihi benefacere, impellat me ad agrum meum effodiendum, atque in eo thesaurum inveniam, non potest ille pro beneficio mihi facto imputare. Nec beneficium est, si quis me ad dignitatem aliquam (quod est studium Aulæ præcipuum) promoveat, ut locum vacuum ei relinquam ad majorem, quam ille ambit. Minus quoque beneficium est, si quis volens me lædere, magnam mihi afferat utilitatem. Quare Josephi fratres non poterant illi pro beneficio imputare, quod eorum opera ad summam in Ægypto dignitatem evaserat. Elegans est super ea re Phædri Fabella. Mustela ab homine prehensa rogat, ut sibi parcat, quia molestis muribus purget domum. Cui villicus

. . . . . Faceres ſi cauſſa mei,
Gratum eſſet, & dediſſem veniam ſupplici:
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quæ ſint roſuri, ſimul & ipſos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.

§. XX. Jam ut natura beneficii præſtationibus & largitionibus conveniat, prudenter ſapienterque diſpenſandæ ſunt; prodiga enim rerum elargitio ſine diſpectu eorum, quibus præſtantur, ac ſine graduum amicitiæ diſtinctione, beneficium non eſt, ſed ſtulta profuſio. Diſcernendi igitur ſunt in beneficiis tribuendis neceſſarii ab extraneis, intimiores a remotioribus, indigentiores a minus indigentibus, digniores a minus dignis. Itaque ceteris paribus præferendi ſunt neceſſarii extraneis, intimiores minus intimis, indigentiores minus indigentibus, digniores minus dignis, ii qui non ſuo merito miſeria laborant, iis, qui merito ſuo in eum ſtatum prolapſi ſunt. In primis vero toti civitati conſulendum eſt: nam beneficia & iis utilia eſſe debent, quibus præſtantur, & publicis utilitatibus non adverſa. Quare perſpiciendum eſt, ne beneficentia plurimorum alat ignaviam, qua fiat, ut in ſocietate homines nihili, aut ſceleſti multiplicentur cum maxima Reipublicæ pernicie. Quæ benefaciendi prudentia niſi adhibeatur, hujuſmodi largitiones maleficia potius dixerim, quam beneficia. Quocirca ſi vere dictum eſt a Philoſophis, nullam eſſe virtutem ſine prudentia, de beneficentia potiſſimum dicendum eſt (a).

§. XXI. Inter cetera autem liberalitatis officia locum

(a) *Hanc ſi quis in pleriſque publicorum noſtrorum operum deſideret, eum ſapientem habeo: ſæpius eſt naturæ cuidam mollitudini obſecundatum, quam publicis rebus conſultum: ita vix eſt alia in Europa natio, ubi nihili homines, errones, omnique flagitio conſpurcati, plus multiplicati ſint, majuſque & artibus & moribus dehoneſtamentum attulerint. Quos velut examina quædam inſectorum alere pietas, atque amor vocatur: nec intelligitur, nec amorem eſſe, nec pietatem, quæ & eos perdit, quos ad vitia nutrit, & Civitati eſt noxia. Sed, ut ait Plato,* ϛωμασι πολλακις μυριοις λεγειν εναντια, ȣδαμως ευπορον, tot myriadum linguas cohibere, difficillimum.

cum præcipuum ſibi vindicant ea, quæ dicuntur *eleemoſynæ*, ſeu beneficia, quæ ei præſtantur, qui non ſuo merito miſeria laborat, ac propterea commiſeratione nobis cor tangit. Inter hæc hoſpitalitas, ideſt peregrinos & viatores indigentes in domum admittere, menſæque participes efficere, omnium nobiliſſimum eſt, & magis ſecundum finem legum naturalium: finis enim legum naturalium, ut alias dictum, eſt *κοινωνια*, mutua conjunctio & caritas, ex qua tantum ea eſſe poteſt hominum beatitudo, quam in terra habere poſſunt, naturalis, ac civilis. At ex omnibus virtutibus humanis nulla eſt, quæ arctius vinculum, & ſtabilius amicitiæ & caritatis efficit, quam hoſpitalitas, qua velut religione quadam ſibi homines devinciuntur. Vide ut ſuper ea re præclare diſſerit Ariſtoteles lib. 2. magnorum moralium cap. 2. (*a*)

§.XXII. Egregia ſunt judicia & exempla hujus virtutis apud eas nationes, tum antiquas, cum recentes, quæ barbaræ a nobis ſolent appellari. Omnis vetuſtas ethnica credidit, & Deos plerumque peregrinari, & hoſpites omnes eſſe a Jove, ut ex tota Homeri Odyſſea, aliiſque veteribus ſcriptoribus diſcimus. Ex iis principiis ſibi perſuaſerunt, omnium virtutum humanarum hoſpitalitatem præcipue colendam. Ex fragmentis veterum hiſtoriarum Gentilium, atque ex Hiſtoria Moſaica illud etiam diſcimus, homines diluvio Noëtico viciniores nihil tam impenſe coluiſſe, quam hoſpitalitatem: quo vero ab illis temporibus longius diſceſſerunt, & civilius vivere cœperunt, eo magis aucto vitæ luxu, imperii ambitione, aurique cupiditate (*b*),

minus

(a) *Homerus in Odyſſea nullam virtutem ſtudioſius deſcribere ac depingere voluiſſe videtur, quam hoſpitalitatem, eaſque, quæ hoſpitalitatem comitantur. Illud in primis & elegantiæ, & urbanitatis inſigne, quod veteres hoſpitum neminem, qui eſſet, unde veniret, quid peteret, interrogarent, niſi balneo, ac prandio prius recreaſſent.*

(b) *Nam tribus hiſce cauſis totam eam generis humani depravationem attribuerim, quæ excultis, ut vocantur, ſæculis, ſupervenit. Quartam addere poſſis nationum feritatis, inhoſpitalitatis, mutuæ inſectationis, internecioniſque*, religionem, deorumque di-

ver-

minus humanos evasisse. Persæ publica habent hodie constituta hospitia, & passim per totam gentem, in quibus magna caritate viatores excipiuntur, quemadmodum narrant Petrus Vallensis, & Chardinus in Itinerariis Persicis. Relatum est, & in tota Tartaria sæpe viatores sola hospitalitate nutriri.

§. XXIII. Jam vero quidam fuerunt Populi, qui legibus latis hospitalitatem præceperunt, ut peregrinis consulerent. Ælianus lib. 4. historiæ variæ cap. 1. hanc legem Lucanorum recitat, *si sub occasum solis venerit peregrinus, volueritque sub tectum alicujus divertere, & is hominem non susceperit, mulctetur, & pœnas luat.* De antiquis Slavis Hermoldus in Chronico Slavorum lib. 1. cap. 82. profert eorum hanc legem, ut *si quis peregrinum hospitio non excepisset, sed ejecisset, ejus domum vel facultates incendio consumere liceret.* Et jure quidem Populi isti de servanda humanitate solliciti fuerunt. Sed optandum fuisset, ut homines sponte sua nullis legibus coacti ejuscemodi officia præstarent. At hæc agrestibus gentibus relinquenda erant, quas tamen nos sævas barbarasque habemus (*a*).

§. XXIV. Sed & hospitalitas passim quoque commendatur in scripturis sacris. Isaiæ cap. 68. vers. 7. *Frange esurienti panem, & egenos, vagosque induc in domum tuam.* Jobus cap. 31. inter ceteras virtutes suas recenset, *foris non mansit peregrinus; ostium viatori patuit.* Paullus Apost. ad Rom. 12. vers. 13. *hospitalitatem sectamini.* Petrus item Apost. epist. 1. cap. 4. vers. 9. *hospitales estote alii erga alios.* Christus Dominus noster Matthæi 21. vers. 36. inter ceteras causas, ex quibus sententiam salutis prolaturus olim est in die judicii extremi erga Electos, hospitalitatem refert: *Peregrinus*, inquit, *fui, & excepistis me.* Secundum hæc præ-

versitatem. *Vix equidem crediderim, diluvia, pestes, fames, bella, terræmotus æque in nos ferocire, ut falsas religiones, totque animas immanius excindere, atque dimittere orco. Quæ in re illud pessimum, hæc Deo esse cara credere, eoque audacius, quasi eo imperante, exsequi.*

(a) *Vide Othier* Voyage au North, *Mallet* Introduction a l'Histoire de Danemarq chap. 1.

præcepta primævi Christiani, antequam luxus, dominatio, & avaritia, ac cetera sæculi vitia, in nos invasissent, vitam suam instituerunt, ut ex tota historia Ecclesiastica patet (*a*).

§. XXV. Vitium huic virtuti oppositum est *inhospitalitas*, quæ & Naturæ, & Evangelio juxta repugnat, ut ex superioribus manifestum est. Veteres Poëtæ, ut hoc vitium plene depingerent, finxerunt, Lycaonem de homine in lupum fuisse transmutatum, quod peregrinos hospitio exceptos necaret, aut expoliaret. In duo autem capita hoc vitium dividitur: primum est hospitio peregrinos non excipere, quum adest occasio: alterum, postquam exceperis, violare. Et utrumque quidem inhumanum est: sed posterius procul dubio inhumanius, quia sancte initam amicitiam lædit. Ovidius,

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.

Inhospitalitatem severissime Deus ulciscitur. Ejus rei exempla habemus in Sodomitas (*b*) & in Beniaminitas (*c*).

§. XXVI. Alterum & præcipuum eleemosynæ officium est, ut diximus, omnis actio misericordiæ. Et

 gene-

(a) *Plato de Leg. VIII. pag. 644. cum duo Græcarum Rerump. civium genera discrevisset*, φυσει κοσμιους, και ανδρειους, natura modestos, & viriles ac generosos; *utrosque, ait, fœda divitiarum cupiditate depravatos a natura descivisse: ac illos quidem ad* mercaturam, navigationem, viliaque ministeria, *omnesque fraudes* conversos: *hos autem* ad furta, latrocinia, sacrilegia, insidias, scleraque tyrannica: *idque totum pravæ educationi attribuit; hanc negligentiæ legum: quippe cum res publica, non privata, esse debeat puerorum educatio, illæ privatam ferme ubique esse sinerint. Ego & huic causæ, & regnandi in primis libidini acceptum retulerim: nam ambitionis furor ecquem non de homine belluam faciat? Anglus ille de Romanis apud Tacitum in Agricola* 30. & 31. Quorum superbiam frustra per obsequium & modestiam effugeris, raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur. Si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos non oriens, non occidens satiaverit: soli omnium opes, atque inopiam pari affectu concupiscunt: auferre, trucidare, rapere falsis nominibus IMPERIUM; atque ubi solitudinem faciunt, PACEM appellant. *Proh scelera* αισν εσντα!

(b) *Genesis cap.* 19.

(c) *Judicum cap.* 19.

generatim quidem eleemosyna significat quidquid liberalitatis, aut humanitatis in proximum nostrum ex commiseratione conferimus. S. August. in Enchirid. ad Laurentium cap. 72. eleemosynam generatim acceptam sic describit: *Dare esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægroto, vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti.* Igitur cum significet eas elargitiones, quæ alteri indigenti fiunt ex commiseratione; sequitur non mereri hoc augustum nomen largitiones, quæ fiunt ex vanitate, non indigentia. Ad eleemosynam autem elargiendam nos obligari, ex iisdem principiis intelligimus, quæ nos admonent, ut aliis ea omnia faciamus, quæ volumus ab iis nobis fieri.

§.XXVII. Scripturæ divinæ passim eleemosynas præcipiunt, atque in iis tantam vim inesse dicunt, ut per eas ingentia crimina dimitti pronuncient. Extat super ea re S. Cypriani libellus *de opere & eleemosynis*. Sub initium ejus libri postquam dixisset vir sanctus sordes post baptismum admissas eleemosynis ablui posse, addidit: *Loquitur in scripturis divinis Spiritus Sanctus & dicit, eleemosynis, & fide delicta purgantur . . . . . . Idem denuo dicit, sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Deinceps recitat testimonium ex cap. 2. Lucæ, *date eleemosynam, & ecce munda vobis omnia*. Vide & S. August. cap. 37. Enchirid. Eadem jam Patrum omnium vox: eadem Christianorum. Sed & vocibus æquata opera, antequam luxu corrumperemur. Ea ex Christianismi substantia sunt: sic enim veteribus persuasum erat, neminem sine vera caritate dici oportere christianum; quia Christus non præceperat nisi amorem Dei & hominum.

§. XXVIII. Sed hoc in loco animadvertendum est primo, non divites tantum, eosque qui rebus abundant obligari ad eleemosynam, sed etiam eos, qui licet non multum possident, habent tamen, quod pro modulo suo erogare possint in pauperes. Id intelligitur primum ex naturæ ratione: nam in omnibus homi-

minibus talis ineſt natura, ut ad alterius miſeriam miſericordia tangatur. Hunc vero affectum qui omnibus illa dediſſet, niſi voluiſſet, ut non affectu tantum omnes omnium miſererentur, verum etiam re, quoad poſſent, omnibus opitularentur? Suadet idipſum naturæ æqualitas, & natura ſocietatis, quæ virium, bonorumque exigit communicationem. Idem privata cujuſque utilitas: nam in amicitia omnium cum omnibus civilis felicitas haberi poteſt. Deinde idipſum colligitur ex doctrina Evangelii, quæ extat cap. 21. Lucæ. Extat locus egregius S. Baſilii Homilia *in ſiccitatem, & famem: licet*, inquit, *unus tantum tibi ſit panis, ad fores autem mendicus adſtet, deprome unicum illum ex cella penaria*.

§.XXIX. Deinde animadvertendum eſt, in elargienda eleemoſyna diſtinguendum quidem eſſe inter pauperes digniores, & minus dignos: non ita tamen, ut reputetur legitima cauſa denegandi eleemoſynam, quod is, qui petit, indignus ea ſit, quæ fuit quorundam Caſuiſtarum opinio: eleemoſyna enim indigenti datur, non moribus indigentis. Illud enimvero ſedulo diſtinguendum eſt, utrum is, qui petit, ex ignavia in eo ſtatu ſit, an vero ex neceſſitate. Primo caſu jure eouſque denegatur, quo non conſtet, miſeriam non eſſe voluntariam; ne ſcilicet noſtra elargitione alterius ignaviam, & vitia alamus. At contra omne jus denegatur alteri. Confer Ciceronem lib. I. de Offic. cap. 15.

§. XXX. Præterea cavenda eſt & altera quorumdam Caſuiſtarum opinio, non eſſe dandam eleemoſynam cum ullo noſtro detrimento, ſed tantum de mere ſuperfluis. Ea doctrina cum altera conjuncta, nemini quidquam eſſe unquam ſuperflui, comparata eſt ad omnem caritatem & beneficentiam funditus ex animis humanis extirpandam. Enimvero ſi ex iis ſuperfluïs danda eſt eleemoſyna, quæ cupiditatibus noſtris ſuperſunt, quoniam nulla iis ſuperſunt, (libidini enim nihil eſt unquam ſatis) nihil unquam erit, quod detur. Itaque non naturæ, nec Dei ea doctrina eſt, ſed abdominis, luxuriei, ambitionis, ac libidinis ab omni & naturæ honeſtate, & divina ſanctione alienæ.

CAPUT XII.

De amicitia.

§.I. POſtquam de Officiis humanitatis, & beneficentiæ, ideſt univerſalis erga genus humanum amicitiæ, diſputavimus, operæ pretium eſt, perpauca de arctiori illa amicitia diſſerere, qua maximus benevolentiæ & conjunctionis gradus inter homines continetur. Egit ea de re præclare & ſæpe Plato, tum Ariſtoteles in octavo ad Nicomachum, & Cicero in Lælio. Ac quanquam magis eam, quæ eſſe inter homines deberet, quam quæ aut eſt, aut eſſe poteſt, amicitiam exornent; juvat tamen plurimum earum etiam virtutum elegantiſſima deſcripta habere exemplaria, quas cogitatione magis, quam opera complecti poſſumus: habent enim illa neſcio quam vim, occultam quidem, ſed prope divinam, ad animos permovendos atque incitandos: quæ ſi non licet ſemper aſſequi, ſæpe utiliſſime, tametſi procul, imitamur. Quare quanquam ea eſt mortalium natura, ut nihil videantur ſincere amare poſſe præter ſeipſos, propterque ſe ſuaſque utilitates amare cetera, ac idcirco ejus amicitiæ, quam philoſophi tam pulchris diviniſque coloribus depinxere, minus ſint patientes; intelligent ſaltem qui hujuſmodi amicitiæ veræ præcepta legent, ad eam ſe quam proxime accedere oportere, ſi ea voluptate tangi velint, quæ ex reciproca animorum communicatione eſt, qua nihil ego jucundius, nec optabilius putaverim. Non ignoro fuiſſe pleroſque viros eruditos & acutos, qui magnam induſtriam & diligentiam in eo poſuere, totamque ſuam adhibuere eloquentiam, ut omnem humanæ naturæ fœditatem, omnia vitia retegerent: eam ad veram amicitiam & virtutem obſtipam & contumacem demonſtrarent, eaque in re nos longe brutis animantibus eſſe deteriores oſtenderent, in quibus non exemplaria modo virtutum, in primis amicitiæ, ſed virtutes ipſas, tanto pulchriores, quanto ſine vitiorum

mixtura,

mixtura, inesse opinantur (*a*). Qui si id efficiunt, quo in nobis comparatione cum deterioribus verecundiam concitent, eoque nos ad veram virtutem impellant, minus illi peccant: sed peccant tamen. Nam & falsi philosophi sunt; & tædium tam malignæ naturæ in nobis ingenerant: ac, quoniam ut alii aliis diffidamus nos instruunt, omnia societatis & communionis inter nos vincula abrumpunt. At enim, φιλαυτια,

Quæ nunc nos coquit & versat in pectore fixa,

prohibet quo minus alios sincere amemus: ita fit, ut eæ virtutes, quæ adversus alios sunt, speciem virtutis habere possint, naturam non possint. Qui æquo subtilius philosophantes non videntur id intellexisse, quod maxime cupiebant. Scilicet eas sibi excogitavere virtutes, quibus ad totum genus humanum perdendum nulla sunt vitia aptiora, quæque si hominibus concedantur, irato Deo genitos clamabimus. Nam si veræ virtutes ab omni nostro amore & cura esse sejunctæ debent, miseros esse eos oportet; qui virtutis studiosi esse volunt; immo ne esse quidem, quia nec ut sint beati, nec ut sint, cogitare aut curare debent, quo iis exornentur virtutibus, quæ nullo modo ab utilitate aut felicitate nostra proficiscantur. Quod si probare nequeunt, fateantur, veram virtutem, ut non potest, ita ne debere quidem a nostri amore & utilitate esse se-

(a) *Locum hunc Ethicorum communem, quem & Poetæ ornarunt sæpe, & Oratores adhibuere, ac Philosophi passim, totum in falso versari, acute ac minutatim ostendit jam Bælius in Dictionario Art. . . . Ac vero ejuscemodi declamationes odio potius humani generis, quam rei veritate nituntur. Sæpius dixi, hisce in rebus perinde peccare eos, qui bestiis nos accensent, aut, quod horridius, infra locant, quam qui nimium ad astra tollunt. Sed illi tamen ex eorum ferme numero, quibus nunquam dia Eudæmosina adrisit: hi, quos vexat enthusiasmus. Vir sapiens utrumque ridebit: animans enim ratione præditus est homo: sed animans tamen, naturæque animalis legibus subjectus. Utinam qua est indole, quove tendit, regere tandem aliquando discamus. Cui bono dicteria? Manu ducamus: opitulemur, id operæ pretium. Sed ea est hujus ævi sapientia, ut cum juvare, seu consilio, seu opibus, seu manu necesse est, declamemus*, non vides, bellua, non sentis, quæ sit hominum frontis tuæ querela? *At tu dexteram porrigeres, mutus licet. Quid opus conviciis?* — *Bæl. Art. Costance.*

ſeparatam, in eoque eſſe virtutis præſtantiam poſitam, ut nequeat noſtri felicitatem efficere a felicitate aliorum ſejunctam. Quamobrem in eo potius operam ponant ſuam, ut demonſtrent, ita eſſe homines a Natura comparatos, ut tum ſe recte & ſapienter ament, ac ſui beatitatem ſequantur, quum pro virili portione & aliorum felicitati ſtudent: cum privatam utilitatem minime a publica abſtrahunt: cum ſe ſibi, ceteriſque omnibus genitos reputant.

§. II. Sed inde, unde exorſi ſumus, redeamus. *Amicitia eſt benevolentia mutua & manifeſta, qua alter alteri utriuſque cauſa bonum cupit*. Quanquam autem ſine benevolentia nulla eſſe poſſit amicitia, non tamen omnis benevolentia eſt amicitia. Eſt enim quædam benevolentia non mutua: quædam non manifeſta alteri: quædam denique plane otioſa, hoc eſt non conjuncta cum deſiderio convictus, neque cum cupiditate gratificandi alteri: quorum utrumque in vera amicitia requiritur. Ex eo vero oritur amicitia, quod alter in altero, vel re ipſa deprehendit, vel ineſſe credit ejuſmodi bonum, quod amore, & benevolentia dignum ſit, ac arctiorem cum eo nexum & conjunctionem exigit. Hæc enim perſuaſio impetum illum, quem natura nobis ad amicitiam indidit, excitat, ac promovet. Nam homines natura ipſa ad ſe mutuo amandos, ut ſæpe dictum eſt, geniti ſunt: quia nempe ſine mutuo amore non ſolum nec beate, nec bene eſſe poſſunt, ſed ne eſſe quidem.

§. III. Sunt autem bona omnia, quæ amicitiam parere poſſunt, tria omnino, ut obſervat Ariſtoteles, *jucundum*, *utile*, *honeſtum*. Ex ſolo autem honeſto ſtabilis, & vera naſcitur amicitia: nam cum duo illa priora facili mutationi ſubjecta ſint, neceſſe eſt ut amicitia diſſolvatur, ubi illa ceſſaverint. Præterea, qui alterum amat jucunditatis tantum ſuæ, vel utilitatis ergo, ſe potius ſolum amat, quam alterum, ut idcirco ubi voluptas, & ſui utilitas ceſſat, amor quoque omnis perit. Adde, quod in hac amicitia perfecta animorum conjunctio & fides mutua, ſine quibus amicitia conſiſtere nequit, nullæ eſſe poſſint. Contra vero,

ro, quæ virtuti & honestati tribuitur amicitia, ex quibus maximum nostrum bonum, animi cura, exsistit, & vera est, & æterna. Nam etiamsi contingat partem alteram deteriorem fieri, amicus ejus vitiis irascetur quidem, sed amicum constantissime amabit, quem emendatum, non vero nullum volet.

§. IV. Amicitiam & in omni fortuna, & in omni ætate atque statu hominis esse necessariam, accurate prorsus demonstravit Aristoteles lib. 8. ad Nicomachum cap. 1. Itaque egregie pronunciat Cicero, *non aqua, non igni pluribus nos uti locis, quam amicitia: & Solem e mundo tollere videri, qui amicitiam e vita tollunt*. Enimvero in secunda fortuna duabus potissimum de causis opus est amicis. Prima, quia sine iis fructus bonorum propemodum perit, beneficentia, inquam, & liberalitas illa, quæ in amicos maxime exercetur. Præterea nullius boni sine socio jucunda esse potest possessio, ita ut in maximis opibus colloquium & convictum amicorum omnes homines desiderent. Secunda, quia opus est custodia, & tutela bonorum, quæ quo majora sunt, eo plures nanciscuntur aucipes, & ægrius custodiuntur (a). Quocirca qui plus possident, plures quoque & majores veros amicos habeant necesse est. Sed veros, inquam.

§. V. In adversa fortuna opus esse amicis, cum solatii, tum perfugii, & auxilii gratia, nemo ignorare potest, nisi qui nihil unquam adversi in vita expertus est. Eleganter hæc omnia complexus est Cicero in eodem libro: *Cui*, inquit, *potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? Quid dulcius, quam habere, qui cum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque ac tu ipse, gauderet? Adversas vero res ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret.*

§.VI.

(a) *Horat. sat. 1. v. 76.*
An vigilare metu exanimem noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes; hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

§. VI. Porro in omni ætate pernecessariam esse amicitiam est exploratum. Nam, ut ab incunabulis exordiamur, in infantia nobis opus est amicitia & tenero parentum educatorumque amore, quo rite educari possimus: est enim hæc tenella ætas non corporis tantum vitiis, sed cum primis animi obnoxia, ut idcirco sinceri & magni educatorum amoris indigeat. Itaque ita divina Providentia institutum est, ut natura ipsa omnes homines tenerrimo erga liberos reliquosque infantes ferantur amore. Hunc amorem aufer, quid nisi aut brevi deserta Tellus, aut impiis & nefandis latronibus esset oppressa (*a*)?

§. VII. Quod ad adolescentiam attinet, ei etiam amicis maxime est opus. Primo propter imbecillitatem judicii: secundo ob affectuum vehementiam: tertio ob rerum imperitiam. Itaque nisi adolescentes amice instituantur, artibus ingenuis erudiantur, moribus imbuantur honestis, revocenturque a vitiorum illecebris, ac sicubi exorbitare cœperint, moneantur, & in viam retrahantur, profecto aut crudi proveniunt lateres, aut indomitæ feræ. Quocirca nihil habere prius & majus adolescentes debent, quam ut viros probos, rerum peritos, prudentesque & doctos in amicitiam adsciscant. Incredibile dictu est, quam rite, & vehementer hac via proficiant. Hac arte educabantur nobiles juvenes Persæ (*b*): ea Spartani (*c*): ea Pla-

(a) *Non proprios tantum infantes amamus, sed quoscumque. Ita servatus Moses a Pharaonis filia, ac liberaliter eductus: ita Romulus & Remus a Faustulo: ita infiniti ab aliis. Ajunt, in his, spei, ambitioni, vanitati, jucunditati, ingenio nostro servire. Non litigo. Serviamus: sed amemus tamen alterum, ac servemus: id erat agendum: id operæ pretium.*

(b) *Vide Xenophontem in Educatione Cyri.* Δικαιοσυνην *totam eam educationem, quasi si dicas*, omnigenæ justitiæ scholam studiumque, *eleganter appellabant: nam ea præclara, eaque in primis necessaria schola, in qua discas, quid cuique debeas, ac ita discas, ut a pueritia exercere assuescas, quod, ut idem docet Xenophon, egregium erat in Persarum educatione. Itaque Cyrus, adhuc puer, quod male judicasset, castigatus a senioribus. Cum nos tamen garrire, seque mutuo fœdare proscindereque, ac lingua & manibus esse petulantes doceamus.* (c) *Plutarch. in Lycurgo.*

Plato cives ſuos erudiri vult (*a*).

§. VIII. Sed & viri opus habent amicis, cum ad rerum cognitionem, tum maxime ad actionem. In cognitione quidem, & ad conſilia ineunda, & ad ea exequenda: nam plus vident oculi, quam oculus, ut eſt in proverbio. Deinde ad res gerendas non mediocre præſidium eſt in amicorum benevolentia. *Virtutum*, inquit, Cicero, *amicitia adjutrix a natura eſt data, non vitiorum comes: ut quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea, quæ ſumma ſunt, pervenire; conjuncta & ſociata cum altera perveniret*.

§. IX. Jam vero nulla ætas magis amicorum indiget, quam ſenum. Senes enim ob mentis & corporis imbecillitatem neque ſe, neque ſua recte curare poſſunt, neque eas res obire, quæ aut animi, aut corporis robur aliquod exigunt. Præterea quoniam hæc ætas quaſi ſolitarios homines efficit, niſi convictu amicorum recreentur ſenes, vitam minime optabilem vivant neceſſe eſt: otium enim in ſolitudine mors quædam eſt hominis viventis. Sed cum aliquid in amicitiis & ſuſcipiendis & ſervandis ſibi utilis petant omnes, difficile eſt ſenem, omnibus aut ingenii, aut morum, aut bonorum præſidiis deſtitutum, amicos invenire, ac irretire & retinere. Itaque quicumque eam ætatem ſpectat, aliquem apparatum ſtruat, quo paſcat amicos, oportet. Locupletes, cœnis, munuſculis, reliquaque liberalitate devincire ſibi amicos poſſunt: reliqui ſapientia, & anteactæ vitæ experientia. Atque hoc præcellit: nam opes, niſi & ſapientia adſit, & incorrupta probitas, inſidiatores pro amicis paraverint. Legi meretur Pomponii Attici vita; cui ego vix ullum ex tota vetuſtate in parandis tuendiſque amicitiis æquiparaverim.

§. X. De privata amicitiæ utilitate hucuſque diſſeruimus: publica nunc paucis demonſtranda eſt. Ac publice amicitiam eſſe non modo utilem, ſed neceſſariam, inde facile perſpicitur, quod ea tanquam vinculo civitates contineantur, & ad magnitudinem, & feli-

(a) *Vide* VII. *de Leg.*

licitatem suam perducantur. Efficit enim publica amicorum amicitia, ut alii aliorum commoda promoveant, ad præclara facinora se se mutuo adjuvent, communibus viribus hostibus resistant. Itaque vetusti legumlatores plus in amicitia inter cives concilianda, quam in constituenda justitia adlaboraverunt, quemadmodum perspecte adnotat Aristoteles: quod scilicet non ignorarent, constituta amicitia, justitiam sequi sponte sua: cum e contrario posita justitia, non necessario sequatur amicitia. Præterea rerum publicarum gubernatores cum sciant quantum momenti ad tranquille civitatem regendam in opinionum etiam concordia positum sit, illud quoque curarunt, ut una esset in republica religio, una lex, uni mores, ut eodem modo & cogitarent omnes, & agerent. Quare Plato (*a*) cum nihil tam Reip. incolumitati adversum existimasset, quam ullam morum vetustorum mutationem, ne musicam quidem veterem moveri permittit: ne novæ subinde voluptates novas libidines, hæque subversionem civitatis progignant.

§. XI. Quæ cum ita sint, videamus modo, quæ sint præcepta amicitiæ, aut ineundæ, aut conservandæ, aut etiam dissolvendæ, ubi opus est. Ineundæ amicitiæ potissima præcepta sunt duo. Primum, ne statim quemvis in amicitiam adsciscamus, sed probe prius mores ejus, ac fidem exploremus, cum quo arctiorem contrahere amicitiam volumus: imprudentis enim est ei te, & tua concredere, quem non probe prius novisti. Vide Sen. Epist. 3. Huc pertinet vulgatissimum adagium, *multos salis modios una esse edendos, donec amicitia penitus coalescat* (*b*).

§. XII. Exploratur autem futurus amicus quinque præcipue modis, secretis, pecuniis, & lucro, honoribus, adversa fortuna, & anteacta cum aliis amicis vita.

(a) *Lib. VI. de Leg.*

(b) *De cujus intelligentia vide Erasmum. Ego, qui sæpe truncus sum, ita intellectum hic volo, ut vulgo nunc etiam adhibetur. Doctas commentationes otiosis integras relinquo. Hominem probum instruimus, non philologum.*

ta. Principio, *commissa tacere qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caveto*, quod præclare inquit Horatius: quantumvis enim quisquam natura bonus sit, tamen si garrulus fuerit, in arctiorem amicitiam admittendus non est; nam consistere nequit vera amicitia sine animorum perfecta conjunctione: nec perfecta conjunctio haberi, ubi altera pars levis est & garrula. Discimus autem alterum esse garrulum, primo si ultro sua, & suorum patefaciat secreta: secundo si verbosus sit, & fabulator: tertio si percunctator molestus: hinc illud, *percunctatorem fuge: garrulus idem est*.

§. XIII. Deinde quoniam inter affectus vehementiores, quibus homines agitari solent, connumerandi sunt avaritia, seu lucri cupiditas, & ambitio, idest dignitatis immoderata cupido; qui amici causa lucrum, & dignitates contemnit, ut se non patiatur ab iis abstrahi & separari ab amicitia, procul dubio, si ceteræ adsint dotes, in amicitiam adsciscí potest. At si lucri cupidus fuerit, aut nimis ambitiosus, omnia lucro & dignitati postponet. Itaque omnium hominum ad amicitiam ineptissimi sunt avarus, & ambitiosus. *Est enim amicitia*, inquit præclare Cicero, *nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia & caritate summa consensio*. Qui autem hæc consensio cum avaro, & ambitioso esse potest? Atque id in primis animadvertendum est, ambitiosum, si intelligat, te aptum ambitioni suæ instrumentum esse posse, mirifice amicitiam simulare: neque enim inter omnes homines quisquam est ambitioso magis adulator (*a*). Accurate igitur hæc adulatio perpendenda est, & ab amicitia, cui simillima est, discernenda. Exstat super ea re egregium Plutarchi opusculum, *quomodo discerni queat adulator ab amico*.

§. XIV. Sed nulla magis in re exploratur animus ad veram amicitiam compositus & aptus, præterquam in adversa fortuna: in eo enim hominis statu aperte in-

(a) *Ambitiosi amici ex eorum ferme sunt genere, de quibus Tacitus hist.* 1. 2. quibus deerat inimicus per amicos oppressi. *Idque Aulæ præcipuum dehonestamentum*.

intelligitur, quantum quisque se, quantum amicum amet. Inde illud est proverbium, *Amicus certus in re incerta cernitur*. Nam qui amicum in re incerta deserit, is magis fortunæ, quam personæ amicus fuisse videtur. Quocirca minime amici putandi sunt illi, de quibus Ovidius ait,

Tempore felici multi numerantur amici.

Sed ii tandem veri amici sunt, qui in adversa fortuna constantissime adhærent. Prudentis autem hominis est, priusquam intimas amicitias contrahat, hujusmodi confingere casus, qui incerti & dubii videantur, ut ita, ficta calamitate, exploret quid sperare liceat in vera.

§. XV. Præterea omnium tutissima & compendiosa explorandi amicos ratio est inquirere, quomodo illi adversus alios amicos se gesserint, aut adhuc gerant. *Talem*, inquit perspecte Isocrates, *erga te fore amicum intellige, qualis erga alios fuit*. O pulchra! Exploratio autem hæc, de qua in hoc primo præcepto locuti sumus, ad amicitiæ stabilitatem plurimum facit: quia quem explorasti, ei non diffides, non male de eo suspicaberis, nec ab eo metues, non facile conquereris, nec aliorum de ipso querelas admittes, quæ amicitias disturbare solent. Lege Ciceronem de amicitia, & Senecam in Epistola III.

§. XVI. Secundum præceptum ineundæ amicitiæ est, ut tot tibi copules amicos, quot una tecum, atque inter se familiaritatem colere commode possint, & libenter velint, ac quorum usibus inservire queas. Utrumque enim horum jus veræ amicitiæ postulat. Non probo igitur magnum intimorum amicorum numerum. Primo, difficile est unius hominis mores explorare: quid plurium? Secundo, cum omnibus convictus, & frequens conversatio haberi nequit; unde est necesse, ut brevi tempore amicitiæ evanescant. Tertio omnibus inserviri non potest, quod amicitiæ jura exigunt. Quare quisque sui, ac conditionis suæ rationem inire debet, ut intelligat, quot sibi amici interiores esse queant. Intimiores dico: nam vulgares qui dicuntur amici, quorum tamen amicitia ad animi penetralia

non

non pertingit, multo plures haberi possunt, seu potius hanc amicitiam non modo cum omnibus iis, quibuscum versamur, percolere debemus, sed toti hominum generi præstare.

§. XVII. Præcepta amicitiæ colendæ & conservandæ ad sequentia conferri possunt. Primum, ut in amicitia amor fervorem habeat, & constantiam. Amoris fervor in hoc primum dignoscitur, ut alter alteri optima quæquæ cupiat non secus atque sibi, & ut ea consequatur amicus, sedulam det operam. Deinde in eo, ut alter alterius rebus secundis æque lætetur, ac suis; adversis autem æque tristetur. Demonstrabit vero amoris constantiam, si nulla de causa patiatur ab hoc erga amicum amore divelli, non lucro, non honore, non labore, & periculo, non temporis diuturnitate, non locorum distantia (a).

§. XVIII. Secundum præceptum est, ut maxima sit inter amicos voluntatum consensio. Hæc consensio in eo primum manifestanda est, ut amicus amici studiis, & propensionibus, modo nihil turpis contineant, non solum non adversetur, sed ultro concedat, & iisdem delectari se ostendat. Secundo, ut sententias ejus & consilia non carpat, sed vel approbet, vel, si non rectas putet, modeste ac urbane repugnet, ac flectere potius blande amicum studeat, quam vi, aut jurgiis alio rapere. Præterea, ut non acerbe, non ambitiose, nec pertinaciter opiniones suas adversus amicum propugnet: omnium enim hominum amicitiis ineptissimi sunt, qui dicuntur contradictores perpetui, & acerbi. Tandem amicus amicum aliqua in re dissentientem æquo ferat animo: quædam enim indulgenda sunt constitutioni animi, vel corporis, loco, tempori, aliisque cir-

(a) *Sunt qui ejuscemodi amicitiam velut poeticam derident. Haud ambigam, rem esse repertu difficillimam: ceterum non vacat exemplis. Tacitus hist.* I. 3. Non tamen adeo virtutum sterile sæculum, ut non & bona exempla prodiderit. Comitatæ profugos liberos matres, secutæ maritos in exilia conjuges, propinqui audentes, constantes generi, contumax etiam adversus tormenta servorum fides. *Vide & Plutarch. in Dione.*

circunstantiis. Sed cavenda est scurrilis assentatio. Perbelle Horatius lib. 1. Epist. 18.

Ut Matrona meretrici dispar erit, atque
Discolor, infido scurræ distabit amicus.

§. XIX. Tertium præceptum est, ut officiorum sit inter amicos vicissitudo, & paritas, quoad utriusque fortuna, conditio, ætas patitur. Observabitur autem hoc præceptum, si tales in amicos nostros nos esse satagamus, quales eos in nos vellemus. Quæ autem amicus amico officia debeat, ex iis, quæ superius de beneficentia dicta sunt, intelligi potest: est enim amicitia maximus & reciprocus benevolentiæ gradus. Possunt autem amicorum officia ad duo potissimum capita conferri, consilium, & auxilium. In consilio promtitudo, & sinceritas eluceant. Quod ad auxilium pertinet, illud amico in dubia, aut adversa fortuna præcipue debemus. Inter auxilia vero maximum est, & quod amicitiam heroicam constituit, ut minime vereamur bona, libertatem, & vitam denique pro amico in causa justa & honesta impendere. Hinc laudatur in Evangelio hujusmodi amicitia: *Nemo majorem caritatem habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*. Quæ res non modo inter Christianos, præsertim veteres, sed ne inter Ethnicos quidem vacat exemplis; ut qui hæc præcepta comica ducunt (a), & in natura humana non admodum, & in historia nihil versati videntur, omniaque sua ex indole, suisque moribus æstimant.

§. XX. Quartum præceptum est, ut sæpe & libenter cum amicis conversemur, & colloquamur, coram quidem, si præsentes sint, per litteras vero, si absentes. Qui hoc officium transgrediuntur, ostendunt se amicitiæ pœnitere, aut amicum negligere; quo fit, ut amicitia paullatim frigescat, ac postremo intercidat. In conversatione autem cum amicis sequentia sunt observanda. Primum in sermonibus veracitas, candor, & fides: simulatio omnis, & assentatio abesto. Sed & parva mendacia a conversatione amicorum abesse debent: ea

(a) *L' Esprit Discours III. cap. 14.*

ea enim efficiunt, ut paullatim amicus amico diffidat. Secundo comitas, suavitas, & elegantia morum: vitanda ergo est rusticitas, incompta asperitas, & quidquid hominibus politioribus grave esse potest. Tertio taciturnitas: capitale enim in amicitia est non solum secreta reserare, sed etiam familiares sermones vulgare (a). Nam ea est amicitiæ natura, ut amicus cum amico velut cum altero se agere possit. Duo hæc amicorum officia præstantissima binis versibus complexus est Horatius in Epistola superius laudata,

Arcanum neque tu scrutaberis ullius unquam;
Commissumque teges & vino tortus & ira.

§. XXI. Quintum est præceptum, ut ne facile sinistris de amico suspicionibus aures accommodemus, neve ejus virtuti, ac fidei temere diffidamus: *nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, & aliis jus peccandi suspicando fecerunt*, quod præclare observat Seneca in laudata Epistola tertia. Non quælibet amici dicta, aut facta, quæ incauto fortassis exciderunt, in crimen trahenda sunt, quasi in nostrum contemptum dicta, aut facta. Æquitas in judicando adhibenda est, atque omnia in meliorem partem interpretanda, quousque clare non pateat, alterum ab amicitia discessisse, ac nos lædere voluisse.

§. XXII. Sextum præceptum est, ut ne criminationes, aut querelas de amicis facile admittamus, sed eorum, præsertim absentium, famam summo studio ac fide contra calumniatores defendamus. Præterea ipsi amicos nunquam criminemur, nec facile apud quemquam de iis conqueramur. Si quid vero contingat, de quo amicos velimus admonitos, illud servemus vetus dictum, *secreto amicos admone, lauda palam*.

§. XXIII. Jam septimum est, ut nemo reprehensiones, atque admonitiones amicorum spernat: ut nemo illis monentibus succenseat: ut recte monentibus libenter pareat: ut salutaria consilia & quærat apud a-

(a) *Nepos in Epaminonda postquam egregias alias ejus virtutes expressisset*, in primisque, *inquit*, commissa celans; quod interdum non minus prodest, quam diserte dicere.

micos prudentiores, & avide arripiat. Enimvero qui hoc præcepto continetur præcipuus est amicitiæ & pulcherrimus fructus, scilicet amicorum reprehensionibus, admonitionibus, consiliis in melius proficere (*a*).

§. XXIV. Octavum præceptum est, ut si quos amicus habeat nævos, quos deterere non possimus, quique tanti non sint, ut amicitiam idcirco dirimere debeamus, eos æquiori feramus animo. Præterea, ut ejus in nos delictis lubenter ignoscamus, dum non constat, ea ex adverso animo proficisci: ut dissimulemus ea, quæ salva virtute & honestate dissimulari possunt. Atque hoc præceptum iis potissimum observandum est, qui cum amicis paullo iracundioribus, aut morosioribus agunt, quales in primis solent esse senes (*b*).

§. XXV. Postremum tandem conservandæ amicitiæ præceptum est, ut consentaneum amicis honorem exhibeamus: ut eos in honoris significatione prævenire studeamus: ut omnia, quæ eorum contemtum demonstrare possent, diligenter vitemus. Ceterum inter amicos fugienda est nimis anxia cæremoniarum, ut vocantur, superstitio, quæ adulantis potius est, quam amici. Danda est opera, ut in vultu, voce, ac gestu familiaritatis, & fiduciæ mutuæ inter amicos signa exstent.

§. XXVI. Hæc autem, quæ recensuimus præcepta, amicitiam inter pares potissimum spectant. Sed quoniam amicitia inter inferiores quoque & superiores esse potest, amicorum imparium officia paucis nunc sunt comprehendenda. Principio in dispari amicitia, qui opibus, aut alio bonorum genere abundant, quod in inferiorum amicorum usum convertere possunt, id libenter efficiant: in hoc enim præcipue amicorum commu-

(a) *Eo spectabat Persica atque Spartana Schola, ex quibus tot insignes ac memorandi extitere alumni.*

(b) *Compenset senum vitia sapientia. Itaque Pericles Anaxagoræ aliquanto agresti ad ultimam usque vitæ auram fidus hæsit: Epaminondas Lysi Tarentino* tristi alioquin & severo seni, *ut ait Nepos: Socrati iracundo ac summo irrisori Xenophon atque Plato. Matres adhuc tristes, morosas, stridulas pueri, qui lactantur, ament tamen oportet.*

munio posita est, ut quoad rerum natura patitur, omnia inter amicos æquentur. Secundo, ut ii, qui dignitate antecellunt, si se ad inferiores amicos demittant, comitate, facilitate, modestiaque sua eos erigant, non vero supercilio, ac nimia gravitate deterreant. Tertio, ut quocumque possunt modo amicos, quos virtus, aut sapientia commendat, honoratiores semper reddant, illis dignitatem suam quodammodo communicantes.

§. XXVII. Inferiores vero superioribus amicis hæc debent officia. Primum, ut ne iis invideant id, quo superiores sunt. Secundum, ut perpetuo honorent & colant, caveantque, ne ob familiaritatem, modestiam, & humanitatem eorum, illos contemnant: sed cum illis facilitate, modestia, & verecundia certent. Verecundia enim cum ceterarum omnium virtutum, tum in primis amicitiæ custos est. Tertium, ut si superiores amici jure regendi præsint, justum iis semper obsequium præstent, nec amicitia abutantur ad criminum impunitatem, neve inflentur, atque adrogantes impudentesque (quod stultis familiare) fiant. Quartum, ut eorum beneficiis, cum paria referre nequeunt, gratum semper memoremque animum ostendant.

§. XXVIII. Quanquam autem natura veræ amicitiæ, quæ virtute nititur, & conservatur, postulat, ut sit æterna: tamen hujusmodi casus intervenire possunt, quibus necesse sit, omnem amicitiam dissolvere. Ac plures proferri solent dissolvendæ amicitiæ causæ, quæ non omnes justæ, aut honestæ sunt. Sed una est in primis honesta, & justa, si amicus ad insanabilem improbitatem deflexerit: si nos criminum comites obstinate velit. Amicitia enim adjutrix virtutum a natura data est, non comes vitiorum, scelestissimique sunt ii, qui ne amicitiæ renuncient, amico in crimina & vitia vires suppeditant. Ceterum omnia primum blande sunt pertentanda, ut ad bonam frugem amicum perducamus. Ubi nihil succedit, palam amicitiæ nuncium mittendum est. Quod ita est intelligendum, ut ab amicitiæ vinculo dissiliamus; non ut veterem amicum oderimus: neminem enim odisse ex naturæ lege li-

licet; minus vero, quocum olim juncti fuimus. Memorandum illud, quod superius admonuimus, virum bonum odisse neminem, amicitiam vero cum iis tantum copulare, qui itidem boni sunt. Sed legatur Aristoteles, & Cicero.

CAPUT XIII.

De Statu hominis sociali, deque variis officiis, quæ ex variis societatum generibus proficiscuntur, ac primum virorum & uxorum, parentum & liberorum.

§. I. Aggrediamur nunc ad hominem velut a nemoribus antrisque retractum, ac in civitatem adductum, in hoc sociali statu contemplandum, atque in eo ad officia probi civis formandum; quod nos hoc capite summatim, quatenus elementorum angustiæ sinunt, efficiemus. Societatum ab Aristotele tria statuuntur genera, minimarum ac simplicium, mediarum ac paullo compositiorum, & magnarum, seu Civitatum ac Regnorum. Minima societas posita est in unione maris & fœminæ per legitimas nuptias contracta. Hæc omnium societatum simplicissima est & prima. Itaque idem philosophus eleganter nuptias appellat *Elementa Civitatis*: ut enim, ait, atomi primæ sunt corporum physicorum elementa, ita nuptiæ politicorum. Mediæ societates sunt familiæ, quæ paullo compositiores sunt, quam primæ illæ, constantque ex patre & matrefamilias, liberis, atque servis. Hæ societates si extra majora imperia civilia vivant, cum civili imperio sunt monarchico: pater enim velut princeps familiæ & rex est, ac familia tota parvum regnum. Id & antiquis mortalibus notum fuit, ut ex regimine Patriarcharum discimus; & non uno in loco indicat Homerus Ethnicorum omnium scriptorum antiquissimus, atque alteris mundi originibus vicinior, dum Cyclopum mores describit in Odyssea (*a*). Societates majores sunt Civitates,

(a) *Lib.* IX. *v.* 113.

tes, Regna, Imperia, quæ ex pluribus primi & secundi generis conflantur.

§. II. De caufis, ut vocant, impulfivis focietatum minorum haud valde difputatur inter doctos. Nuptiarum enim duas incitantes caufas reperimus, unam *internam*, appetitum Veneris, quo animantia ipfa Bruta ad fobolem procreandam impelluntur: alteram *externam*, Deum nempe, qui primas nuptias, quæ effent exemplar ceterarum, & conftituit, & benedixit, atque fœcundavit; quod nos & Hiftoria Sacra docet (*a*) & primæ atque divinæ mundi origines. Secundum Nuptias vero provenere Familiæ, quæ focietates funt fecundi generis. Eæ procul dubio tribus caufis ortum debent, *neceffitati*, *naturali* cuidam erga parentes *obfequio*, & *gratitudini*. Nam principio infantes, & pueri,

Αλλ' οἵγ' ὑψηλων ορεων ναιουσι καρηνα
Εν σπεσσι γλαφυροισι. θεμιστευει δε εκαστος
Παιδων ηδ' αλοχων. ουδ' αλληλων αλεγουσι.
Sed ipfi celforum montium inhabitant cacumina
In fpeluncis cavis: jus autem dat unufquifque
Liberis atque uxoribus: *neque alter alterum curat.*

Quod ait, ουδ' αλληλων αλεγουσι, *non ita capi velim, ut interpretes omnes*, neque fe invicem curant, *fed ita potius ut* αγορας comitia concionefque *non habuerint communes, neque in commune confuluerint. Id & verbum* αλεγω *fatis indicat, & ipfe admodum aperte Homerus, qui fupra verfu* 112. *dixerat iis nullas fuiffe* αγορας βουληφορους, comitia, in quibus in commune confulerent, *velut apud politas Græciæ nationes. Sed & Euripides in Cyclope pulchre quid ea tota res fit quatuor voculis demonftrat*, ακουει, *inquit*, ουδεν ουδεις ουδενος, nemo nemini ulla in re obfequitur, *tanquam imperanti fcilicet.* Αυτονομους *in familiis fuis dicas. Quæ & olim maximæ hominum partis vita, agreftis ac indomita, ne Græcis quidem exceptis, ut oftendit in I. libro Thucydides: nec Latinis, quod demonftravit Dionyfius Alicarnaffenfis, item in I.; & eft hodie haud fpernenda, præfertim tota ferme America, atque Europæ Afiæque Septentrione. Vide de populis Septentrionalibus* Mallet Introduction a l'Hiftoire de Danimarq.

(a) *Platonica lex* VIII. *de Legib.* Si quis cum aliis mulieribus commifceatur, πλην ταις μετα θεων και ιερων γαμων, præterquam iis, quæ diis aufpicibus, facratifque nuptiis domum venerunt, infamis efto &c. *Itaque nulla natio non divinis aufpiciis nuptias aut celebravit olim, aut nunc celebrat, ipfi barbari agreftefque. Vide Kolbi hift. cap. bonæ fpei.*

ri, dum in minoribus ſunt, ad omnia officia vitæ animalis ac civilis majorum indigent auxilio, & inſtitutione. Itaque hæc neceſſitas parentibus illos arctiſſime conjungit. Deinde omnes homines cum naturali quadam erga parentes veneratione (*a*) educari neceſſe eſt: inde item unio cum parentibus; atque parentum ergo amor inter ſemet. Tandem beneficiorum acceptorum memoria gratos liberos erga parentes efficit. Ea tertia unionis cauſa.

§.III. Sed de cauſis impulſivis Civitatis, atque Imperii civilis, magna eſt inter doctos diſceptatio. Sunt qui putant, opus Naturæ eſſe Civitates & Imperia civilia, ut Joannes Fridericus Hornius de Civitate lib.I. cap. IV. §. VI., quod ſcilicet naturali quodam, atque a Deo diſpoſito rerum ordine, & conſequutione naturæ, primum ſint natæ, hodieque naſcantur civitates, & Imperia civilia. Nimirum primi mortales, ex quo totum genus humanum fuit propagatum, amore conjugali captum fuit ad nuptias: inde vero natura ipſa ſoboles naturali erga parentes amore iis adhæſit: hinc familiæ paullatim multiplicatæ manſerunt inter ſeſe conjunctæ, expertæ commoda, ac voluptates vitæ civilis: quæ poſtmodo auctæ integras gentes conſtituerunt, quod Sacræ Hiſtoriæ conſentaneum eſt: hunc enim in modum illa docet pleraſque Aſiæ & Africæ gentes coaluiſſe. In Arabia notæ adhuc tribus, tribuumque eadem origo atque Hebraicarum (*b*). Notæ Tartaris (*c*). Non igitur, niſi commentum habet, quod

(a) *Quæ tamen divinitus hauſta veteribus omnibus habita. Hinc exſecrandi inferiſque devoti parricidæ. Itaque Alcmeoni Amphiarai filio, qui matrem occiderat, redditum Apollinis oraculum*, ut eam in regionem aufugeret, quæ extra omnem Tellurem a ſole id temporis illuſtratam, cum matrem necaret, eſſet. *Thucyd. lib. II.* 102. *Id quanquam aliter captum, ita tamen accipiendum puto, quaſi tota Tellure ei interdictum eſſet atque* προς αἰδα (*ubi nemo* ειδει, *videt*) ad inferos *damnatum. Planam enim Tellurem veteres exiſtimabant, ſolamque ſuperiorem Sole circumiri, & habitari. Ad inferos igitur damnat, quos ſub Terra eſſe opinabantur*.

(b) *Bolenvilliers vita Muhara.*

(c) *Hiſtoria Genghis-kain*,

quod Thucydides, Plato, Ariſtoteles, Cicero, aliique veterum retulerunt, olim genus humanum per ſilvas vagam, ac ſolitariam vitam ferarum more egiſſe; quod id commentum in eorum tantum Philoſophorum ſyſtemate locum habere potuerit, qui homines e Tellure genitos ſibi perſuaſere, alioquin conſectarium eſſet ſine principio. Ac vero gentes omnes, quæ nuper orbi noſtro innotuerunt, aliqua inter ſe civilis ſocietatis imagine conjunctæ ſunt repertæ (*a*); Vide Kolbi in deſcriptione *Capitis bonæ ſpei*, & Itineraria Americæ recentiſſima.

§.IV. Alii vero, ut Plato, & Cicero, ut ne quid dicam de Philoſophis Epicureis, quum conſtituiſſent, homines magna parte olim vagam & ferinam vitam agitaſſe, (id quod qui negat, in nationum originibus hoſpes ſit neceſſe eſt (*b*)), cenſuerunt indigentia & uti-

(a) *Societate tamen precaria utuntur, quæ nihil derogat juri ac libertati familiarum.*

(b) *Tacitus de morib. Germ. 46. Fenni, ſeu Finni Scandinaviæ populi ſic depinguntur.* Fennis mira feritas, fœda paupertas: non arma, non equi, non penates. Victui herba, veſtitui pelles, cubile humus. Sola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Idemque venatus viros pariter & feminas alit: paſſim enim concitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt juvenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienaſque fortunas ſpe metuque verſare. Securi adverſus homines, ſecuri adverſos deos, rem difficillimam aſſecuti ſunt, ut illis ne voto quidem opus ſit. *Hæc eadem dimidiæ prope etiamnum Telluris imago. Cyclopes Homeri. Odyſſ. IX. v.108.*

Ουτε φυτευουσι χερσι φυτον, ουτ' αροωσιν,

Neque plantant manibus plantam, neque arant.

Licet, ut hodie Tartaris, ac Huttentottis, pluribuſque aliis Africanis, πολλα μηλ', οἶες τε, και αιγες, plurima pecora, oves, capræ, ιαυεσκον, quieſcebant; *ut intelligamus paſtores fuiſſe, eaque pecora non fera, ſed cicura. Itaque Thucydides (I. 6.) cum eam fuiſſe olim Græcorum vitam demonſtraſſet, recte prudenterque conficit,* των ποτε και ες παντας ὁμοιων διαιτηματων, apud omnes peræque gentes eadem fuiſſe inſtituta. *Cujus rei & illud habet egregium argumentum ac præclarum, quod omnes olim gentes armatæ incederent, nec niſi ſero arma depoſuerint. Quid enim attinuiſſet, niſi ferinum in morem vixiſſent, cum telis & arcubus antris*

utilitate motos fuisse ad Civitates, & Imperia civilia statuenda, quippe a quibus ea commoda haberent, quæ aliunde frustra sperarent. Pufendorffius genuinam hanc ponit coëuntium in civitates hominum causam, ut scilicet præsidia vitæ sibi compararent contra mala, quæ homini ab homine imminent. Sunt qui putant, nefarios primum homines Imperia civilia inter se constituisse ad bonos opprimendos, bonosque impulisse ad idem efficiendum quo se tuerentur. Plerasque Græciæ civitates ita coaluisse docet Thucydides lib. I. *de bello Pelop.* In primis vero ingeniosum est Vici nostri dogma, qui ex ferino statu tonitru homines ad nuptias, & hinc familias, impulsos fuisse contendit. Inde vero partim amore naturali, partim nefariorum metu natas Civitates, Imperia civilia, Ordines (*a*). Ego sic sentio, ex omnibus hisce causis aliquas natas civitates, civiliaque imperia, quod nos veteres nationum historiæ condocent. Præclare Cicero lib. II. de Offic. cap. 6. *atque etiam*, inquit, *subjiciunt se homines imperio alterius & potestati pluribus de causis. Ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præstantia, aut spe sibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut spe largitionis promissionisque capti, aut, ut sæpe in nostra Republica videmus, mercede conducti.*

§. V. Jam societatibus omnibus, cujuscumque eæ sint generis, id commune est, ut sint veluti *personæ morales & artificiales*. Scilicet qui in societatem coeunt, in hunc finem consentire omnes debent, ut sese mutuo juvent, atque defendant, quemadmodum in persona naturali partes omnes in unam conspirant harmoniam. Atque ut ex harmonia personæ naturalis ejus salus exsistit; ita ex concordia in iisdem mediis, atque con-

antris ac casis prodire? Idem hodie mos Kanadensibus, idem Tartaris, idem Arabibus. Sed & veteris ruris ampla adhuc apud Europæos plures vestigia, qui etiam in copiosis urbibus, tanquam in obsidione, armati procedunt: res barbara, ac magnorum facinorum fons. Verum vitia politiæ, si semel vectigalia evaserint, haud facile resecaveris.

(a) *Vico* Scienza nuova.

conspiratione in eundem finem, eorum, qui societatem constituunt, nascitur, & conservatur salus. Itaque singulorum in societate coëuntium quasi unus esse debet intellectus, atque una voluntas; neque enim aliter inter eos concordia ulla esse potest. Hæc autem unitas intellectus, & voluntatis a legibus seu naturæ, seu civilibus, aut a pactis progignitur; quæ leges decretis eamdem in omnibus civilem sapientiam ingenerant; sanctione vero ad idem volendum permovent. Ita nullo modo esse potest civitas, ubi aut leges, aut pacta homines non omnes ad eadem velle, eadem nolle incitaverint. Ex quo illud sequitur consectarium curatissime observandum, omnes socios teneri ad actiones suas fini societatis conformandas, legesque societatis ac fidei vinculum sancte servandas: nisi enim efficiant, dissoluta sit societas necesse est: nam το πιϛον, ut ajunt Græci, *fides*, sine qua nulla civitas, legum reverentia continetur. Itaque ex fine societatis officia sociorum sunt deducenda. Officia autem dico, quæ societatem ipsam spectant: nam de officiis societatis adversus societatem idem omnino dicendum est, quod de officiis hominis adversus hominem præcepimus, quoniam singulæ societates, seu magnæ, seu parvæ, velut personæ morales sunt, quarum jura intacta servanda sunt. Quare non justa est tota ille Legatorum Atheniensium apud Thucydidem jactatio, *ita perpetuo comparatum esse, ut imbecilliores civitates a potentioribus coërceantur* (a), seu regnentur (αρχεσθαι): usurpatio id facit, non jus.

§. VI. Ut autem per summa capita præcipua societatum officia prosequamur, initium faciemus a simplicibus, idest a conjugio, & familia, quæ sunt majorum

(a) *Lib. I. 43. pag. 51. edit. Amst.* 1731. Ουδ' αυ πρωτοι τȣ τοιȣτȣ ὑπαρξαντες, αλλ' αει κατεϛωτος του ἡσσω ὑπο τȣ δυνατωτερȣ κατειργεσθαι. Neque vero nos primi hujus exempli auctores fuimus: sed perpetuo NATURÆ JURE est constitutum, ut imbecillior a potentiore coerceatur. *Quo in loco* το naturæ jure *de suo jecinore addidit interpres, sententiamque Atheniensibus affricat non iniquissimam modo, sed minus etiam doctam. De facto agitur, cujus ratio non tam a natura desumitur, quam ab eo, quod ut plurimum fit.*

jorum cœtuum & civitatum ſeminaria. Ita autem hæc officia expediemus, ut cum iis, quæ ratio & jus naturæ præcipiunt, leges etiam chriſtianorum ſacras conjungamus aliquando: philoſophamur enim, ſed Chriſtiani, & inter Chriſtianos, quorum philoſophiam nec Platonica comitas modeſtiaque æquaverit; nec Ariſtotelis vincet ſubtilitas; nec ullius hominis ingenium plene unquam, niſi Theodidacti, aſſequutus fuerit. Utinam per mores ſæculumque integram habere liceret, nec eo dementiæ veniſſemus, ut falſis utilitatibus jucunditatiſque cauſis capti, hanc vitæ fœditatem, placidæ illi, incorruptæ ac beatæ anteponere, felicitatem vocaſſemus, vitiorumque patrocinium (infandum!) Philoſophiæ penſum feciſſemus. Conjugii, ſeu nuptiarum naturales fines duo ſtatui poſſunt, procreatio educatioque prolis, & vitæ ſocialis voluptas; quos fines & ratio naturalis dictat, & aperte docet Scriptura, quum alibi, tum præcipue initio Geneſeos. Enimvero ſine conjugio genus humanum & *unius eſſet ævi turba*, ut ille eleganter dixit: & fas non eſt, ut qui ſunt ratione præditi, ferocia, ut ait Plato, animantia in civitatem invehant, quales futuri eſſent homines ſine cultura, & educatione. Quare non ut generent ſolum liberos, ſed & ut educent excolantque, mas & fœmina nuptias ineunt. Sed & ſocietas conjugum, præſertim ſi mores & temperamenta utriuſque ſibi ſint concordia, vitam efficit lætiorem & jucundiorem, habetque vim amicitiæ incredibilem, quum in proſpera, tum in adverſa fortuna, quod ex iis, quæ ſuperius de amicitia diſſeruimus, facile intelligitur, ut hic tertius vitæ conjugalis finis conſtitui poſſit. Quod autem ajunt quidam, & veneris uſum nuptiarum eſſe finem, non poſſum probare: impetum enim veneris velut inſtrumentum procreationis nobis Natura indidit, ut medium ſit potius nuptiarum, quam finis. Nam quod Apoſtolus ait, *propter concupiſcentiam unuſquiſque habeat uxorem ſuam*, id ſic accipio, ut quoniam omnes homines hoc naturæ ſtimulo incitantur; nec poſſit ei ſatisfieri ſine nuptiis, quin aut hominum procreatio omnis impediatur, aut omnes Civitatis ordines perturbentur;

bentur; nuptiis potius fiat, quam ullo alio modo. Ita autem fit, ut ad sobolis procreationem, & vitæ pacem, ac tranquillitatem ordinetur.

§. VII. Ex iis finibus deducenda sunt officia virorum & uxorum, quæ nos paucis hic indicabimus. Ac principio viri debent amare uxores suas. Eum enim amorem & natura conjugii postulat, quod amicitiæ genus est arctissimæ; & Scriptura divina præcipit (ad Ephesios cap. V. 23. ad Coloss. cap. III. v. 19.) II. debent eas curare, ut seipsos, earum saluti, incolumitati, prosperitati studere, tanquam si essent una persona: qua ratione intelligendum est illud Dei verbum in Genesi, *quamobrem relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. III. Debent eorum malis succurrere. IV. Omnia externa amoris testimonia ipsis dare. V. tribuere illis honorem, ut infirmioribus, quod præcipit Apostolus epistola I. ad Corinth. cap. III. v. 7. VI. Imperium suum in eas ita moderari, ut pateat eos cum ipsis cohabitare, tanquam cum amicis, non tanquam cum ancillis. VII. Nævos tolerare, si corrigi non possint. VIII. Non eas excipere verbis asperis, aut minacibus, ac ab humanitate abhorrentibus, non vultu austero, moroso, torvo, & iram, odiumve spirante, non factis ab ira, & odio profectis, non verbis, aut gestu, quibus contemtus significetur: sunt enim hæc amicitiæ contraria, quæ inter conjuges esse debet & arcta & sincera. IX. Debent ipsis servare fidem tum quia eam promiserunt, tum quia, quoad illæ vivunt, non sunt domini sui corporis, ut monet Paullus Apostolus I. ad Corinth. VII. v. 4. & 5. Virorum itaque virtutes esse debent, Dei amor, prudentia, mansuetudo, ac lenitas, vigilantia, diligentia, animus fortis. Horum omnium una ratio est, quia nec vita hæc socialis pacata & tranquilla sine his virtutibus esse potest, nec ulla prolis procreatio & educatio inter dissentientes atque improbos conjuges.

§. VIII. Officia uxorum sunt. I. Debent subjici maritis in omnibus, quæ a Deo prohibita non sunt: quia viri natura ipsa prærogativam quasi principis gerunt in fami-

familia: quocirca nullo modo uxores auctoritatem sibi usurpare in maritos fas est (*a*). Vide ut hæc inculcat Scriptura I. Petri v. 3. cap. I., ad Ephes. V. v. 4., I. ad Timoth. cap. II. v. 12. I. ad Corinth. cap. II. v. 8. II. Quod ex antecedente sequitur, revereri debent maritos, &, ut verbis Petri Epist. I. cap. III. v. 6. utar, *colere, ut Sara Abrahamum*. III. Tenerrimo amore complecti, & omni obsequio legitimo ipsorum benevolentiam sibi conciliare. IV. Fidem ipsis inviolatam servare. V. Eorum malam indolem sua mansuetudine, & prudentia vincere. VI. Condonare ipsis, si quid duri adversus eas præstiterint. VII. Eos sedulo curare, & iis opem ferre in omnibus. VIII. Eorum bona, vel pessima œconomia, vel malis artibus nunquam dilapidare, & consumere. IX. Eorum saluti æternæ sermonibus piis consulere. Præclare quidem ad hæc significanda veteres Germani, ut ex Tacito discimus *de moribus Germanor.* consueverant in nuptiis mariti juxta & uxores dona hæc sibi mittere, boves jugatos, hastam, equum phaleratum (*b*). Virtutes igitur necessariæ in mulieribus sunt lenitas, castitas, fides, diligentia, prudentia,

(a) *Hinc apud omnes peræque gentes custoditum, ut uxores in domus virorum concederent: nam Regna Amazonica vix ullibi, ac per morum quandam lasciviem, aut si hæreditas invitet, reperias.*

(b) *Platonis lex est in* VII. *de legibus*. Ne dimidia generis humani portio marcescat inutiliter, pereatque, iisdem tam masculi, quam fœminæ artibus exercitiisque subigantur. *Itaque & arma quoque tractare vult mulieres. Sed Civitatem militarem adornat. Nostris hisce moribus & nobiles ubique adolescentulæ, & in urbibus magna quoque plebis pars, nihil ferme aliud sibi a natura pensi datum persuasum habent, quam sese comere, amare, potare, omnique modo lascivire, insanire postremo. Ubi igitur* MULIER FORTIS? *Hinc illæ familiarum lacrymæ: hinc domuum prostitutio. Totam itaque puellarum ac puerorum institutionem ac disciplinam reficiendam ego puto iis, qui bonas, castas, prudentes uxores petunt. Tacitus loco laudato cap.* 18. Nec se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prælio passuram, ausuramque. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum.

dentia, modestia, œconomia, pietas (*a*).

§. IX. Porro officia parentum erga liberos sunt. I. Parentes debent amare liberos; tantum non stulte deperire: nam eorum amor necessarius est & ad societatem familiæ pacate conservandam, & ad probam educationem: stultus utrique rei adversatur. II. Honeste educare. Complectitur autem honesta educatio quum rectam atque honestam intellectus & voluntatis institutionem, tum exercitia, alimenta, & cultum corporis. Exercitium corporis continuum esse debet ac durum; alimenta, liberali homine, ac puero digna. Vitanda itaque sunt pigritia, luxus, & sordes, quæ extrema sunt educationis vitia. III. In veritatibus Christianis accurate eos instruere, Dei in illis amorem, & pietatem instillare, horrorem vitii ingenerare, non solum verbis, & adhortationibus, verum maxime exemplo vitæ suæ: dici enim vix potest quantopere animi puerorum ab exemplo majorum commoveantur: sunt enim infantes & pueri molli ceræ simillimi, in quibus quidvis vultu, gestu, verbis, actione quacumque facile impresseris. IV. Castigare, quum est opus (*b*), licet non ultra modum: neque enim id natura, neque prudens institutio exigit: quippe nimia pœna ingenium liberorum obtunditur, & de liberali fit servile. Ceterum ut severius in liberos imperium paternum non est secundum naturam, ita nimia ejus imperii diminutio, quæ apud eos sensim veteri disciplinæ successit, rectæ liberorum educationi adversatur. Ac quemadmodum veteres nationum leges nimia severitate peccarunt, ita re-

(a) *Sed castitas in primis:* neque enim, *ut ait ille*, mulier, amissa pudicitia, alia abnuerit. *Quam tamen ecquæ servet iis in gentibus, in quibus* vitia ridentur, ac corrumpere & corrumpi sæculum vocatur? *Tacitus ibid.* Severa illic (*apud Germanos*) matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris . . . . . septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ . . . Paucissima in tam numerosa gente adulteria; quorum pœna præsens, & maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia: non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit.

(b) *Salomon in Proverb.* Qui parcit disciplinæ, odit filium suum.

recentia instituta nimia indulgentia. V. Nullis eorum vitiis blandiri, ne pueri ſibi perſuadeant & majora licere. VI. Affectus eorum, quum erumpunt, reprimere, ſed rationibus & facili mechanica, non injuriis, in quo imprudentes patresfamilias plerumque peccant. VII. Eos non irritare, vel honeſta atque æqua illis denegando, vel nimis ſevere eos tractando, vel immerentes verberando, vel nihil condonando. Nam illud, ſummum jus eſt ſumma injuria, & huc quoque pertinet.

§. X. Porro VIII. parentum erga liberos officium eſt, nunquam iis aliquid mali præſcribere; ita enim auctoritate parentum ſceleſti fieri occipiunt, ac deinceps vix ulla medicina corrigi poſſunt. IX. Eorum nævos tolerare, quum corrigi nequeunt. X. Ipſis comparare bona neceſſaria: impelluntur enim eo a natura ipſa, quæ non tantum affectum erga commoda liberorum in parentibus ingenerat, verum etiam aperte docet, quoniam liberum fuit parentibus abſtinere a conjugio, liberis non perinde naſci, ut eorum ſuſtentationi proſpiciant. Scilicet poſtquam voluiſti finem, neceſſe eſt ut & media velis. XI. Arte aliqua, pro cujuſque conditione, erudire: nihil enim nec pejus, nec infelicius homine omnis artis rudi, & nihili (*a*).

§. XI.

(a) *Illa mihi quæſtio perardua ſemper viſa eſt*, oculiſne, an auribus formentur pueri. *Ac pleriſque noſtrum video perſuaſum, auribus: inde ſunt illi* μακροι λογοι, longi ſermones: *illa alta longeque petita conſilia: tam multæ & parentum, & pædagogorum objurgationes. Nugæ. Ego oculis factiſque inſtituendos formandoſque pueros exiſtimo; quod præterquamquod ſat oſtendit ratio, longo quoque didici experimento. Fruſtra, imbecillis adhuc animis ſapientiam nudis dictis inculcaveris, factis ſtultitiam, luxum, petulantiam, iracundiam, avaritiam, prodigalitatem, ſuperbiam, obſcœna flagitia, otium, totamque illam ac opimam vitiorum ſegetem, queis magnæ urbes, ac polita, ut vocantur, ſecula conſpurcantur. Quæ ſi emendare aut nequimus, aut nolumus, qui depravatam ſtultamque juventutem lamentamur? Pudet me, cum veterum Perſarum inſtituta moreſque apud Xenophontem* (Κυρȣ Παιδειας *lib.* 1.) *lego, nos, qui ceteris barbariem alto ſupercilio exprobramus, & ſapientia & moribus ab illis vinci. Nam illi hos in primis curabant, ut pueros communi civitatis conſilio, ac factis, non nudis dictis, ad juſtitiam & honeſtatem erudirent.*

§. XI. Officia autem liberorum erga parentes ſunt ſequentia. I. Amare parentes tenerrimo amore, & hunc amorem omnibus occaſionibus teſtari. Eſt enim id conſequens non naturæ tantum, verum etiam beneficiorum parentum in liberos (*a*). Ceterum non plus amare oportet, quam Deum (*b*), quod Chriſtus Servator noſter præcipit Matth.X.v.37. II. Revereri eos, & omnia reverentiæ officia exhibere, ore, geſtu, & opere, non ſolum tanquam vitæ noſtræ auctoribus, verum etiam, ut ætate majoribus. Dici vix poteſt quantum hujuſmodi reverentia erga majores conferat & ad honeſtam diſciplinam, & ad publicos mores, ac civitatis tranquillitatem. Si Spartanorum hac in re adoleſcentium pudorem, & reverentiam erga majores natu referre vellemus, quod facit Plutarchus pluribus in locis, puderet nos, qui Chriſtiani ſumus, longe ſæpe ab iis ſuperatos. III. Obedire iis in omnibus, quæ Dei legibus non ſunt contraria. IV. In neceſſitatibus iis ſubvenire (Matth. XV. 4.). Duæ ſuperiores propoſitiones perſpicue derivantur, & ex jure parentum in liberos, quod regium eſt; & ex jure liberorum gratitudinis. V. Eorum nævos tolerare; nec irridere, ut Cham, qui idcirco in filio fuit maledictus a Deo. VI. Nunquam aut audaciter, aut iracunde in ipſos inſurgere: eſt enim id e diametro oppoſitum reverentiæ, quam natura parentibus debemus. VII. Nihil alicujus momenti aggredi abſque ſuis conſiliis, præſertim nuptias, reſque alias graviores. Præclara ſunt hujus honeſtatis exempla & in familiis Patriarcharum, quorum hiſtoriam Moyſes in Geneſi deſcripſit, & in vetuſtis Romanorum familiis. Dici non poteſt ſatis, quantopere id conferat ad finem familiæ. VIII. Eorum famam quum fieri poteſt, tueri: quippe quorum exiſtimatio ad

(a) *Xenoph. Cyri Inſtit. lib.* I. Ingratos homines nulla Deorum cura, nulla parentum, patriæ, amicorum adfici arbitrantur (*Perſæ*). *Itaque ingratos* κολαζετι ισχυρως *vehementer caſtigant*.

(b) *Meminerint tamen ita ſe rite amare Deum, ſi ejus Legem & didicerint probe curateque, & ſancte ſervaverint: nam qui leges non ſervat, & Deum odit, cujus ſunt illæ æternum imperium, & homines quibus regendis datæ ſunt.*

nos quoque pertinet. IX. Precibus Deo commendare.

§. XII. Officia fratrum & sororum sunt. I. Ut mutuo se amore prosequantur; is enim amor ad concordiam familiæ necessarius est; neque quidquam familias magis dissipat, ac evertit, quam hujusmodi inter fratres bellum civile. II. Ut nunquam sibi invicem invideant, quæ causa fuit primi, quod in Tellure contigit, fratricidii, unde tot mala in secta Cainitarum pervenere. III. Ut delatoribus aures non præbeant: sunt enim inter homines quidam ita comparati, ut gaudeant discordias serere, quo in turbido sibi consulant. Itaque cum hujusmodi referuntur res a malignis hominibus, prudentiæ & amoris, ac sinceritatis, fratrum erit statim aperire blandis verbis, ne occulta gliscant mala, sed patefacta evanescant. Est enim animus corporis tumori similis: nisi scilicet evacuetur, perpetuo inflatur, usquedum perrumpat. IV. Ut mutuis commodis invigilent, & sibi auxilium præstent. V. Ut ad virtutem, & pietatem se mutuo excitent, atque adhortentur. VI. Ut minores majoribus deferant honorem: majores vero blandissime cum minoribus agant. Eorum omnium una semper est ratio, quia scilicet id poscit & ipsa hominis natura, & finis familiæ, cui contraire est jus omne naturæ pervertere.

§. XIII. Jam pertinent ad familias & servi. De servorum adversus dominos officiis nihil interest quidquam hic præcipere: iis enim non scribimus (a). Dominorum vero officia uno verbo comprehenduntur ab Apost. ad Coloss. IV. v. 1., ut scilicet *æquitatem servis exhibeant*. Quam vero dicit æquitatem in sequentibus consistit officiis. I. Ut nihil, nisi justum, & æquum præcipiant, nihil, nisi honestati consentaneum, nihil, nisi cujusvis viribus, ætati, ingenio adaptatum, & in his præcipiendis non utantur verbis asperis, vultuque torvo, sed blandis, ac subridenti. Maxime enim prudentiæ est, cum amore aliquid a servis exigere possis, ne modis petas, qui odium pariant. Nihil pulchrius est dominis, quam amari a servis; ita familiæ concordiæ

(a) *Vide Elementa juris naturæ*.

diæ & paci prospicitur: ita familia ex hominibus honestis, atque ex virtute viventibus conflatur. Ad rem Cicero lib.II. de Offic. cap.7. *rerum omnium nec aptius est quidquam ad opes tuendas, quam diligi, nec alienius, timeri. Præclare Ennius.* Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perisse expetit .... *Malus enim custos diuturnitatis metus: contraque, benevolentia fidelis est vel ad perpetuitatem.*

§. XIV. Alterum dominorum adversus servos officium est, ut ne in eos absolutum ac despoticum imperium exerceant, nec sibi ullo jure permissum imaginentur; sed dominium limitatum (*a*), cujus rationem reddere debeant Deo, ut Domino communi ipsorum, & servorum, quemadmodum docet Paullus Apost. ad Ephes. III. v. 9. Despoticum enim imperium manifesto contrarium est naturali hominum æqualitati, de qua superius dictum est. II. Ut iis suppeditent humanissime, quæ ad eorum victum, & vestitum pertinent. III. Ut eos instituant in doctrina religionis, & morum: in quo officio exercendo, vix dictu est facile, quam sint hujus ævi domini pigri, atque immemores, quantaque eam ob rem improborum & perditissimorum hominum colluvie majores urbes inquinatæ sint. IV. Ut erga eos sint humani & lenes, non cum ipsis tanquam cum pecudibus agentes, in quo item publice peccatur. V. Ut ab iis immoderatos labores non exigant. VI. Ut eos mercede justa non fraudent. VII. Ut in morbis aut senectute eorum rationem habeant: poscit enim id & gratitudo, & peculiaris societatis dominorum, ac servorum amor: ita ut jure inhumanus is habeatur, qui in hujusmodi necessitatibus servos dejicit, aut deserit. VIII. Ut protervos corrigant, & eorum contumaciam blande primum, mox etiam severe, curent, inemendabiles autem expellant domo. IX. Ut non patian-

(a) *Tacitus de Mor. Germ.* Cæteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur (*Germani*): suam quisque sedem suos penates regit ..... Verberare servum ac vinculis & opere coercere, rarum. *Hæc barbari. Romani, imperio æquo regendis populis nati, loco pecorum habuere.*

tur eos ignavos, ebriosos, blasphemos, aut erga alios injuriosos.

CAPUT XIV.

De jure Imperantium, tum de Subditorum officiis.

§. I. Divisio statuum hominum in societate civili viventium praecipua nascitur ex ratione imperii, ut alii scilicet sint Principes, alii Subditi, alii Magistratus, alii Populus. De quorum officiis nunc eodem compendio, quo superiora sunt explicata, dicemus (*a*). Sed primum paucis expedienda est origo summorum imperantium. Duo sunt in summis imperantibus consideranda, persona, quae imperat, & jura, quibus imperat. Personae electio a familiis fuit, quae sive expresse consenserint, ut ea potius quam altera regnaret, ut in regnis electivis; sive semel regnatricem familiam elegerint, ut in regnis hereditariis, perinde est. Quod pertinet ad jura summorum imperantium, ea duum sunt generum, *interna*, & *externa*, ut vocant. Interna sunt, quae respiciunt internam constitutionem & pacem imperii: externa vero, quae spectant externam securitatem. Utraque a Naturae fontibus proficiscuntur, adeoque jura sunt divina. Atque hoc sensu, opinor, Paullus Apost. in Epist. ad Rom. c. XIII. scribit, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, quia non est potestas, nisi a Deo*. Hinc fit, ut in istiusmodi juribus principes soli Deo subsint (*b*), ac propterea ut a nemine in eorum exercitio impediri queant: non enim a subditis, quorum in obsequio tantum gloria relicta est: nec ab aliis Principibus, cum quibus sunt in statu naturae, adeoque aequalitatis. Ita igitur sunt *capita politica*, *ac corporis politici moderatores*, ut caput

(a) *Nam ea de re acturi sumus copiose in opere, quod superius commemoravimus*, De jure, & officiis, quae ex lege naturae sequuntur, libri IV.

(b) *Hinc Homero emphaticè dicti* διοτρεφεες βασιληες, Jovis alumni.

put corporis phyſici. Qua ex re fit, ut quemadmodum in corpore phyſico nullum membrum non imperio capitis paret, ita in politico nulla familia, ac nulla persona Civitatis non uni eidemque imperio parere debeat: alioquin Regnum in Regno erit, totaque Civitas biceps ac ſibi inimica.

§. II. Porro jura majeſtatis interna ſunt. 1. Leges jubere. 2. Earum effectum imputare, pœnam ſcilicet, vel præmium civile. 3. Magiſtratus conſtituere. 4. Tributa, aut vectigalia imponere, ſi id Reip. ſalus exigat. 5. Invigilare circa commercia, adeoque menſuras, pondera, rerum qualitates, monetas, ut ſcilicet & copia, & juſtitia in civitate cunctis modis regnet. 6. Tutelam religionis ſuſcipere, ſummoque imperio uti in omnes, per quos Reip. ſalus turbari poteſt. Hæc ex civitatis, cui præeſt, fine intelliguntur, nempe publica ſalute & felicitate. Externa ſunt. 1. Jus militiæ. 2. Jus belli & pacis. 3. Jus legatorum mittendorum. 4. Jus fœderum feriendorum, ac cetera, quæ ſpectant externam ſecuritatem civitatis. Ex fine civitatis officia Imperantium deduci debent, quæ his duobus continentur. 1. Omnia efficere, quæ ad tranquillitatem, proſperitatem, & ſecuritatem civitatis neceſſaria ſunt. 2. Ab iis omnibus, quæ civitatem deteriorem efficere poſſunt, cavere: alioquin Deo aut negligentiæ, aut injuriæ datæ pœnas reddituri ſunt acres. Sed de his diſſerere politicæ ſcientiæ eſt, quam hoc in loco tradere non vacat (*a*). Populorum ergo, quod noſtra intereſt, officia explicemus.

§. III. Primum itaque populi officium eſt Principes honorare, quia eorum jura, & poteſtas divinæ ſunt originis, ut ex ſuperioribus conſtat. Diſerte id quoque præcipit Scriptura ſacra Prov. VIII. v. 13. ad Rom. XIII.

 v. 1.

(a) *Sequentes libri plene eam rem tradent*, Platonis libri de Legibus XII. plane aurei: Ariſtotelis libri Politicorum VIII.: Bodini Opus de Republica: Menochii, & Boſſuetii Politicæ: Inſtitutio Principis Dughet: Gordon ad Tacitum: Huberus de Jure Civitatis: Monteſquieus in opere illuſtri L' Eſprit des Loix. *Ex his alios diſcere non eſt difficile, hujus præſertim ætatis, in qua nulla de re nec copioſius, nec accuratius pertractatum eſt.*

v. 1. Nam quemadmodum Episcopi sunt ministri Dei in iis, quæ ad Religionem & pietatem Christianam pertinent, *quos Spiritus Sanctus posuit rectores Ecclesiæ;* ita Principes sunt Dei administri in regimine politico, ut ordinata, ac pacata sit hominum vita. II. Amare eos, ut patres populi, a quibus multa commoda ad nos redundant. Amare porro non tantum amore amicitiæ, velut homines nobis natura æquales, verum etiam amore obsequii, qui scilicet cum timore filiali sit conjunctus, vel ut statu superiores. Hæc duo officia ex ipso publico societatis fine demonstrari possunt. Nam quoniam imperantes Reip. bono constituti sunt, quidquid officii in eos a subjectis præstatur, in bonum publicum confertur. Præterea veneratio, amor, ac timor communis civitatis Patris ac Principis in membra ipsa politici corporis diffunditur: probi enim & obsequiosi erga Principem cives se mutuo quoque verentur ac amant; ex quo reciproco amore publica fluit felicitas. III. Iis obedire in omnibus, quæ Naturæ non obstant. Nam jure naturæ imperant, cui contraire sine crimine nequimus. Docet idipsum aperte Paullus Apost. in Epist. ad Rom. cap. XIII. ut intelligere possimus falsam esse & seditiosam quorundam Casuistarum doctrinam, *Leges civiles non obligare in conscientia;* quæ locum habere non potest, nisi iis in gentibus, ubi publico judicio constat, eas leges non e publica, sed e privata esse utilitate. IV. Iis solvere tributa; nam ea seu expresse, seu tacite pacti sumus: neque vero sine iis Principes onera imperii portare possunt. Præcipit hoc ipsum idem Paullus eodem loco. V. Iis servare fidem, non fovere seditiones nec perduelliones: sunt enim hæc omnia contra obsequium, quod principibus debemus. VI. Precari Deum pro iis (*a*). Nec refert, si quandoque minus sint honesti, ac justi; nostri enim non est, sed Dei id dijudicare, quum Deum tantum in terris superiorem habeant Imperantes. Sed & discimus ex Tertulliano, aliisque veteribus Christianæ religionis apologistis, priscos illos Christianos Deum

(a) 1. *ad Timoth. cap. II.*

Deum precatos fuisse etiam pro iis Romanis Imperatoribus, qui Christianos exquisitis modis vexabant. Accedit, quod eorum, si quæ forte sunt vitia, magnis commodis, quæ inde in civitatem redundant, compensatur. Tum egregium illud Taciti memorandum est, *toleranda regum ingenia, nec usui esse crebras mutationes.*

§. IV. Quæri solet, qui sint Imperantibus subditi. Respondeo I. Quicumque jus civitatis habent: nam imperans civitati præest. II. Qui lares in civitate fixerunt, etiamsi jus civitatis adepti non sint: ad corpus enim pertinent. III. Peregrini quousque in civitate versantur, in iis, quæ ad totum corpus spectant. Brevi, nulla nec familia, nec persona non supremo imperio subjecta est: alioquin civitas partim imperio regeretur, partim agresti libertate vagaretur.

CAPUT XV.

De Officiis Magistratuum.

§. I. Dicamus nunc de officiis Magistratuum. Quantopere Reip. intersit ab optimis Magistratibus gubernari, nemo est qui non intelligat. Nihil enim juvat ad publicam felicitatem bonos habere Principes, ac sapientissimas leges, nisi Magistratus quoque, qui præsunt, idonei sint, & boni, sapientes scilicet, ac moribus integri: sunt enim Magistratus non tam ministri legum, earumque interpretes, &, ut Jurisconsultus ait, *Sacerdotes justitiæ*, quam vivæ leges, *aut vivæ legum voces*, quemadmodum eleganter vocat Marcianus *lege 8. ff. de justitia, & jure;* ex quibus proinde totus Reipublicæ ordo pendet. Itaque optimi, & sapientis Principis est non solum civitatem sanctissimis legibus ornare, sed in primis prudentes scientesque juris Magistratus ei præficere. Pertinet huc Platonis illud vulgatissimum, *felices Respublicæ, in quibus aut Philosophi regnant, aut Reges philosophantur.* Philosophos autem dixit non eos, qui in sterili contemplatione versantur, sed qui in mundo agunt hominum, quique didicerunt & hominum mores, & quæ

civitatibus utilia, quæ noxia ſint, quique ipſi viri boni ſint, ideſt & in jure dicendo incorrupti, exprompti, fortes, & aditu faciles, & in rebus gerendis multæ patientiæ. Itaque in Magiſtratibus ampliſſima cognitio, & *incoctum generoſo pectus honeſto*, & magnus animus ac fortis exigitur.

§. II. Primum igitur officium Magiſtratus eſt, ut legum ſcientiam habeat, ita ut in eo ignoratio ſit ſemper culpa, eaque graviſſima; in Reipublicæ enim vergit perniciem. Qua in re animadvertendum eſt, non ſufficere eam legum ſcientiam, quæ ex compendiolis diſcitur, quæ ſunt hodie Legum & Politicæ ſtudia ferme omnia, ſed neceſſariam eſſe omnigenam prudentiam civilem, & politicam, quæ ſive ex natura ipſa hauritur, ſive ex doctorum hominum commentariis, ſive ex hiſtoria nationum, ſive ex legibus & moribus propriæ gentis. Alterum officium eſt, ut prudentiam, ſolertiam, vigilantiam, maximamque animi attentionem adhibeant in hominum actionibus expendendis, & ad præſcripta legum regendis. Tertium eſt, ut ſe liberos contineant ab omni affectu amoris, iræ, odii, avaritiæ, metus, &c. neque enim bene judicare poteſt corruptus judex. Quartum officium eſt, ſubditorum ſaluti conſulere, eamque pro viribus curare, tum Religioni veræ patrocinando, tum pacem & tranquillitatem civilem conſervando, tum Principi ſuppeditando ſapientiſſimas leges, & ſecundum eas prudenter, fortiter, & incorrupte jus dicendo. Plura ſunt ſuper ea re a Juriſconſultis Romanis egregie tradita, quæ Tribonianus collegit in primo digeſtorum libro a titulo IX. ad ultimum, quæ ſi ut lectu digniſſima ſunt & leguntur a pluribus, ita opere ipſo exigerentur, næ eæ felices Reſp. quibus hujuſmodi præeſſent mortales. Sed & præclare eadem de re diſputatum eſt ſæpe graviterque a Platone in opere aureo de Legibus, & ab iis Auctoribus, quos ſuperius laudavimus.

§. III. His dotibus, & virtutibus qui fuerint deſtituti ad Rempublicam gerendam accedere ſine graviſſimo crimine non poſſunt. Quid enim eſt aliud eam perſonam velle gerere, quam neſcias? Quid autem

Reip. illudere? Quid aliud Deum, & homines contemnere? Nam non idem eſt magiſtratum gerere, atque viliſſimas quaſque artes mechanicas, in quibus ſive excellas, ſive ſis mediocris, aut ineptus, haud magno publico fit malo: eſt enim nobiliſſimam Reipublicæ partem manu tenere, & , ſi neſcias, totam peſſumdare (*a*).

§. IV. Officia populorum erga Magiſtratus ſunt, primum, iis obedire in omnibus, quæ naturalia & divina jura non lædunt: nam & vices Principum gerunt, quibus ex jure naturæ obedientia debetur, & contra naturæ jura nihil mortalibus permiſſum. Secundum, timere, revereri, honorare velut adminiſtros Dei in regimine politico. Diſerte id docet Paullus Apoſtolus in ſæpe laudata Epiſtola ad Rom. cap. 13. Tertium eſt, iis reſiſtere (*b*), ſi aut Religioni Chriſtianæ quidquam adverſum jubeant, cum oporteat obedire Deo magis, quam hominibus; aut leges Reip. fundamentales improbo conatu evertere moliantur. Ratio eſt, quia tunc Magiſtratus non ſunt, ſed Reip. hoſtes clandeſtini, eoque nocentiores. Non eſt autem difficile, reliqua capita officiorum noſtrorum adverſus Magiſtratus ex his paucis principiis derivare.

CA-

(a) *Subit hic mentem egregium Periclis verbum:* ego, Athenienſes, domeſtica magis noſtrorum civium peccata pertimeſco, quam hoſtium conſilia: μαλλον γαρ πεφοβημαι τας οικειας ἡμων ἁμαρτιας, η τας των εναντιων διανοιας. *Thucyd. lib.* 1. 144. *Quæ cum omni in Civitate vera ſunt, tum in iis veriſſima, in quibus corrupti jam pridem mores, pro ſapientia ſomnum & crapulam induxere; proque juris ſcientia Rabularum ſtudium.*

(b) *Cum dico* reſiſtere, *cave ne armis putes, aut ulla vi: ſola patientia reliquæque animi virtutes Chriſtianorum ſunt arma. Preces igitur adhibendæ; & ubi inutiles, indurandum,*

CAPUT XVI.

De Officiis, quæ ex variis animi aut corporis ſtatibus proficiſcuntur, ut ſenum & juniorum, divitum & pauperum, ægrorum & ſanorum.

§. I. SUnt quædam alia hominum officia, quæ proficiſcuntur ex diverſis ſtatibus animi, ætatum, bonorum fortunæ, & corporis; de quibus hic eodem compendio diſſeremus. Ac principio ſenum officia enumerabimus. Præclara ſunt, quæ de iis præcipit Cic. in lib. de ſenectute: qui liber curate legendus eſt. Nos paucis, ad exitum hujus libelli properantes. I. Senum officium eſt, ut ſint graves: ea enim gravitate auctoritatem ſibi apud juniores conciliant. Poſita eſt autem gravitas in ſermone, & geſtu. Sermo eſſe debet parcus, & ſententiarum plenus: geſtus rarus, nec ludicrus: nihil enim turpius eſſe poteſt ſene ſcurruli. II. Debent eſſe ſobrii; quod præter rationes Naturæ, quas protulit Cicero in laudato libello, Scriptura quoque ſacra docet in Epiſt. ad Titum cap. 2. v. 2. III. Oportet ut ſint patientes, nec facile in iram erumpant, quod officium major pars ſenum prætergrediuntur, atque ita odium ſui in minoribus excitant. Præſtat ad hanc patientiam adquirendam ſæpe memorare, quæ nobis adverſa, aut aliis, in anteacta vita acciderint. IV. Affectus ſuos debent moderari; perridiculi enim ſunt in ſenibus juveniles affectus, non ſecus atque veſtes juvenum: quumque præcipuus ſenum affectus ſit avaritia, omnibus modis conari debent, ut avaritiæ moderentur; præſertim quum abſurdum ſit eo tempore rebus parcere, quo brevius iis utendum eſt. Itaque ob hanc rationem tolerabilior videri poſſet in adoleſcente in longam ſpem a nutura genito, quam in ſene, omnia mox relicturo, avaritia; niſi in iis affectibus partem majorem temperamentum haberet, quam ratio. Nam temperamento fit, ut adoleſcentes lætiores, eoque liberales ſint: ſenes vero triſtiores, eoque iracundi,

di, & avari. Sed poteſt plurimum in temperamenta procul dubio ratio, eaque cum omnibus, tum ſenibus præcipue utendum.

§.II. Non eſſe debent queruli de vitæ brevitate: idem enim dici poſſet & ab eo, qui octingenteſimum annum vixiſſet; quia nempe præterita ætas quamvis longa, quum effluxit, nulla conſolatione permulcere poteſt ſtultam ſenectutem. Quocirca oportet recte, & ſapienter vixiſſe eum, qui ſapienter mori velit. Quibus enim nihil opis eſt in ipſis ad bene beateque vivendum, iis (inquit Cato apud Ciceronem) omnis gravis eſt ætas. Qui autem omnia bona a ſe ipſis petunt, iis nihil poteſt malum videri, quod naturæ neceſſitas ferat. Sed certe ſunt hac in re hominum mores ac judicia prorſus perridicula. Iidem enim nos, qui ſæpe de vitæ brevitate conquerimur, quum aut otium eſt grave, aut vel leviſſimæ moleſtiæ angunt, aut ſpes agitat, temporis quaſi æternitatem lamentamur. Ita fit, ut ne ipſi quidem ſciamus qualis ſit optanda ætas. V. Inſtruere juniores in vitæ præceptis, ac regulis, ac in eo efficiendo & ætatis auctoritate, & veterum rerum memoria uti. Sed in eo cavere debent a vitio ſenibus prope communi, loquacitate, & acti temporis laudatione, inſectatione præſentis: id enim aut a ruſticitate provenit, aut ab indignatione non juſta erga præſens, quod ſtatim ſunt relicturi. Quocirca omnia ratione, & maturo judicio expendere debent. VI. Petere a Deo quotidie peccatorum ſuorum veniam, ſcientes quoniam vitæ humanæ terminus appropinquat.

§. III. Officia juniorum ſunt ſequentia. I. Studioſe vitare juveniles cupiditates, quæ hanc ætatem tranſverſum agere ſolent. II. Audire rationem in omnibus, & monita ſapientum, ac ſeniorum, quam ſuos privatos affectus. Niſi autem id quotidie perpendant, natura paullo fervidiore, atque exemplis corruptorum juvenum, facile a virtute abſtrahuntur, atque in vitia eunt præcipites. III. Deo ſancte incorrupteque ſacrare florem juventutis, nec expectare, ut poſtquam juventam per ſcelera omnia traduxerint, fecem ſenectutis divæ virtuti offerant. IV. Revereri ſeniores, &

iis

iis obsequi : senectus enim non gravitate tantum, verum etiam experientia vitæ, longe venerabilis est. Pudet me, quum juvenum Spartanorum & Sinensium reverentiam ac obsequium erga senes animo volvo, præsentis juvenum nostrorum impudentiæ, & immodestiæ (*a*). V. Ambitionem, prodigam effusionem, otium, luxuriem, quæ suevere esse juvenum vitia, summo studio compescere, aut vitare. VI. Fugere multiloquentiam, & jactantiam, in quæ item vitia prona est juventus. Egregium illud est, & memoratu dignissimum, quod de Zenone Stoico retulit Diogenes Laërtius. Quum enim adolescens jactabundus & loquax per multam horam caput obtudisset graviorum Philosophorum, tum Zeno gravissime, vidi, inquit, ut natura duas aures nobis tribuit, oculosque duos, unum autem os, ut nimirum audiremus, ac videremus multa, loqueremur vero paucis. Tu igitur cave, ne cerebrum per os effundas (*b*). Digna Philosopho vox!

§. IV. Est & aliud hominum status respectu bonorum fortunæ: nam alii divites sunt, alii pauperes. Divitum ergo officia sunt. I. Divitiis suis non efferri, nec superbire. Quam enim stolidum est, ea re superbire, quæ repente abire potest? Iis enim rebus homo fit vere magnus, quæ non extrinsecæ sunt, sed quæ intrinsecæ, idest ratione, & virtute. Vide, ut hoc ipsum

(a) *Xenophontis libri*, De institutione Cyri, *facile docebunt, & quid facto opus sit adolescentibus, & quam nos vel a Barbarorum, ut Græci quidem vocant, disciplina defecerimus.*

(b) *Itaque Homerus non Telemachum modo* σαοφρονα modestum prudentemque, *ac ab omni verbositate sibi timentem, sed omnes ferme alios juvenes Heroum filios summa arte expressit, quo perpulchra lectoribus exempla suppeditaret. Atque illud est lib.* IV. 27.

Ανδρε δυω, γενεη Διὸς μεγαλοιο εικτον,
Viri duo, qui proli Jovis magni similes sunt.

Erant vero V. 21.

Τηλεμαχος θ' ἥρως και Νεστορος αγλαος υἱος,
Telemachusque heros, & Nestoris inclytus filius;

qui non forma tantum atque indole minime servili, sed animi virtute, quæ sese vultu, gestu, sermone ecferebat, Jovi similes dicuntur: moratis enim temporibus, atque apud honestas gentes, ea usitata erat laudandi formula,

ipſum monet Paullus Apoſtolus in 1. Epiſtola ad Timotheum cap. VI. v. 13. II. Expendere accurate, an bonis artibus divites evaſerint; niſi enim id ſit, aliena conſumunt. Quod eo libentius moneo, quod pauci ſunt mortalium, qui poſtquam ad ſumma fortunarum evaſerunt, retro reſpiciant. III. Non collocare in divitiis fiduciam ſuam, ſed in uno Deo vivo, quod præcipit Apoſtolus in eadem Epiſtola ad Timoth. Ejus officii duæ ſunt rationes. Prima quia incerta eſt divitiarum poſſeſſio, atque eſſe poteſt Niſus, qui modo Creſus erat, ut eleganter ait Ovidius. Altera quia nec vitam præſentem tranquilliorem, & diuturniorem efficere poſſunt ſine virtute, nec animum expolire, & inſtruere. Hinc illud Salomonis: *Quid prodeſt ſtulto habere divitias, quum ſapientiam emere non poſſit?* Proverb. XVII. Accedit, quod in Scripturis Sanctis fiducia in divitiis vocetur idololatria (*a*) dicanturque divitiæ eſſe obſtaculo ſaluti noſtræ (*b*). IV. Non nimium gloriari ob poſſeſſionem divitiarum, ſiquidem non meliorem reddunt animum, nec corpus ab innumeris malis liberant. Itaque præclare Horatius,

. . . . valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.

V. Divitiis non abuti ad luxum, compotationes, atque ad frænum affectibus reliquis laxandum. Nempe earum finis unica eſt, vitæ ſuſtentatio & commoditas: quocirca qui alium in finem divitiis abutuntur, inſcite naturæ adverſantur. VI. Nunquam contemnere pauperes, in quod vitium divites proniſſimi ſunt, quod ſe una cum divitiis metientes, majores pauperibus, erroneo judicio, eſſe putant, baſim ſcilicet cum ſtatua conjungentes, ut eleganter Nicolius inquit. Eſſe ergo debent cum pauperibus liberales, eorumque amantes. VII. Iis uti ad honorem Dei, in publicos uſus, & ad veræ pietatis promotionem: ſcilicet inter officia vitæ humanæ præcipua illud locum tenet, *omnia in gloriam Dei facite* (*c*), ut docet Apoſtolus. VIII. Contenti eſſe

(a) *Ad Epheſ. V. v. 5.* (b) *Matth. XIII. v. 22.*
(c) *Iſtuc autem verbum*, in gloriam Dei, *ſic accipi velim, ut tum*

esse debent iis, quas possident, divitiis, nec immoderata cupidine novas adquirendi cruciari. Sane ex sapientum omnium scitis, nihil inter homines stolidius est, quam dum novis semper bonis studemus, nihilo magis præsentibus uti, quam si non adessent.

§. V. Officia vero pauperum sunt. I. Non murmurare adversus Divinam Providentiam, nec despondere animum. Qui enim sibi persuasit, Deum sapientissime, & effusione maxima suæ bonitatis omnia gubernare, intelligere facile potest, Deo justas esse rationes, ob quas nos in paupertate constringit: scilicet, aut ut irritamenta & illecebras peccatorum nobis eripiat: aut ut fidem, & constantiam exploret: aut ut castiget, quod suis donis abusi sumus: aut ut ab amore mundi nos divellat: aut ut formet ad patientiam. Uno verbo, ita divina providentia comparatum est, ut paupertas & miseria natura ipsa fere semper aut proles sint erroris ac malitiæ, aut sepes. Elegantissime Plautus in Trinummo *Luxuriæ* sororem germanam esse voluit *Inopiam*. II. Apud se reputare plurimas secum utili-

tum in Dei gloriam factum aliquid existimemus, cum Deo auspice propterque Deum officium fecerimus: cum legem servaverimus; quia id Deus ab homine poscit. Suntque ii & mendacissimi & iniqui, qui cum injusta aut inhumana perpetrant, se Dei gloriam ampliare velle dictitant. Quæ enim est alia Dei gloria, nisi & eum habere præ oculis perpetuo, & ne latum quidem unguem ab ejus legibus desciscere? Hanc prædicat gloriam David : In lege tua meditabor die ac nocte : *hanc Paullus :* Mihi absit gloriari, nisi in Christo, *cujus ille & præcepta pandebat, & perficiebat* in corpore suo : *hanc postremo prædicat Natura. Nam si Deus Rex est ac Pater hominum, nihil tantæ majestati placere potest, nisi justitia, caritas inter sese, hominum commiseratio. Illa vero, gentes excindere, Tellurem ferro & armis vastare, ignorantes, aut ambitioni resistentes in pecorum conferre rationes, quæ hominum sunt & scelerata, & infamia, gloria ne etiam esse possunt Dei? Proh facinus! Illud Salomonis ab ejuscemodi velim sæpe ad animum revocari :* ABOMINABILES SUNT DEO HOSTIÆ IMPIORUM. *Tum hoc Homeri :*

. . . . θεων δ’ ὑποδειτατε μηνιν
Μητι μεταςρεψωσιν αγαταμενοι κακα εργα.
Hom. O. B. 67. Et Virgilii
Sperate Deos memores fandi atque nefandi.

tilitates paupertatem conjunctas habere: gravissimis nempe ac molestissimis affectibus, quibus solent angi divites, nos paupertas liberat. Egregium est, quod de Creso Lydorum Rege retulit Herodotus lib. 1. tantum enim abest, ut ei Solon immensas divitias invi-serit, ut potius beatiorem illo reputaverit pauperem quendam Atheniensem. III. Victum sibi comparare honesto labore. IV. Ob paupertatem suam, dummodo a vitiis non processerit, nec vitiis alatur, non erubescere. Poplicola, qui primus Romanorum Consul fuit, in tanta paupertate obiit, ut de publico ærario deferri debuerit: neque interim ea paupertas tanto viro de parta gloria quidquam detulit. Phocion, quum a Rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam, his ille: *Si mei similes erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: sin dissimiles sint futuri, nolo meis impensis illorum ali, augerique luxuriam.* Nepos in Phoc. V. Non debent esse superbi: pauper enim superbus intolerabilis est. VI. non abuti eleemosynis ad intemperantiam, & luxum, quod qui faciunt, graviter peccare censendi sunt contra finem eleemosynarum. VII. Non mendicare, si aliter sibi victum quærere possunt: est enim id manifestum furtum in Civitatem. VIII. Precari Deum continenter, ut ipsis det, quo patienter ferre paupertatem possint.

§. VI. Ratione corporis alii homines sunt sani, alii ægroti. Sanorum officia sunt. I. Incumbere quantocius virtuti, dum valent, neque expectare, ut Horatius eleganter dicit, *dum defluat amnis*. Id enim est temere de vita longæva judicare. Præterea nemo certus esse potest se postea commode facturum, & difficilius fit, quum vitiorum habitus profundas jecerint radices. II. Nunquam sibi blandiri, sed quotidie se mori posse cogitare. Digna lectu sunt, quæ super hac re passim præcipit Seneca in Epistolis. III. Sua negotia omnia, dum bona valetudine possunt, ita disponere,

ut

ut nihil eos turbet inſtante morte: eſt enim id prudentiæ œconomicæ. IV. Frequentibus precibus omnia ad bene moriendum ſubſidia a Deo implorare.

§. VII. Ægrorum autem ſunt. I. Reputare ſecum Deum ipſis morbos immiſiſſe, quibus aut purgaret a vitiis, aut præpararet ad virtutem. Dici vix poteſt, quantopere ægrotos levet, atque conſtantiores efficiat hæc cogitatio. II. Deum benedicere, quemadmodum ſanctus Job, nec murmurare; illud ſecum cogitando, quod Salomon dicit, *meliora ſunt vulnera diligentis, quam oſcula odio habentis*. III. Quin gratias Deo agere, qui quum jure ſeverius poſſit animadvertere, tam leviter puniat. IV. Vitam ſuam, quum præſentem, tum veterem accurate expendere, num ſingulari aliquo crimine eum morbum meruerint. V. Remedia neceſſaria non negligere, ne videantur obſiſtere Divinæ Providentiæ, ſaltem dum remedia non ſint magis intolerabilia, quam mors. VI. Non quærere ſanitatem malis artibus. Itaque velut impia rejicienda eſt eorum opinio; qui docent, ſi morbus ſit ex maleficio, licere maleficium maleficio diſſolvere. VII. Se ad mortem ſponte componere. Quid enim turpius, & Chriſtiano potiſſimum homine indignius, quam expectare ut ab aliis vix ſi diſponatur ad mortem, ad quam continenter tendimus?

AD-

ADHORTATIO
AD STUDIA LITERARUM,

Habita in Neap. Lyceo, in ſolemni Studiorum inſtauratione an. 1749.

I. 

Ui hodie, Auditores, ad literarum ſtudia aggrediuntur, ac eorum quoque plerique, qui longius ſunt progreſſi, ita de humanitatis Diſciplinis diſſerunt, ut habere illas videantur quaſi diſtractas, quæque ipſæ per ſe conſtare poſſint, humanæ rationis particulas, natura & conſtitutione diverſas, officio, & fine diſcrepantes, ac domicilio tantum, non ſecus atque plantas, quæ communi ſolo committuntur, cognatas copulataſque. Quam late hæc opinio permanaverit, ſcire hinc licet, quod ex tanta hominum copia, qui litteris animum applicant, vix unum aut alterum reperiamus, qui tota earum ſpatia percurrat, quique tunc demum ſe in ſingulis profeciſſe agnoſcat, quum omnes uno veluti vinculo, &, qua ſunt a natura factæ, concatenatione conjunxerit. Reliqua turba & Philoſophorum plebes id ſibi penſi datum credunt, ut ceterarum incurioſi, partem quampiam decerpant, ſeu quam ſors obtulerit, ſeu quam domeſticæ rationes ſuaſerint, ſeu præjudicata veterum auctoritas probaverit, atque in ea, nihil de communi earum fine & officio ſolliciti, utcumque ſeſe exerceant, ſuæ, ut pecora utilitati, aut voluptati addicti, generis humani publicæ obliti. Accedit altera, ut magis quoque falſa, ita peſtilentior, non diſcentium modo, ſed quorundam etiam Doctorum, vetus perſuaſio, litteras ita menti acuendæ, augendæ, informandæ natas, ut præter earum ſit officium, aut animum quoque attingere, ac ad honeſtatem componere, aut in Civitatem deſcendere, artes & inſtituta humana perfecturas. Itaque rite, ac ſancte quoque, ſi Diis placet, tradi illas, aut di-

disci etiam in summa morum pravitate arbitrantur: suntque nonnulli, qui tum perbelle sibi plaudunt, tanquam egregie profecerint, quum impudentiores in criminando, in lacessendo audaciores, in humanis divinisque rebus permiscendis promtiores evaserunt. Hinc Scientiarum distractio, discidium, vasticies venit: hinc tot in litteraria republica seditiones, & singulorum adversus singulos machinationes: hinc doctrinarum quarundam primum contemptus, mox etiam aversatio, & odium: hinc alii super alios congesti ad stupendas moles libri, partim inepti, & perridiculi, partim avitæ religionis, aut antiquorum morum turbatores, ut ad veram sapientiam contendentibus non solum periculi plenum, verum etiam implicitum & undequaque obseptum iter esse videatur: hinc tandem tot monstrosi errores, quibus a fine suo revocatæ litteræ, sæpe in publicam perniciem sunt conversæ. Atque unde, quæso vos, Auditores, plurimorum animis hæc nuper incessit suspicio, plusne utilitatis, an damni, generi humano litteræ afferant? Unde quidam ut ne colerent absterriti, non pauci abalienati, ne tuerentur? Intelligo nunc, Auditores, præclare & sapienter majores nostros egisse, qui sanctissimis legibus constituerunt, nemini ad summos honores in Scientiarum Academiis aditum patere posse, qui supra morum probitatem, primum per universum litterarum curriculum non fuisset ipse manuductus, tum singulas earum partes magna cum laude docuisset. Scilicet experimento didicerant, & inutiles esse disciplinas, nisi humanitatem, honestatem, justitiam importent; & unum esse Scientiarum omnium quasi corpus, ut nisi partes ejus omnes sibi mutuo opem præstent, ac officia reciprocent, continuo alias ab aliis præcisas distrahi, & dissipari, atque a fine suo longissime aberrare. Quamobrem hanc ego sapientum præcipuam esse debere diligentiam censeo, ut in id operam ponant omnem, quo opiniones illæ ex vulgarium Philosophorum animis tandem aliquando eradicentur. Sublata enim eorum malorum, quæ vulgo litteris tribui solent, causa, ecquis præterea usque adeo futurus est iniquus, ut litteras, ac litterarum studiosos homines criminetur? Nam earum in rempublicam non solum utilitatem, sed necessitatem quoque

sa-

ſatis demonſtrant & Rationis humanæ natura, & natura Legum ac imperiorum, & neceſſitas atque utilitas Artium. Sed quoniam ea nunc de re mihi dicendum eſt, ut nobiles adoleſcentes, qui huc frequentes convenerunt, intelligant, nulla in re ſe utilius operam ſuam collocare poſſe, quam in ea, qua una ſibi, patriæque cari vivant: vos oro, atque obteſtor, ſapientes, publicæque felicitatis amantiſſimi viri, ut quando ego tantæ cauſæ dicendæ nec ingenii viribus, nec eloquentia ullo modo par eſſe poſſum, ipſi judicio ac favore veſtro, quaſi mihi ſuccenturiati, adſitis.

II. *Rationem, ideſt inſitam illam animo vim, qua ſentiamus intelligamuſque, quaque quæ percepta, & comprehenſa ſint, conferamus inter ſeſe, & ad calculum adducamus, hanc, inquam, pervigilem, actuoſamque vim & facultatem in communem generis humani utilitatem nobis a Deo eſſe datam, eo minus dubitari poteſt, quo majorem illa & ampliorem finem ſpectat, quam cujuſque eſt privata utilitas. Nam quid adtinuiſſet nobis tam longe lateque circumſpectantem tribuere, nec præſentia modo comprehendentem, ſed & remotiſſima proſpicientem, antecedentia cum conſequentibus connectentem, & communes cauſas ac fines indagantem, ſi privatæ cujuſque utilitati, privato abdomini tribueretur? Neque enim Deus ſupervacua machinatur. Certe in brutis, quæ neque in ſocietate omnium cum omnibus a Natura creantur; neque ejus ineundæ dotes ullas habent, tam late cognitio patet, quam ſenſus; tam vero late ſenſus, quam finis, ideſt ſuus cujuſque venter. Nulla apud ea generalis communium cauſarum & finium, nulla reciprocorum officiorum, eorumque regulæ & menſuræ, nulla abſtracta, & ab omni corporearum rerum ambitu ſegregata cognitio: humi prona fingit Natura, & ventri obedientia, ut neceſſarium non ſit vitæ agendæ & tuendæ inſtrumenta habere patentiora. Ariſtoteles vir in primis acutus & doctus hominem ad communitatem generari ſic colligit, quod inter tot animantium genera is tantum præditus ſit ſermone, quo animi ſenſa diſtinguere poſſit, notare, & cum aliis communicare. Quorſum, inquit, hæc, niſi cœtum & ſocietatem ſpectarent? At idem, ac magis etiam neceſ-*

ceſ-

cessario, ex ratione, cujus sermo apud alios interpres quidam est, colligere potuisset. Nam aliorum intellectus ergo loquimur, & continuo conticescimus, si id esse supervacaneum sentimus. Accedit, quod ubi nulla etiam nostri utilitas agitur, loqui tamen aliquid, vel audire velimus. Quæ sollicitudo & curiositas, quæ in iis animantibus, quæ ad societatem non sunt facta, nulla esse deprehenditur, satis, ut opinor, perspicuum argumentum est, rationem humanam non ad nostri tantum & privatam utilitatem, sed ad generis humani publicam pertinere. Quomodo si oculi disserere possent, illi intelligerent profecto, se non sui tantum, sed totius corporis causa in eo esse constructos: neque enim nisi ita esset, tam late ac longe intueri oporteret, nec in eo esse positos loco, unde totum corpus modico flexu moderari possent: ex quo illud efficerent, tum rite se videndi munere perfungi, quum toti corpori vident, ac videndo toti consulunt. Qua ex re conficio, si quid cerno, & rationem communitatis ergo nobis datam, & tum recte & sapienter ea nos uti, quum non nobis tantum scimus, sed parentibus, patriæ, amicis, toti denique hominum generi, quocum naturali quadam cognatione amicitiaque continemur. Qua in re sic ego judico, Auditores, eos omnes, qui non hoc sibi rationis munus proponunt, ratione, invita ipsa, indignanteque, abuti, atque Naturæ ipsi vehementer adversari, sibique aliisque gravis miseriæ causas struere nectereque.

III. *Sed quæ erit via, dicet aliquis fortasse, recte ratione utendi, ut ne ea extra munus officiumque suum evagetur? nempe aut nulla omnino, aut solæ veræ litteræ, disciplina nimirum & institutio sapientiæ. Est enim ratio formanda, est augenda, est instruenda arte & regulis. Formatur autem & instruitur præceptis, habituque ratiocinandi: augetur rerum notionibus. Has velut materiem rationis; illam artem dicere possumus. Nempe Natura simplicem nobis, nudamque sentiendi, cogitandi, intelligendi facultatem tribuit: materiem studio & industria comparandam præcipit: artem exercitio contrahendam. Jam quæ Artium aut Scientiarum est, quæ in rationem aut instituendam & formandam, aut augendam ac emendan-*

dan-

dandam non aliquid conferat ? Nam inveniendi & ratiocinandi, tum differendi & docendi facultatem, Logica, Rhetorica, Poetica efficiunt : accuratius etiam subtiliusque demonstrandi & concludendi Geometria & Algebra. Materiam Naturæ suppeditat & hominum historia: hanc in artem effingunt Physica, Astronomia, Ethica, Theologia, Jurisprudentia. Sed & necessarium est rationi formandæ augendæque, ut cum aliis communicemus quæ didicimus, & ab aliis vicissim sua accipiamus, quo ex omnium mentium humanarum velut confluentibus rivulis sapientia coalescat. Eo comparata sunt Grammatica, & Linguarum studia. Quæ quum sint, quam Scientiarum, quam Litterarum partem contemnemus, quum nulla sit, a qua humana ratio non excolatur, informetur, augeatur! Aut potius, quum nihil aliud sint Scientiæ omnes, nisi una formata & adulta ratio, hominumque utilitatibus intenta, qui illas aut negligamus, aut oderimus, quin non toti tantum hominum generi, sed nobis irati infensique simus? Est enim, per Deum immortalem, qui pejus sibi conciliatus esse videatur, qui vehementius utilitati, & felicitati suæ adversetur, quique solemnius insaniat, quam qui intellectum & rationem, communis & privatæ vitæ instrumenta, sibi invideat? Quamobrem, Auditores, nisi pœnitet, nos non belluas, sed homines, idest rationales & sociabiles animantes esse natos, intelligamus, naturalis esse officii, summis studiis litteras percolere, sine quibus, ut agrestes barbarique vix rationis participes, ita ne homines quidem ac sociales esse queamus.

IV. *Non sum autem nescius, esse qui clamant, a Diis iratis homini rationem esse tributam, quæ cum exiguo campo, tum undequaque fallaciis septa, non modo nullam utilitatem nobis afferat, sed summas inducat calamitates. Quid? nulli ne ii nati esse vellent? an stipites & bruti? an constante infinitaque rerum comprehensione præditi? an potius cum ea, qua gignuntur, ratione, sed ab iis malis, quæ pravus rationis usus haud dubium peperit plurima, immunes? Detur optio. Est quisquam, qui diu deliberandum in re minime perplexa atque ancipite arbitretur? Neque enim eo insaniæ evadere*

dere nos poſſe puto, ut aut nulli, aut ſtipites ac bruti, aut Dii nati eſſe velimus. Nam & ut non ſumus, & ut Dii ſimus, ideſt undequaque perfecti atque abſoluti, cum tota pugnat rerum natura, quippe extra genitarum rerum conditionem: itaque ut non adpetere, niſi ſtulte, ita ſuper iis deliberare ſapienter non poſſumus. Non ergo rationem accuſare iſti videntur, ſi recte adhibuerimus, ſed rationis abuſum; quum maximæ ſint, & in ſingulos homines, & in totam ſocietatem rationis utilitates, modo ne ea poſitas a natura regulas adrogans impudenſque tranſiliat. Quis autem ignorat, tum maximos eſſe rationis abuſus, ac maximas hominum ab hominibus calamitates exiſtere, quum neglecta ratio bruteſcit? Neceſſe eſt enim, ut, inculta ratione, ſenſus & adfectus dominentur, ex quorum imperio cuncta, quæ patimur, mala derivantur. Nam ſic natura ingeneratum eſt, ut, quum adpetitus ſint vehementes præter, aut contra rationem animi commotiones, tum irrumpant lymphati ac imperent, quum ratio paret, pariturі, ubi illa imperet. Ac quemadmodum generoſus equus imperat, niſi pareat: ita niſi ratio a ſenſibus ſeſe extricet, & ſe ſibi vindicet, ut alteram hominis partem cohibere poſſit, fieri nequit, quin in vile ſervitium a libidine rapiatur. Una ergo via, una ars eſt hujuſmodi mala averruncandi, rationem excolere, atque loco & dignitati ſuæ reſtituere; quod qui efficere negligunt, non ii inſane rationem accuſent, ſed ſuæ aut ignaviæ, aut libidini iraſcantur. Et vero ad rationem perficiendam, ac adfectus intra ſuos cancellos coercendos datæ ſunt leges, non tantum antiquiores illæ, quæ naturales dicuntur, & a quibus ſunt ceteræ aut expreſſæ, aut conrivatæ, ſed hæ etiam populorum tam multiplices, & variæ, quæ civiles appellantur. Sed quid quæſo vos, Auditores, ſunt leges, niſi ſcita ſapientum? qui earum finis, niſi ut rationi præſidio ſint? Nam quum in omni lege Decretum ſit, & Sanctio; illo mens efficitur & informatur ratio; hac velut fræno, compeſcitur cupiditas. Utrumque autem quantæ intelligentiæ, providentiæ, ſapientiæ opus eſſe putabimus?

V. *Sed quando ad res humano generi propiores me detulit oratio, efficiam, ut ex hoc imprimis loco intelli-*

ga-

gatis, Auditores, quantopere toti Reipublicæ necessaria sint litteræ! Nullam esse societatem, ac ne latronum quidem & piratarum, quæ sine legibus aut primum coire, aut deinde se conservare possit, id equidem neminem ignorare arbitror, Auditores. Nam unus esse debet sociorum omnium finis, una mens, una officia: nulla hominum communitas, ubi singulis sui privatique fines, ubi alii ab aliis dissident, vitalis esse potest. Ut si unumquodque corporis humani membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, etiam a reliquis præcisum, quapropter seditionem ab illis faceret; debilitari, & interire totum corpus necesse esset. In tanta autem hominum varietate, tamque multiplici decretorum & opinionum copia, quæ esse potest ratio & via, qua in concordiam adducantur, qua idem sapiant, idem velint omnes? Nempe aut nulla, aut lex, ut ea quasi quadam virgula divina omnes regantur. Haud inscite igitur quidam sapientum dixere, non societatem tantum, sed omnem eam humanitatem, qua in Civitatibus perfruimur, & qua a belluarum vita discernimur, descriptis legibus deberi acceptam. Quis enim vestrum ignorat, ita naturam rerum tulisse, ut quodam tempore homines juris naturæ incuriosi, civili nondum descripto, fusi per agros, ac dispersi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu & viribus per cædem ac vulnera eripere aut retinere potuissent? Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil interest, quam jus, atque vis: necesse enim est, ut vis imperet, ubi lege homines non æquantur.

VI. *Quæ quum ita se habeant, ubi nulla etiam adsint alia argumenta, quibus litterarum in rempublicam necessitatem & utilitatem demonstremus, certe est hoc palmare, non constare sapientiam sine litteris, nec sine sapientia leges, nec porro sine sapientissimis legibus rempublicam consistere. Quod adeo verum est, ut præclare veteres esse leges munus Deorum dixerint: quod ego sic accipio, non ut mendacio legibus auctoritatem ac majestatem conciliare voluerint; sed ut ostenderent, inter curas humanas nullam esse debere consilii, rationis, sapientiæ pleniorem, neque idcirco aliam Deo digniorem, quam*

legislationem . Scilicet quum leges populis in ſocietate condendis continendiſque , ac ſecuris & beatis efficiendis dentur , non illæ eſſe poſſunt ratione deſtitutæ , ſed potius expreſſæ a natura ipſa populorum , locorum , temporum vitæ regulæ . Ac quemadmodum quæ moventur & aguntur machinæ naturis & conſtitutionibus ſuis conſentanee aguntur , franguntur que citius , quam permoventur , ubi contra impulerimus ; eodem modo niſi naturæ & conſtitutioni ſingularum ſocietatum , tum populorum moribus & temperamentis ; viribus quoque & opibus ; loco præterea & tempori ; tandem finibus & ordinibus leges adaptentur ; populis ſunt graves , principibus moleſtæ , plenæ diſcriminis , & ubertiſſimæ irarum , bellorumque cauſæ . Quid quod ne ſupremus quidem ille ac omnipotens Deus rerum omnium opifex & moderator , niſi ex rerum ipſarum natura velut manantes , leges ullas intelligit , aut ſancit ? quippe nihil illa ſuprema majeſtas , niſi mente & ratione ſancit . Itaque qui res Naturæ contemplantur , ii non ſine incredibili quadam animi voluptate animadvertunt , iis eſſe ſingulas legibus conſtructas , iiſque gubernari , ut nihil aptius , nihil ſapientius , nihil præſtantius excogitari poſſit .

VII. *Quapropter intelligitis , Auditores , ut nihil tam vitæ & ſocietati hominum neceſſarium , quam jura deſcribere ; ita nihil eſſe inter homines , quod majorem ſublimium rerum intelligentiam , plurimarum & diverſarum prudentiam , mentem perſpicaciorem , & ampliorem , adeoque Artium omnium & Scientiarum opem deſiderare , nequam propriis quemque populum legibus moderari . Quod niſi verum eſſet , qui tanta doctorum hominum conſenſione dicere Plato potuerit , tum beatas fore reſpublicas , quum aut Philoſophi regnant , aut Reges philoſophantur ? Certe inter omnes nationes eæ opibus , imperio , & publica felicitate ſemper præcelluerunt , quæ ſapientioribus legibus gubernatæ ſunt , ut olim Ægyptii , Judæi , Græci , Perſæ , Romani ; nunc vero maxima Europæ pars . Atque , quod præcipue animadvertendum eſt , eæ ipſæ gentes , quarum imperium ſempiternitatem ſpectare videbatur , non primum imperium & libertatem amiſerunt , quam quum vetuſtis legibus nullus apud laſcivientes ju-*

nio-

niores honos esse cœpit , nulla dignitas , nullus amplius locus . Adeo illud verum est , quibus primum fundamentis res humanæ increverint , iisdem stare , nec cadere , nisi quum illa prolabuntur ! Oro autem vos , Auditores , quid erant tot populorum leges , nisi veluti succus sapientiæ ac temporis diuturnitate consummatæ intelligentiæ ? Quid nisi Philosophiæ partus ? Alioquin cur non eo quoque imperii & felicitatis venere penitissimi Scythæ , & Lapones , Peruviani , Brasilianique , Caffari , aut interiores alii Africæ populi , moribus & vitæ consuetudine efferati , litteris ac legibus destituti , ac una pene dixerim forma effigieque corporis a belluis discriminati ? Quod si quidam venere , aut longa domi bellique schola edocti venere , ut olim Romani , nunc Rutheni : aut ab iis , quos belluina vi devicerant , absorpti , & paulatim exculti fuere , ut penitissimi Scythæ ; aut quasi turbines repente dissipati sunt & dispersi , ut Gothi ; aut non Regnum , sed vis , & immanitas eorum fuit , ut Turcarum . Nam Turcæ impetu primum & robore corporum proruperunt : tum nostrorum lascivie , atque superbia , scilicet iis , quæ secundæ res amant , ferociores facti , dominationem constituerunt : sed eam qua vi bruta occupaverunt , eadem retinent . Quumque nihil tyrannidi tam sit contrarium , quam sapientia , leges , justum imperium ; omnia disterminanda putaverunt , quæ rationem perpolire possent , metum populis detrahere , ac libertatem , opes , felicitatem importare . Non corpora tantum , sed ingenia hominum fecere mancipia , ut una armorum vis , unus regnaret metus . Itaque ut sibi imperium firmarent , tot gentes ac populos in miseram servitutem dedere , perpetuis opprimunt ærumnis , atque pecorum indolem induere cogunt . Est quisquam , qui ubinam gentium hanc rempublicam exoptet ? Est qui hanc populorum felicitatem vocet ? Est ergo perspicuum nec imperium esse posse , ubi nullæ sunt litteræ ; & si quod est , id non populis beandis , sed iis opprimendis , vexandis , extinguendis aptius esse .

VIII. *Nec vero ob id tantum litteræ in publicam felicitatem influunt , quod sapientiam legislatricem gignunt , aluntque , sine qua respublica aut non esse , aut nonnisi discors , & in seipsa ruens esse potest , sed eo etiam pluri-*

rimum, quod Artes humanæ vitæ neceſſarias aut pariunt, aut acceptas provehunt longiſſime, aut repertas perpoliunt, efficiuntque faciliores & utiliores. Atque utinam pro ejuſcemodi argumenti dignitate nobis aut oratio & facultas, aut tempus ſuppeteret. Sed Adoleſcentibus ingenii acumine ac diligentia præſtantiſſimis vel rerum capita indigitaſſe ſatis ſuperque erit. Artium alias eſſe humano generi neceſſarias, alias longe utiles, alias ad commoditatem ac vitæ ornatum & decus conferre, in perſpicuis eſt ac confeſſo. Neceſſarias Natura ipſa, eorum, ſine quibus eſſe non poſſumus, alacris indagatrix, excogitavit; utiles hominis ſollertia; reliquas amor voluptatis invexit. Quædam quoque ſunt, quas fortunæ cuidam & caſui debeamus. Quæritis quas litteris? ſunt haud dubium ſuæ. Sed ubi nullæ ſint, parva ne Ars eſt ſolertia & ſapientia ipſa, quam litteræ & efficiunt & alunt? Eſt enim ceterarum omnium ſuprema quædam Ars & regula, ſapientia. Ac ut Artes ſuis quæque inſtrumentis opera perficiunt: ita ſapientiæ inſtrumenta ſunt Artes. Ea perpoliuntur; ea perficiuntur: una illas regit ſapientia: una agit, ac quaſi animat. Sapientiæ eſt, quod paucioribus inſtrumentis, & uſu facilioribus, quam olim, utantur Artes: quod paucioribus viribus & breviori tempore indigeant, uni debemus ſapientiæ: a ſapientia didicimus Artes ad ea adhibere, ad quæ apud veteres minime pertingebant: eadem uſus Artium antiquioribus ignotos adinvenit. Ita factum eſt, ut & publice ſint apud nos pervagatæ, & populares, ut ita dicam, evaſerint. Inde privatis quoque opes tantæ, quantas vix integræ olim gentes habuerunt: inde commoditates ac voluptates eæ, quibus ſi majorum noſtrorum vita comparetur, videri poſſimus, non modo a ſumma inopia ad ſummam copiam, ſed ab immanitate ad humanitatem translati. Artium harum pleræque antiquis notæ: notæ barbaris; at quotus eorum quiſque, quo ire poſſent, perſpexerat? Quotus quiſque omnes earum uſus comprehenderat? Itaque quum illi, tum iſti etiam in Artium apparatu, vitæ dulcedinem, cui illæ efficiendæ natæ ſunt, ignoraverunt. Nempe quia nec litterarum apud illos commercium, nec ratio adulta & perfecta. Nam ex quo

Ty-

Typographicæ artis (quam ego de Cælo delapſam ſemper putabo) beneficio ſactum eſt , ut rationis humanæ cogitata & inventa inter diſſitas terra marique regiones tam facile communicarentur , atque ex ſingulorum intelligentia, veluti ex collatis ſuccis , cujuſque mens ſuccreſceret ; incredibile dictu eſt , quantum augmentum Artibus omnibus , quanta facilitas , quanta promtitudo acceſſerit : incredibile quam illæ longe lateque defluxerint : quam uberes fructus , ac quantas vitæ commoditates adduxerint . Quis ignorat , eo intra bina ſæcula ventum eſſe opum & voluptatum , quo per infinita anteacta minime veneramus? Equidem , Auditores , mecum ipſe quandoque præ lætitia illacrymari cogor , dum præſentem totius Europæ quum faciem atque habitum , tum in primis interiorem ſpiritum & mentem , tacitus meditor , & cum veteri Europa contendo . Nam olim obſideri tantum , nunc tandem habitari & coli mihi videtur. Orbes , quos Oceanus a nobis diſterminaverat , junximus : terras ac maria emenſi ſumus : iis quoque , quæ ſuperna nobis ſunt , & quorum admirandorum tantum cauſa natum ſe dicebat Anaxagoras , Cælo & Aſtris , ad commercia agitanda , devehendas opes , & pretioſiora quæque ultimarum gentium in Europam deportanda , uſi ſumus . Debemus hæc navigationi : hanc Nauticæ & Geographiæ : has Opticæ & Aſtronomiæ ; iſtas Geometriæ : omnes Philoſophiæ , ideſt amori & ſtudio ſapientiæ . Quo igitur ego alio argumento totius Philoſophiæ ideſt litterarum omnium in rempublicam utilitatem demonſtrabo , quum videam ita populorum felicitatem cum ſapientia eſſe conjunctam, ut altera alteram perpetuo ſequatur ? Culmen attigiſſe videntur hac noſtra ætate litteræ : eodem evaſere commercia , artes , vitæ commoda , opes , voluptates . Humiliores illæ ſuperiori jacebant : minor erat Europæ ubertas , minor publica felicitas : ſupererant adhuc antiqui ruris veſtigia . Si vetuſtiſſima tempora reſpiciamus , nullas reperiemus , aut modo natas . Sed videre quoque poſſimus homines quaſi terris prorepentes , propter glandem & cubilia unguibus & fuſtibus pugnare. Cur ergo totam hanc Europæ felicitem litteris non retulerim acceptam?

IX. *Sed audiamus litterarum vituperatores . Ii non*

unius

unius ſunt generis, nec ex eodem omnes loco in nos impetunt. Nam quidam ſunt, qui rerum ignari humanarum perridiculos eos vocant, & homines reipublicæ inutiles, qui tota vita in Cælo & Aſtris contemplandis intenti ſunt. Hos ego morabor? Qui ſi ſciant, nec ſine Aſtronomia Geographiam, nec ſine Geographia Nauticam, nec ſine Nautica ingentes, quibus jam luxuriamur, opes eſſe poſſe, minus illi, puto, leves & inconſiderati ſint. Alii ſunt, qui in Mathematica ſtudia magis etiam invehuntur. Hos ego humanæ vitæ peritos dicam? Qui ignorant quantum tota Mechanica emolumenti humanis laboribus afferat? Qui commerciorum ſcientiæ, quæ nobiliſſima eſt & utiliſſima, ſunt expertes? Qui & Bellicæ, & Architectonicæ artis ſunt inſcii? Qui fortaſſis ne Muſica quidem capiuntur? Alioquin qui ignorare poſſunt, has omnes Artes a Mathematicis diſciplinis eſſe progenitas, ab iis ali, iis propagari, expoliri, perfici? Jam ſunt alii, qui adverſus Linguarum, & Antiquitatum ſtudioſos debacchantur, quaſi homines ſibi nimium arrogantes, intempeſtive loquaces, intempeſtive arcanos, nugigerulos, reip. fucos. Sed ſecernamus, amabo vos, hominum mores a litteris: neque enim illud nunc agitur, ut quorumdam litteratorum vitia, ſi quæ ſunt, defendamus. Rerum antiquarum ſtudia & publico regimini, & Artibus conferre, is dubitare poteſt, qui hiſtoriam quoque omnem inutilem eſſe cenſeat. At qui non ignorat, quantæ ſint in totam humanam vitam, eiuſque partes omnes, hiſtoriæ utilitates, quanta acceſſio Artibus ex veterum, aut peregrinorum repertorum collatione ſit facta, is eam diligentiam quam viri antiquitatum ſtudioſi in antiqua aut peregrina hiſtoria e tenebris eruenda collocant, non modo utilem, ſed neceſſariam quoque fateri cogetur. Ac vero non intelligo, Auditores, quid ſit, ut vetuſtatis rudera quædam, nummos, picturas, ſtatuas, harumque rerum fragmenta tantopere æſtimemus, ac veluti ſacra veneremur, & invideamus plurimis, nihilque non faciamus, quo poſſidere poſſimus; eos vero, qui inde hominum, rerumque ſeriem longa ætate turbatam reſtituerunt, qui, quouſque majores noſtros imitari poſſemus, docuerunt, contemnamus? Alii tandem Phy-

ſica

stra studia, velut incerta, atque idcirco inutilia traducunt. Sed ut nihil dicam de eorum, quum in alias Artes, tum præsertim in Medicinam utilitate, parum ne illa privatæ publicæque felicitati conferunt? Hæc enim nos quum ceteras res plurimas, tum, quod est difficillimum, docuerunt, ut nosmetipsos nosceremus; hæc ut Deum contemplaremur: hæc ut humanitatem & justitiam coleremus. Nam quum Cælum, Terras, Maria, rerumque omnium Naturam perspexerimus, eaque unde generata, quo modo obitura, quid in iis mortale, & caducum, quid divinum æternumque sit viderimus, ipsumque omnia moderantem & regentem Deum pene prehenderimus, nosque non unis circumdatos mœnibus populares alicujus definiti loci, sed cives totius mundi, quasi unius urbis agnoverimus: in hoc conspectu & cognitione tum totius, tum nostræ præsertim naturæ, quam ipsi nos moderamur, quam justitiæ & pietati obsequentes sumus, quam denique beati? At enim minutiora sunt quandoque hæc studia, quam ut iis ingenuum hominem, & communi bono natum incumbere par sit. Mores sunt isti hominum, non litterarum, Auditores. Quiq quod ad nullius rei summam, nisi parvis præcedentibus initiis perveniri potest? Teritur quoque minutis quibusdam, & ab hominum commercio velut semotis quæstionibus, ingenium acuitur, ac ad severiora exercetur. Tum nonnulla hujusmodi cum sublimioribus aut utilioribus dogmatibus quasi necessariam habent concatenationem, ut non posse videatur ad hæc deveniri, nisi illis emensis. At ubi cetera desunt, genus quoddam sævitiæ est, postquam quis majorem curarum partem in seria contulerit, prohibere, ne & suo ingenio indulgeat, neve aliquando, quod Thebanus Epaminonda solitus erat, equitet in arundine longa. Detur hæc naturæ venia: sint animorum quædam diverticula, in quibus, veluti soluti & liberi, spatiemur.

Sunt igitur, si quid confeci, litteræ omnes hoc etiam nomine reip. utiles, quod & Artes perficiunt, sine quibus illa esse nequit; & peregrinas important; & feros emolliunt mores, ac societatem faciunt jucundiorem. Quod si qui sunt, qui præterea non solum ut inutiles,

sed

ſed publice etiam pernicioſas eas accuſare pergunt, eos oro, ut quoniam aut rerum ignoratione peccant, aut morum quadam ferocia, ſuæ in primis naturæ ſtudioſiores eſſe velint: tum in Civitatum, & Imperiorum indolem, Legum, & Artium neceſſitatem diligentius inquirere. Intelligent ii profecto, niſi ſtipites ſint & bardi, & rationem, qua a Deo ornati ſumus, totius generis humani felicitatem natura ſua ſpectare: & tum ad id eſſe idoneam, quum adulta eſt, ideſt litteris formata & corroborata: & nullam hominum ſocietatem, ut non ſine Legibus, Artibus, Religione coaleſcere primum, tum conſiſtere poſſe; ita non ſine litteris & ſapientia, ſine quibus nec Leges, nec Artes, nec Religio, qua nihil carius habere debemus, eſſe & conſervari poſſunt. Me quod attinet, Auditores, id nunc unum a Deo optimo maximo optaverim, ut quandoquidem conſueta faſtidimus, nec bona, niſi quum amiſerimus, æſtimare ſuevimus, in barbaras terras, ac ultra Oceani fines repente tranſvehamur, indeque, quaſi de ſpecula quadam, res humanas contemplemur, ac noſtra cum feris nationibus conferamus. Tum enimvero animadvertere poſſimus, quanta ſit earum nationum felicitas, ad quas tantum Dei beneficium, quantum ſunt litteræ & ſapientia, delatum eſt: tum ſentire quantæ ſit immanitatis, factum eſſe, ut quod natura, & majeſtate ſua barbarorum quoque admirationem & amorem excitat, apud nos egeat patrono; illud nempe, quod ſi gentibus non omnino ſtupidis exprobremus, rem ſuapte natura amabilem, utilitatis & commodi plenam, qua una belluis præcellimus, exceptam ſemel avidiſſime, diſterminatam velle, nullam illæ atrociorem ſibi factam injuriam putent: tum tandem intelligere, nullum eſſe inter Dei munera quod gratiori animo excipere debeamus; quod vehementius percolere; quo magis lætari.

Vos nunc, generoſi Adoleſcentes, appello. Vos reipub. ſeminarium: Vos tolerandis & agendis fortibus & magnis natos: Vos præclara, & inter omnes nationes præſtantiſſima indole genitos. Ea ætas veſtra, qua nondum cupiditates adoleſcentiæ effugiſtis: itaque anxios eſſe oportet, quo tandem erumpant. Ac ego quidem nihil niſi bonum auguror, tanta eſt indolis veſtræ animique penes

me

me æstimatio. Ceterum nisi eo inclinetis, qua ad virtutem & gloriam vocent, pro scientia stultitiam, pro gloria ignominiam, pro felicitate miseriam estis reportaturi. Id ne accidat etiam atque etiam curare vos moneo: curabitis autem quantum vobis & virtutis ac sapientiæ amor, & labor, & duri ac antiqui mores perplacuerint. Eo tenditis, ubi nec voluptas, nec molles mobilesque mores pertingunt. Heu igitur: pergite qua cœpistis. Quod acrius incitamentum expectatis? Si qua gloria nominis: si qua patriæ caritas; si quis vestri fortunarumque vestrarum amor: si incredibilis animi voluptas vos tangit: ite, defensate litteras, Imperii rectrices, altrices Artium, tutrices Pietatis. Eo vos parentes, eo tota vocat Italia. Italia gentium olim domina: Italia artium, legum, humanitatis altera quondam propagatrix. Agite dum: & postquam fortunante Deo Regem & Imperium recuperavimus, nobis vindicate & litteras: sancte colite: alacres, quo tendunt, ducite.

FINIS.

IN-

INDEX
CAPITUM
PARS IV.
De principiis legis naturalis ac de officiis, quæ inde manant.

ite-

LIBER ALTER.

Quemadmodum ex legibus naturæ hominum officia ducantur.